EIUSDEM AUCTORIS

QUAESTIONES PASTORALES.

II. Quaestiones de Embryologia et de Ministratione Baptismatis, editio altera, 88 p.

III. Quaestiones de Variis Poenitentium Categoriis, editio altera, 187 p.

IV. Quaestiones de Poenitentiae Ministro eiusque Officiis, editio altera, 137 p.

V. Quaestiones de Partibus Poenitentiae et Dispositionibus Poenitentis, 172 p.

VI. Quaestiones de Variis Peccatis in Sacramentali Confessione Medendis, 155 p.

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS.

I. De Principiis, editio altera, 1 vol. in-8° 786 p.

II. De Virtutibus moralibus, editio altera, 1 vol. in-8° 1029 p.

III. De Sacramentis, editio altera, 1 vol. in-8° 1024 p.

Ius proprietatis auctor sibi vindicat.

LA PENSEE CATHOLIQUE
association sans but lucratif
est une œuvre d'enseignement
religieux, moral et social.

Quæstiones Pastorales

QUÆSTIONES

DE

Castitate et Luxuria

QUAS IN UTILITATEM CLERI

PROPOSUIT

Pater fr. Ben. H. MERKELBACH O. P.

5. *Th. Mag. et D' et in Inst. Pontif. Angelico de Urbe*
Professor Theologiae Moralis

Editio quarta aucta et emendata

MYRON PT.EICON

La Pensée Catholique, Liège (Belgique) 38 Quai Mativa
PARIS (6e) : Maison Casterman, 66, Rue Bonaparte
AMSTERDAM: N. V. De R. K. Boek-Centrale
PADERBORN : Verlag Ferdinand Schôningh
TORINO-ROMA : Casa éditrice Marietti
LONDON, W. C. 1: B, HERDER
MONTREAL : Granger Frères
MADRID : Editorial Voluntad
MCMXXXVI

Nihil obstat :

Bruxellis, 2 Novembris 1936

Fr. B. M. Bonte, S. Th. L.

Lovanii, 2 Novembris 1936

Fr. H. M. Bisschop, S. Th. L.

Imprimi potest :

Fr. Joannes-M. Massaux

Prior Provincialis O. P.

Bruxellis, 3 Nov. 1936

Imprimatur :

Leodii, 4 Novembris 1936

G. Simenon, Vic. Gen.

BENEVOLO LECTORI.

Cum in pastorali ministerio nulla si materia practica magis, imo tantae quotidianae applicationis, ac illa quae de praeclara virtute castitatis et de nefando luxuriae vitio pertractet, de ea sermonem tecum habere cupimus; et omnes quaestiones illam respicientes, quas per varias partes theologiae sparsas et in operibus maioris molis vel specialis indolis late tractatas invenies, hic ad brevem, claram, summariam simul et completam expositionem reductas proponimus.

Sicut autem in 3", ita in hac 4a editione, fuimus de pleniore expositione, magis adaequata expressione, et meliore intelligentia solliciti; paucisque addendis, occurente quadam controversia vel oborta nova quaestione, aliquatenus insistendum existimavimus.

Opus tibi, dilecto confratri, gratum ac animarum rectori utilissimum fore fidenter speramus.

AUCTOR.

De Castitate et Luxuria

I. Placeat, in huius tractationis limine, verba exscribere quae ibi profert Sanctus Alphonsus, n. 415 : « Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cuius vel solum nomen hominum mentes inficit. Det mihi veniam, quaeso, castus lector, si plures quaestiones ac circumstantias... (ab aliis) omissas, hic discussas ac declaratas inveniet : utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem. Sed cum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia et propter quam maior animarum numerus ad infernum dilabitur... hinc opus mihi fuit ad instructionem eorum qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum... legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abiicientes; atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent et Virgini Immaculatae se commendent, ne dum aliorum animas Deo student acquirere ipsi suarum detrimentum patiantur ».

II. Cum autem praefata materia sufficienter intelligi non valeat nisi notiones physiologicae omnino accuratae adsint organorum et actionum generationi inservientium, ex scientiis naturalibus generalem descriptionem ipsorum hic breviter subiicimus, quin tamen in rerum tenuitates descendamus : inutilem abundantiam vitantes quae nata sit confusionem parere simul ac periculosam curiositatem, ita ut non plus nec etiam minus dicamus quam sit necessarium ad totam rem perfecte cognoscendam.

Porro quaestiones speciales tractandae sunt :

1) De organis genitalibus et de generatione notiones physiologicae;
2) De castitate et luxuria in genere;

3) De luxuria consummata secundum naturam;
4) De luxuria consummata contra naturam;
5) De impudicitia seu luxuria imperfecta;
6) De luxuria interna;
7) De causis et remediis luxuriae;
8) De coniugibus in matrimonii usu.

III. Circa praesentem materiam utiliter videri possunt :

1. Opera scientifica anatomiae aut physiologiae omnia, inter quae in clero magis vulgarisata haberi possunt : Vivat, Woordenboek (verbis : Geslachtsorganen, Ei, Eierstokken, Embryo, Bevruchting, Zaad): et Dr. Vigouroux, Traité de Médecine pratiqué, T. IV.

2. Inter opera theologica : Sanctus Thomas, II-II, Q. 151-154 et Suppl. Q. 42, art. 3; Q. 49. art. 4-6: Q. 64; cum commentariis Caietani, Sylvii et Billuart (De Temperantia; de Matrimonio); Lessius, De lure et lustitia et ceteris Virtutibus cardinalibus; P. Ledesma. De magno sacramento Matrimonii; Th. Sanchez, De sancto Matrimonii sacramento; Sanctus Alphonsus, Theologia Moralis; Bouvier, Theologia Moralis; De Sexto et Nono Praecepto; Berardi, Praxis Confessariorum; Aertnijs, Fasciculus Theologiae Moralis : de Usu Matrimonii; Noldin, de VI° Praecepto et Usu Matrimonii: Tanquerey, Theologia Moralis (appendix De Castitate, supplementum De Matrimonio); III. Waffelaert, De Virtutibus Cardinalibus; De Smet, De Sponsalibus et Matrimonio: et Collationes Brugenses, T. V, VI et VII; Em. Van Roey, Quaestio specialis de VI° Decalogi Praecepto; Wouters, De Virtute Castitatis et de vitiis oppositis.

3. Inter opera anatomica simul et theologica : De Breyne, Mœchialogie. La Théologie Morale dans ses rapports avec la physiologie et la médecine; Van Olfers, Pastoralmedizin; CapeÎlmann, Pastoralmedizin: vers. Lat. Medicina Pastoralis, cuius nova editio curis Drs. Bergmann facta fuit; Eschbach, Disputationes Physiologico-Theologicae: Antonelli, Medicina Pastoralis; Surbled, La Morale dans ses rapports avec la médecine et l’hygiène; L'Hygiène du Mariage; Gemelli, Non Mœchaberis; De conceptus « impotentiae coëundi » definitione sub respectu medicinae pastoralis; Salsmans, Geneeskundige Plichtenleer; Vermeersch, De Castitate; Schim van der Loeff, Het Voortplantingsleven van den Mensch, simul cum W. J. Duynstee, De Leer der Kuischheid.

QUAESTIO PRIMA.

De Organis genitalibus et Generatione

Notiones physiologicae.

I. Organa genitalia viri praecipua sunt :

A. Externa : 1° Ambo testiculi *(teelballen, zaadklieren, glandes séminales)* : sunt duae glandulae seu « corpuscula ovoida bina quae intra involucrum suum seu scrotum *(balzak, bourse)* abdita sub inferiori corpore protuberant atque extra truncum propendunt. Suum nomen nanciti sunt testes quia de virilitate testantur[1] ». In testiculis zoospermata *(spermato-zoïdes, leuenskiemen, zaaddraden)* elaborantur quae quasi capite et cauda constare atque instar animalium se movere videntur, non tamen animalia, sed mere cellulae esse existimantur, eo quod in iis hucusque nulla perspecta fuit vita sensitiva[2]. Haec sunt elementum masculinum essentiale generationi. In humore permiscentur qui ex iisdem testiculis conficitur, et una cum zoospermatibus eiaculari potest. Ut autem eiaculari facilius et fluere queat, in transitu ipsi permiscetur liquor qui ex variis glandulis interioribus secernitur : sic mixtum liquidum albi coloris et odoris oleacei obtinetur eiaculationi perfecte aptum. Talis eiaculatio vocatur pollutio. Liquor a testiculis elaboratus dicitur semen seu sperma. Quando semen est zoospermatibus mixtum, est semen perfectum generationi aptum : zoospermata sunt elementum essentiale seminis.[3]

2° Membrum virile, seu penis aut virga *(roede, verge :* ordinario long. 9 cm. in requie, 15 cm. circiter in erectione) : est organum ad penetrandum organum genitale mulieris distinatum ibique semen deponendum; sub illo est uretra seu canalis qui

[1] Eschbach, o. c.. diss. I, cap. 2, art. 2.

[2] Longitudinis sunt 50/1000 millim. circiter: caput habet 5/1000 millim.: segmentum seu corpus 6/1000 et cauda 40/1000 millim.

[3] Non sola spermata hisce testiculis conficiuntur sed isti simul sunt fontes secretionis interioris, quae sanguini miscetur, et cui signa virilitatis (barba, pili in pubi, vox masculina) et vis alendi appetitum sensualem tribuuntur. (Vermeersch, *De Castitate,* n. 7).

tum sperma tum urinam emittit[1]. Cum sanguine oppletur, penis erigitur, et tunc ante seminis expulsionem solet fieri liquoris tenuioris productio et modica emissio ex glandulis quae in penem influunt. Quae effusio a theologis vocatur distillatio.[2] Extremam membri partem occupat glans *(eikel, gland)* valde excitabilis, quae praeputio *(voorhuid)* operitur, cuius extremam pelliculam abscindebant ludaei : haec glans est praecipua sedes voluptatis venereae.

B. Interna sunt : 1° Bini canales deferentes *(vasa deferentia, zaadleiders,* 40-50 cm. long.) qui a testiculis initium habent et per longum circuitum in uretram, tanquam canales eiaculatorii, confluunt.

2° Binae vesiculae seminales *(zaadblaasjes)* quae sunt aliquod inter varia organa cuiusdam secretionis. Canales deferentes apud illas transeunt, unde saepe in illis reperiuntur zoospermata quae ibi aliquo tempore manent; et inde suum nomen *vesiculae seminalis* acceperunt, ac si essent zoospermatum receptacula.

II. Organa genitalia mulieris praecipua sunt

A. Externa : 1° Vulva *(schaamspleet)* quo nomine venit complexus partium exteriorum quarum praecipuae sunt : magna labia *(schaamlippen)* seu binae plicae pellis exterioris, — parva labia, seu binae minores plicae, sitae inter labia magna, — clitoris *(kittclaar)* seu minimus penis sine uretra (1-2 cm.[3]

1 « Non ita tamen ut misceantur. Nam, perdurante erectione virgae et eiaculationis aestu, vesicula urinaria, ob contractionem musculi levis urethrae, Ita clauditur, ut urina e vesicula urinaria prodire et cum spertnate misceri nequeat » Piscetta et Gennaro, *Elementa Theologiae morulis.* VII, p. 5.

2 In *viris* itaque theologi distinguunt pollutionem et distillationem, quia duplex est emissio diversae naturae. Prima est liquoris zoospermatlbus mixti, crassioris et densioris. « In pollutione effusio humoris est copiosior et cum magna genitalium commotione et delectatione coniuncta; in distillatione e contra effusio humoris saepe est exigua et fere guttatim accidit et ordinario cum levi tantum aut vix ulla (quae percipitur) commotione et delectatione » Noldin, o. c., n. 40. Qui humor ceteroquin est tenuioris naturae, et absque speciali colore aut odore.

3 Aliquando valde evoluta apparet (6-7 cm.) et tunc quaedam feminae ea abutuntur, ad alias per modum viri accedentes. Quod est una ex formis peccati sodomiae.

in erectione) qui in summitate inter parva labia situs est ac delectabiliter erigitur et instrumentum est voluptatis, — meatus urinarius, seu os, sub clitoride positum, per quod emittitur urina, — etc.

2° Vagina *(scheede* : ordinario long, circiter 7-9 cm. ante, 8-10 retro) quae invenitur sub clitoride et meatu urinario in medio inter parva labia : est canalis formae cylindricae ab exteriori parte ad interiora ducens, et est organum penetrabile recipiendo membro virili destinatum *(vas debitum);* per illam etiam emittitur sanguis singulis mensibus ac egreditur foetus, unde est flaccida et valde extensibilis. Ostium eius apud virgines regulariter operitur membrana (hymen, sigillum virginitatis, *maagdenvlies),* quae figuram dimidiae lunae imitari solet ita ut non totum ostium claudat. Vagina in aestu concupiscentiae emittit (raro exterius, potius in cavitatem uteri) liquorem similem illi quem viri emittunt in distillatione, qui recte vocatur distillatio vel et pollutio feminea, dum antiqui illum dicebant semen mulieris; erronee tamen, quia licet aptiorem reddat copulam et penetrationem viri faciliorem, nullo tamen modo generationi directe inservit.

3° Quibus addi possunt mammae seu ubera, quae non generationi ipsi sed lacti producendo et dando destinatae sunt.

B. Interna sunt : 1° Uterus seu matrix[1] *(baarmoeder)* quae communicat cum vagina et destinatur ad fcetum continendum.

2° Ovaria *(eierstokken, eiklieren)* : sunt duae glandulae ad dexteram et ad sinistram uteri, quibus ovula (200/1000 mm.) conficiuntur. Ovula sunt elementum femineum essentiale generationi.

3° Oviductus, seu tubae *(eileiders,* 10-12 cm. long.), qui sunt bini canales qui communicant cum utero et per quos ova in illum descendunt.

Apud mulierem tres sunt praecipuae sedes voluptatis : primo et maxime clitoris; secundo, vagina usque ad uterum; tertio, papillae mamillarum, quarum excitatio excitationem genitalium etiam vehementem secum fert. Unde quamvis naturaliter maior sit pudor in muliere, quo retrahitur a luxuria,

1 Dimensiones ordinariae in statu normali differunt a virginibus ad multiparas, scii, a 60 mm. ad 68 mm. long, circiter; et a 38 ad 43 mm. lat.

maior tamen est satisfactio venerea, et ideo postquam luxuriosa facta est mulier, saepius ad libidinem magis est proclivis quam vir.

III. Evolutio organorum genitalium.

In fcetu ante finem tertii mensis nequit sufficienter distingui sexus, sed genitalia externa apparent eadem. Unde iam intelligitur falsam esse sententiam Aristotelis, quam secuti sunt multi scholastici, secundum quam fœtus masculinus animatur post 40, femininus post 80 dies : hoc enim tempore nondum sufficienter apparet distinctio sexuum. A medio tertio mense conspicitur punctum quoddam seu tuberculum genitale, quod indicat organum externum, inter duas plicas cutis quae medio surclo dividuntur inferius. Iam paulo antea duae sunt parvae glandulae internae, quae currente tertio mense incipiunt lente evolvi et fieri ovaria in femina, testiculi in masculo : hi enim ante nativitatem in abdomine reconduntur in regione lumborum sub renibus et inde a nativitate descendunt in scrotum; accidit tamen aliquando ut alterutur vel uterque non descendat et tunc manet rudimentarius *{ectopia, verplaatsing)*. Quarto vero mense ineunte distinctio sexuum incipit apparere in organo externo : in masculo pars superior seu punctum valde augetur et evolvitur in penem, dum in femina parvum manet et fit clitoris: pars inferior seu plicae in masculo augentur et iunguntur ut fiat scrotum, in femina magis resorbentur et ita fiunt labia vulvae.

A tempore pubertatis organa incipiunt fieri apta generationi. Testiculi incipiunt conficere semen (atque internam secretionem et zoospermata). licet non statim soleat esse prolificum. Quod tempus in nostris regionibus generatim transcurrit a 13-14 ad 16 annum; elaboratio seminis semel incepta per se tota vita perseverat, etiam in senectute, quamvis tunc non semper maneat prolificum.

Pubertas in femina est a tempore ovulationis, quae fluxu menstruo (mensis lunaris 28 d.), maturi ovuli decisionem sequente, revelari consuevit. Hic est fluxus sanguinis, quem a tempore pubertatis (apud nos a 12-13 ad 15 annum) usque ad 50 circiter annum feminae singulis mensibus patiuntur : singulis mensibus enim in ovariis maturescit ovum, saltem unum, quod ex ovariis decisum in uterum mulieris transfertur. Eodem tempore uteri partes interiores sanguine replentur ut ad fœtus evolutionem, si conceptio fiat, sanguis conferatur. Si vero ovum non fuerit fecundatum, sanguis et cum sanguine ovum

per vaginam posteriori tempore effluit. Qui fluxus vocatur menstruatio *{règles, lunes, menstrues, stonden, maandstonden)* et ordinario per duos vel tres, quandoque per plures dies perdurat. Aliquando valetudo mulieris postulat ut fluxus menstruus arte, ope scii medicamentorum, provocetur vel cohibeatur. Ab aetate autem 45-50 circiter annorum ovulatio et fluxus sanguinis cessant, et paulo post mulier non amplius est apta generationi sed fit sterilis [1]; — quod vocatur aetas reditus seu menopausis *(retour d'âge, âge critique, kritische tijd. de jaren, de keerjaren, de slechte jaren).*

Tempore pubertatis etiam mammae evolvuntur in femina, ita ut lac producere valeant; apud virum manent in statu rudimentario.

IV. Copulatio carnalis et fecundatio. Elementa *essentialia* fecundationis sunt sperma virile in quo zoospermata continentur, et ovulum femineum. Fecundatio postulat ut aliquod zoosperma ovulum penetret antequam, decisum ex ovario, per oviductum in uterum perveniat. Ad quod obtinendum requiritur physica coniunctio viri et mulieris seu carnalis copulatio *(copula, coitus, paring),* qua vir erectum penem in mulieris vaginam introducat ut in ipso aestu carnali semen ibi emittat et effundat. Quae copula, ut sit de se apta generationi, complectitur :

1" erectionem membri virilis, qua dilatetur et rigidum fiat.

2" eius in mulieris vaginam introductionem et penetrationem, unde vir sigillum virginitatis laedere et lacerare debet in virgine, quod semel laceratum non amplius redit *(defloratio virginis),*

3" ibidem i.n aestu carnali agitationem et contractionem membri virilis ac seminis effusionem. Cui in muliere ex aestu concupiscentiae respondet distillatio abundans et contractio vaginae; sed haec duo generationi non sunt necessaria.

Zoospermata, in vaginam introducta, in semine natant et motu vitali se movent ut ad interiores vaginae et uteri partes tendant, et uterus quasi sugendo attrahit liquorum spermaticum. ita obsecundans motui zoospermatum. Ex adverso ovulum ex ovariis decisum per oviductum descendit. Progressus ovuli est lentus (7-8 dies vel ultra), e contra motus zoospermatum relative rapidus est ita ut aliquot horarum spatio oviductum

[1] Similiter ablatio ovariorum supprimit fluxum sanguinis; item fecundatio. et interdum lactatio.

ingrediantur, ubi per plures dies (7-8 vel plus) vivere ac ovulum expectare possunt Quod si unum zoosperma ovulum maturum attingat, illud penetrabit et ex utriusque coniunctione fecundatio fiet ac generatio. Ex capite zoospermatis, et nucleo seu vesicula germinativa ovi, una fiet nova cellula protoplasmate ovi radiato circumfusa, quae est origo totius novi entis viventis[1].

Itaque carnali coniunctione revera vir et mulier ex duobus unum facti sunt, unam duabus similibus partibus actionem effecerunt, sicut quasi unum organum ex utroque corpore compositum est. Unum scilicet constituunt principium generationis et una caro[3] Ratione carnalis commixtionis non tantum membrum unius fit membrum alterius, sed vere una caro sunt : vir aliquid sui in mulierem deposuit, et mulier illud semen fecit suum, et semen, quod est aliquid viri, iam in possessionem venit uteri mulieris. Ita matrimonium vere et absolute est consummatum.

Quod si post copulam zoospermata ovulum penetrent, una caro erunt non solum in actu coniugii, sed et in effectu, in nova

1 Non ergo statim post copulam fecundatio fit, cum zoospermata per plures dies in corpore vivo mulieris vivere possint. Etiam post mortem se movent adhuc per 1 1/2 ad 2 dies. Stante temperatura 38-40° se ostendunt vivaciora; temperatura 20° sine motu apparent. Aqua *frigida* occiduntur; electrico fulgure enecantur. Liquores alcalini eorum motui favent; acidi iis nocent.

3 Unde iam sustineri nequit doctrina multorum Scholasticorum (inter quos Sanctus Thomas), qui asserebant elementum femineum in generatione esse *mere* passivum. Quamvis enim elementum masculinum active provocet et determinet transformationem ovuli ac conceptionem, et elementem femineum istam transformationem passive subeat, licet ad eam active videatur quadantenus concurrere, attrahendo caput zoospermatis; attamen utrumque eodem modo active concurrit ad formationem novi entis, viribus scii, vitalibus propriis.

3 « Erunt duo in carne una, i, e. per mixtionem carnalem una caro efficiuntur; et sic membra unius fiunt membra alterius... ex duobus fit unum (principium) In actu generationis » S. Thomas, *In I ad Cor.* VI, 16. Item Caietanus: in uno carnalis generationis principio *perfecto et iusto* (legitimo) ». Cfr. Vermeersch, o. c., p. 13. — Erronee quidam carnalem commixtionem intellexerunt mixtionem cum sanguine menstruo ; si enim nulla est menstruatio, tamen copulâ consummatum est matrimonium.

carne ex ipsis composita. Et ita perfecte consummatum matrimonium fit adhuc plenius consummatum

Notetur autem generationem stricte fieri posse sine penetratione vaginae, sed sufficere quod vir ad ostium vaginae deponat semen, quod tunc ob motum vitalem et attractionem vaginae potest subintrare. Sed ita *omnino raro* et per accidens fecundatio fieri potest; unde non sufficit ad copulam qualem natura eam instituit, et viri qui tantum id valent perficere et in vaginam penetrare non possunt, impotentes sunt ad copulam perficiendam et ad matrimonium contrahendum. A fortiori ad copulam non sufficit *fecundatio artificialis,* qua semen antea emissum arte quadam in vaginam vel uterum introducatur; quod insuper est graviter illicitum5.

V. Impotentia et sterilitas. Alla est impotentia coeundi seu copulandi, alia generandi. Prior dirimit matrimonium, quod consistit in mutua corporum traditione in ordine ad copulam carnalem, et ideo ut finem immediatum habet ipsam copulam : haec est impotentia ad ipsum matrimonium. Altera, impotentia generandi, non impedit ipsum matrimonium sed lautum finem ulteriorem principalem ad quem matrimonium institutum fuit : haec non est impotentia matrimonii, sed sola ciu.s sterilitas.

Aliis verbis : alius est finis primarius institutionis matrimonii. et est generatio, et alius finis rei institutae seu ipsius matrimonii, et est copula de se generationi apta : hic finis immediatus si attingitur, res ipsa valida est, etiam si per accidens impossibile est ut attingatur finis ulterior seu primario·. institutionis. Est autem copula carnalis de se generationi apt.i : *essentialiter* actus quo per penetrationem membri virilis in vaginam semen virile ibidem emittatur et deponatur. Unde quidquid illam copulam impossibilem reddit, absolute vel relativi·, constituit impedimentum impotentiae; quidquid copulam non impedit, sed solam generationem, non est impotentia, sed solum sterilitas. Hinc

' Iiinc enim erit strictissima carnis seu elementorum generationi inservlrnllum (seminis et ovuli) commixtio.

' In decreto S. O. 24 Martii 1897 agitur de fecundatione artificiali proprl·· dicta. Aliud esset si rite peracta copula et semine non ad ostium cpildrin .icd *in introitu* vaginae deposito, ibi, *quin ex vagina extrahatur,* rr< .illlgi'ietur et ope syphunculi profundius ad uterum traiiceretur. Sic enim in illo momento semen ordinatione sua ad finem generationis privaretui, unde id non videretur esse nisi adiuvare naturam.

A. Impotentia *(onverrnogen)* datur quotiescumque non adsunt organa expedita ad copulam carnalem, vel stante organo copula tamen est impossibilis; absoluta est vel relativa prout ad omnem vel ad aliquam tantum personam est. Unde

1) Apud virum impotentia est a) absentia penis; b) defectus utriusque testiculi vel eorum perfecta contusio aut atrophia [1]; c) vasectomia duplex seu resecatio utriusque canalis deferentis; d) disproportio penis; e) hypospadia[2] et epispadia qua meatus non in extremo sed in medio penis aperitur, sive ex parte inferiori sive ex parte superiori, ita ut semen non possit infundi in vagina; f) aphrodisia seu nimia caliditas, ex qua exaggerata excitatione semen ante copulam perditur, et anaphrodisia seu nimia frigiditas, qua erectio penis et expulsio seminis impeditur.

Tria priora faciunt impotentiam absolutam; quintum et sextum relativam; quartum facit alterutram. Sextum ordinario non reddit perpetuo impotentem; pro tertio disputatur an potentia restitui possit.

2) In muliere : impotentia est a) defectus vaginae aut ostii in illa, ita ut .nullatenus perforari valeat; b) nimia arctitudo; c) vaginismus, quo ex excessive excitatione vulva se occludit, penetrationem sufferre nequit, et copulam impedit.

In primo casu impotentia adest absoluta, in secundo relativa, in tertio alterutra .nec semper perpetua.

B. Sterilitas *(onuruchtbaarheid)* 1) in viro est absentia seminis *prolifici* quia, ob accidentalem et transeuntem causam aut obstructionem, semen hic et nunc zoospermatibus est destitutum, aut ob morbum testiculorum, vesiculae seminalis, uretrae, etc. zoospermata non satis vivacia sunt, vel nimis

[1] Qui utroque testiculo carent vocant ir *eunuchi* (cfr. Mt. XIX, 10 sq.). Alii sunt *spadones* qui ita sunt nati; alii *castrati,* qui arte humana testiculis vel etiam ipso pene fuerunt frustrati. « Spado seu qui eunuchus nascitur et ille qui infans castratus est verae copulae est incapax; qui aetate adulta utroque teste orbati sunt per aliquod tempus copulationis capaces manent, plerumque tamen per intervallum plus minusvc amplum, ipsam copulam iam exercere nequeunt. Testibus orbati privantur secretione interna qua energia copulandi cum effusione alitur, ita ut copula satiativa cum effusione et dein copulae facultate destituantur ». Ita Vermeersch, o. c.. n. 60 et 84.

[2] Notat De Smet. *De Matrimonio,* n. 551. nota 4. illum defectum aliquando curari sola mutatione situs in copulando.

celeriter pereunt, vel elemento necessario carent, aut ovulum penetrare non apta sunt.

2) In muliere est a) excisio perfecta utriusque ovarii aut perfecta eorum atrophia, ita ut nullum adsit ovulum; b) vitium aut turbatio organi qua ovulum maturescere nequit; c) impedimentum quo fit sive .naturaliter sive artificialiter, v. g. ex ligatione oviductus aut excisione uteri, ut nulla ovuli et spermatis sit possibilis coniunctio.

Ex quibus iam intelligitur id de quo tam late disputatum fuit : cur absentia testiculorum aut emissionis seminis in viro sit impotentia, dum absentia ovariorum vel ovuli in femina .non sit'. Quia nempe emissio seminis est de essentia copulae de se aptae generationi, ovulum autem non est elementum essentiale copulae, sed solius generationis.

VI. Animadversio. Ex praedictis patet tum zoospermata tum ovula esse cellulas viventes, praeditas proprio principio vitali, nec animatas anima humana; unde nullo molo possunt haberi ut partes vel organa corporis viri aut mulieris, licet in corpore sint locata. Quod valde notandum ad vitandas falsas quorumdam et pravas consequentias.

QUAESTIO SECUNDA.

De Castitate et Luxuria in Genere

Principia theologica.

I. Castitas affinitatem habet cum verbo « castigare », quia iuxta dictamen rectae rationis concupiscentiam reprimit vel refrenat quae maxime refrenari indiget. Est scilicet virtus moralis specialis, species temperantiae, quae ad honestatem

[1] Ita S. Off. 3 Feb. 1887; 23 iulii 1890; 31 iulii 1895; S. C. de Sacr. 2 April. 1909. Cfr. Vermeersch qui vindicat hunc esse legitimum sensum responsionum, ac adversariis respondet, o. c., p. 53-55.

inclinat moderandi appetitum sexualem et delectationem veneream. Haec delectatio percipitur in organo genitali et ordinatur ad generationem; unde vocatur venerea, quia deam Venerem huius delectationis praesidem faciebant gentiles.

Dicitur : 1° *Virtus specialis,* quia habet obiectum speciale concupiscentiam delectationis venereae moderandam. Unde appetitum sexualem immediate et per se respicit, alios sensus mediate et per accidens in quantum ad delectationem veneream excitandam concurrunt.

2° *Species temperantiae :* Haec moderatur appetitum sensitivum in illis quae maxime alliciunt; inter haec autem vehementiores sunt delectationes carnis in usu organorum genitalium; ergo virtus quae eas moderatur est species temperantiae[1].

3° *Quae ad honestatem inclinat moderandi appetitum sexualem :* Obiectum materiale habet appetitum delectationis venereae; obiectum materiale primarium (seu formale quod) est moderamen rectae rationis in delectatione venerea ponendum; obiectum formale quo est honestas specialis quae in voluptatibus carnis secundum normam rectae rationis moderandis consistit.

Castitati adnectitur pudicitia *(schaamachtigheid. eerbaarheid) :* illa ordinatur ad delectationes principales ipsius copulae, haec circa delectationes circumstantes quae magis apparent et signa sunt venereorum, v. g. aspectus, oscula, tactus, etc., de quibus homo maxime pudet coram aliis, quia magis solent deprehendi. Non est virtus realiter distincta, sed circumstantia castitatis in genere[2].

II. Delectatio est quies seu complacentia appetitus in bono praesenti seu possesso : quoties enim potentia humana obiectum proprium agendo attingit aut possidet, oritur in appetitu delectatio. Plures autem sunt potentiae humanae tendentes ad diversa bona, unde etiam variae oriuntur delectationes. Et quidem

a. spiritualis in voluntate ex possessione boni intellectualis seu spiritualis,

b. sensibilis in appetitu sensitivo et *solis* sensibus ex possessione boni sensibilis sibi proportionati,

1 S. Thomas, *Sum. Theol.,* II-II, q. 151, a. 2 et 3.

2 *Ib.,* a. 4.

c. carnalis seu sexualis et venerea in eodem appetitu sensitivo, ac etiam in organis genitalibus ex istorum exercitio vel usu, quae per se pertinent ad vires vegetativas. Cum autem potentiae humanae inter se intime connectantur, ideo saepe fit ut una delectatio aliam secum trahat, et sic oriuntur duae delectationes mediae inter tres delectationes praefatas. Unde quinque a theologis distinguuntur delectationes :

1° pure spiritualis est illa quae oritur vel ex cognitione intellectuali alicuius rei, v. g. dum quis gaudet de cognitione diu quaesita alicuius veritatis, vel oritur ex ipsa re cognita, v. g. si quis gaudet de Deo, aut de virtute, cuius pulchritudinem considerat. Est moraliter bona vel mala prout id quod placet est bonum vel malum, v. g. gaudere de cognitione existentiae Dei, vel de novo medio furandi aut alteri iniuriam inferendi [1].

2° delectatio spiritualis-sensibilis quae oritur ex vivaciore repraesentatione, praesertim ex visu vel tactu personae, tenere sed honeste, praesertim ob *qualitates spirituales,* amatae. Haec etiam delectatio per se in voluntate residet, sed tam vehemens est ut in appetitum sensitivum redundet, et coniungatur cum commotione cordis et sanguinis [2]. Talis delectatio comitari solet amorem matris in filium, sponsi in sponsum, amici in amicum. Per se seiungitur a delectatione carnali et ideo ex hac parte est moraliter indifferens.

3° delectatio mere sensibilis est illa quae ex alia re sensibili quam ex venerea oritur. Est scilicet grata et amoena affectio quae in ipsis organis sensuum percipitur ex conformitate seu proportione obiecti sensibilis cum sensu, verbi gratia ex visu

[1] Vocatur pure spiritualis, ratione facultatis, non ratione obiecti, nam « omne quod concupiscimus secundum naturam, possumus etiam cum delectatione rationis concupiscere sed non e converso » (S. Th., I-II, q. 31, a. 3). Unde etiam potest esse de obiecto sensibili vel venereo: de quo vide I-II, q. 31, a. 3, 4, 5; cfr. q. 34, a. 1. — Delectatio spiritualis *de se* sequitur naturam amoris rationalis, unde per se est bona vel mala secundum obiectum. A S. Thoma vocatur delectatio *intelligibilis* (q. 31, a. 5), delectatio *rationis* seu quae *consequitur rationem* (a. 3). Hinc, ad differentiam delectationis sensibilis, nequit aliquis agere ob solam delectationem spiritualem : haec enim per se iungitur bono honesto vel Inhonesto.

[2] A Sancto Thoma vocatur delectatio spiritualis cum redundantia in appetitum inferiorem (I-II, q. 31, a. 5).

aut tactu rei quae placet, aspectu rei pulchrae, tactu rei blandae, gustu cibi sapidi Per se est absque commotione venerea et ideo talis delectatio per se est indifferens. Si quaeritur iuxta ordinem naturae, i. e. *cum* suo et *ob* suum finem naturalem, est bona, v. g. quando cibus et potus ita sumuntur cum delectatione gustus; si autem delectatio avertitur a fine proprio vel si quaeritur propter seipsam, est mala.

4° delectatio sensualis seu sensibilis-carnalis : est delectatio de se mere sensibilis, quia ex re mere sensibili non venerea oritur, quae tamen apta est ad delectationem veneream excitandam, v. g. aspectus, tactus, osculum, colloquium mere sensibile personae ob pulchritudinem *affectu sensitivo* amatae. Haec delectatio tota per se residet in appetitu sensitivo; vehementior tamen coniuncta est cum commotione cordis et sanguinis, et tunc facile excitat commotionem carnalem et in appetitum venereum redundat. Talis delectatio, si ratione agentis involvit proximum periculum consentiendi appetitui inordinato venereo, est peccatum ex genere suo grave; si non habetur tale periculum, nec ex alia parte adest ratio plene excusans, uti mos patriae, amicitia non sensualis sed rationi conformis, etc., est peccatum leve.

5° delectatio venerea seu carnalis[2] vel genitalis quae oritur ex commotione organorum et humorum generationi inservientium : ex natura sua est actus appetitus sensitivi cui placet sensus voluptuosus seu delectabilis immutatio in organis genitalibus existens. Consistit pro viro in delectabili erectione[3] penis et eiusdem agitatione quae semen profundit, pro femina

1 A Sancto Thoma vocatur delectatio *sensibilis* vel animalis *secundum cognitionem,* I-II, q. 31, a. 5 et 6.

2 Delectatio quae in cibo et potu capitur, non quidem ex gustu, sed ex ipso tactu ciborum aut potuum etiam est corporalis, et ideo cum S. Thoma potest vocari *carnalis,* quia in tactu corporis perficitur (I-II. q. 72, a. 2). Haec tamen delectatio praesentem materiam non respicit, et ideo In praesenti sumimus delectationem carnalem sensu magis stricto pro sola delectatione ex tactu venereo (ibid, ad 4um). Utraque delectatio carnalis a S. Thoma dicitur sensibilis *ratione utilitatis,* scii, ad conservationem naturae animalis; perficitur In tactu (I-II. q. 31, a. 6).

3 Ab erectione venerea et delectabili distinguenda est erectio pure naturalis et quasi mechanica ; illa est ex phantasia venerea vel cum voluptate; haec ex causa mere physica oriri solet et sine ullo voluptatis sensu habetur. Cfr. v. g. Aertnijs, *Th. Mor.,* I, n. 219; Vermeersch, o. c., n. 28.

in delectabili erectione clitoridis et in vaginae contractione cum distillatione. Non ergo omnis genitalium delectatio est venerea : potest enim et in iis percipi delectatio mere sensibilis; sed illa sola venerea est, quae hisce organis est propria et in iis tantum percipi valet. Haec est *propria materia* castitatis et luxuriae.

Est autem duplex : completa, perfecta seu consummata, et incompleta, imperfecta seu inchoata, prout usque ad ultimum terminum naturalem actus procedit et naturam satiat, vel ex commotione carnali oritur quae ad ultimum terminum non procedit et naturam non satiat.

Haec delectatio itaque secundum rectam rationem ordinata et refroenata est obiectum castitatis: inordinata et irrefroenata est obiectum luxuriae. Indebite, sive eam delectationem realiter quaerere, complete aut incomplete, sive cogitando eam sibi repraesentare et mente in ea complacere, est luxuria.

III. Castitas in aliis moderatur, in aliis excludit delectationem veneream, ratione diversi status: hinc distingui solet triplex :

1° iuvenilis, quae ab omni delectatione venerea abstinet usque ad tempus nuptiarum:

2° coniugalis, quae moderatur appetitum voluptatis sexualis in coniugibus et excludit quidquid illicitum est in usu matrimonii;

3° vidualis, quae post dissolutum matrimonium ab omni carnali voluptate abstinet, sive in perpetuum sive ad alteras nuptias.

Ratione autem modi quo servatur, distinguitur imperfecta, quae abstinet tantum a voluptatibus carnis illicitis, et perfecta, quae abstinet ab omnibus delectationibus etiam in matrimonio licitis.

IV. Virginitas duplici sensu accipitur :

1° sensu quasi physico significat solam integritatem carnis seu organi genitalis, quae amittitur in viris per voluntariam pollutionem seu effusionem seminis, in feminis per voluntariam effractionem membranae hymen seu claustri virginalis[1],

[1] Quia hymen illud etiam a natura potest deesse et non semper in primis copulis frangitur eo quod aliquando membrana tam elastica et

quae fit per copulam carnalem cum viro vel per alium tactum.

Hoc sensu virginitas non est virtus sed bonum naturae a nativitate omnibus inditum; speciatim vero feminae vocari solent virgines, quia ipsae solae signaculo virginitatis a natura donatae sunt. Sic ergo virgo est mulier quae nunquam copulam habuit, quamvis actibus internis vel externis solitariis contra castitatem peccaverit. Pariter manet virgo illa quamdiu servatur carnis integritas, quamvis ad nuptias deinde transire intendat.

2° sensu morali, virginitas seu castitas viriginalis est virtus quae significat firmum voluntatis propositum servandi integritatem carnis, et ab omnibus delectationibus venereis tum illicitis tum licitis perpetuo abstinendi in subiecto per libidinem nunquam corrupto. Hoc sensu virginitas a castitate perfecta eo differt quod integritati carnis coniungitur, dum castitas perfecta etiam ab illo servari potest qui antea libidine iam corruptus fuit. Itaque duo ad virginitatem pleno sensu acceptam requiruntur : a. *carnis integritas,* quod est virginitatis elementum materiale; consistit in voluntaria immunitate a delectatione carnali completa seu satiativa et in voluntaria conservatione claustri virginalis; b. *voluntatis propositum,* quod est virginitatis elementum formale : sine hoc proposito servandi perpetuo castitatem, nec proprie virtus nec virtutis praemium accidentale (aureola) haberi potest[1].

Secundum Sanctum Thomam[2] virginitas est virtus *specialis* a castitate communi distincta, quia habet excellentiam specialem. Dicitur a *virore* quia importat immunitatem a corruptione seu concupiscentiae adustione circa delectationes venereas; et differt a castitate quia non solum ab illicitis sed ab omnibus delectationibus venereis abstinet et ideo *proponit* castitatem iuvenilem perpetuo servandam.

Corruptio autem triplex esse potest : a. corporalis tantum, id est involuntaria[3] fractio sigilli virginalis vel involuntaria

mollis est ut permittat introductionem penis quin laceretur, ideo quidam claustrum virginitatis in quadam contractione et compressione ponunt qua partes orificii vaginalis constringuntur donec carnali copula dilatatae sint. Nos autem sequimur sententiam communem.

1 De notione virginitatis cfr. S. Thomas, II-II, q. 152, art. 1; de aureola ipsi promissa, Suppi., q. 96, art. 5.

2 II-II, q. 152, art. 3.

3 Causae variae assignantur : saltus, equitatio modo virorum, casus, conatus primi menstrui, ulcera, etc.

resolutio seminis; b. corruptio solius mentis, id est consensus in rem veneream sine opere, sive fiat delectatione venerea incompleta, sive revocatione propositi; c. utraque simul, scilicet voluntaria delectatio completa, vel voluntaria seu libidinosa fractio sigilli virginitatis.

In tertio casu amittitur virginitas irreparabiliter, in secundo reparabiliter, in primo nullo modo.

V. Luxuria est appetitus, id est amor et usus, delectationis venereae inordinatus; inordinatus autem est si, extra usum legitimum in copula coniugali et in actibus ad illam disponentibus, delectatio quaeratur. Delectatio scilicet sicut et usus genitalium ex natura sua essentialiter ordinatur ad propagationem generis humani. Haec autem debito modo fieri non potest nisi in unione matrimoniali permanente, quae ad rectam educationem prolis omnino est necessaria. Ergo appetitus et usus venereorum est inordinatus si quaeratur : *primo,* sine ordine ad actum coniugii legitimum; *secundo,* in isto actu, sed modo illegitimo et indebito, praeter regulas natura et ratione praescriptas.

Ratione modi quo fit, luxuria alia est : A. mere interna, quae consistit in solo affectu vel desiderio delectationis aut usus venereorum, et prohibetur a nono decalogi praecepto; B. alia est etiam externa, quae fit cum usu et commotione organorum genitalium, et prohibetur a sexto praecepto; haec autem potest esse

1° completa, perfecta et consummata, si actus exterior usque ad naturalem suum terminum, id est satiativam delectationem, perducitur, sive a. sit naturalis seu iuxta naturam et actus sit aptus ad finem suum naturalem generationis obtinendum, uti fornicatio, adulterium, incestus: sive b. sit innaturalis seu contra naturam et actus non sit aptus ad finem suum naturalem, sed hic reddatur impossibilis, uti pollutio, onanismus, sodomia;

2° incompleta, imperfecta et inchoata est, si actus exterior ad terminum suum naturalem non perducitur et ultimum terminum delectationis satiativae non attingit. Haec se habet ad completam ut initium ad terminum, medium ad finem, inchoatio ad consummationem, et ideo non tam dicitur luxuria quae versatur circa ipsam delectationem copulae, sed potius impudicitia circa delectationes circumstantes.

Ratione diversae intentionis voluntatis qua luxuria committitur, ac proinde diversae gravitatis et imputabilitatis,

1° alia est directe et in se volita, quando quis ipsam delectationem veneream intendit et procurat propter seipsam;

2° alia est voluntaria in causa, quando quis voluntarie causam ponit quae delectationem veneream procurat, quin istam in se velit et intendat;

3° alia est indirecte voluntaria, quando aliquis delectationem veneream nec intendit nec procurat, sed involuntarie ortam non impedit dum impedire eam possit et debeat.

De quarum gravitate extra matrimonium nunc est dicendum.

VI. Omnis luxuria extra matrimonium directe et in se voluntaria, sive completa sive incompleta, etiam minima, est mortaliter mala, et non admittit levitatem materiae

Probatur : 1° Res est evidens pro luxuria completa : usus genitalium essentialiter destinatur ad propagationem generis humani per copulam coniugalem. Ergo omnis talis usus extra matrimonium est inordinatus, et quidem ita ut sit directe contra maximum bonum commune societatis, scilicet eius conservationem et debitam propagationem. Hoc autem est res maximi momenti, et ideo inordinatio est ex se et semper gravis. Quod si non esset, parum curarent homines de matrimonio ineundo.

Porro specialis difformitas in eo est, quod actio et delectatio maxime necessariae ad bonum commune ac bono speciei immediate destinatae, ad delectationem quaeruntur personalem, et ad individuum referuntur; et ita ad bonum individuale ordinatur quod ad solum bonum speciei immediate spectat. Quae magis patebunt ex infra dicendis de pollutione et fornicatione. et ex iis quae hic sequuntur.

2° Idem valet de luxuria incompleta etiam minima, dummodo sit in se volita. Ratio generalis est, quia cuique impossibile est quaerere delectationem veneream incompletam quin implicite quaerat et velit completam, et eius deordinationem incurrat, vel affectum ad completam luxuriam habeat. Etenim:

1 Cfr. Q. D. XV de Malo, a. 2, ad 16 et 17: Q. D. XV de Verit., a. 4, et ad 8: I-II, q. 74, a. 8; IUI, q. 153, a. 3, et q. 154, a. 4.

Omnis actus venereus qua talis habet naturalem ordinem ad copulam coniugalem seu ad actum perfectum legitime in matrimonio exercendum, cuius est .naturale initium et praeparatio. Atqui omnis delectatio venerea extra matrimonium quaesita tollit ordinem istum et in bonum individuale ordinat id quod bono speciei destinatur. Ergo omnis delectatio venerea extra matrimonium quaesita indebite ad bonum individuale tendit et tollit naturalem ordinem ad speciem humanam. Sed talis inordinatio est intrinsece et graviter mala, quia est inversio ordinis naturalis qua actus speciei quasi opus singularis hominis exercetur, et quantum ad maximum bonum : conservationem societatis, subordinatio violatur qua homo qui est pars speciei sub specie constituitur; qui ordo, quia hac in materia ipsi societati humanae est omnino necessarius, sub gravi est servandus. Ergo omnis actus venereus extra matrimonium quaesitus est intrinsece et graviter malus.

Vel aliter : In fornicatione et pollutione adest grave peccatum quia actus et delectatio bono speciei destinata ad individuum referuntur. Atqui idem est in luxuria imperfecta, directe et in se voluntaria. Ergo in illa est peccatum mortale. Prob. minor : Qui voluntarie ponit ac directe et in se vult initium, in affectu iam vult complementum, non exequendum, sed habet affectum ad illud[1]. Sed luxuria imperfecta et delectatio venerea incompleta ex natura sua sunt initium luxuriae consummatae et delectationis completae. Ergo qui voluntarie ponit ac directe et in se vult luxuriam imperfectam, habet affectum ad luxuriam completam, et ita peccat mortaliter.

Unde in quacumque materia etiam minima, semper est eadem laesio ordinis naturalis, societati omnino necessarii, et integra ratio deordinationis[2].

1 Fundatur in principio S. Thomae, I-II, q. 1, a. 6, quod « semper inchoatio alicuius ordinatur ad consummationem ipsius »; unde qui vult inchoationem, eo ipso implicite et necessario vult consummationem, sicut qui vult bonum participatum, eo ipso vult illud « ut tendens in bonum perfectum ».

2 *De* hac re videri possunt Caietanus, Ill. Waffelaert et P. Vermeersch. Argumentum nititur in principiis generalibus quibus dignoscitur peccatum mortale et veniale. Mortale est contra charitatem; unde cum societas humana sit medium homini necessarium ut perveniat ad finem suum, id omne quod directe est contra societatem, seu *contra id sine quo ista subsistere non possit,* est etiam contra charitatem quae nos unit Deo fini ultimo. — Aliis verbis: medium ad finem, a Deo homini imposi-

Confirmatur : a) secundum S. Thomam delectatio adnexa est actui propter ipsum actum; unde consensus in delectationem est eiusdem malitiae ac consensus in actum : si opus vetitum sit, et delectatio operis eodem modo prohibetur. Atqui consensus in actum completum luxuriae extra matrimonium est peccatum mortale. Ergo et quicumque consensus in delectationem huius actus. Sed omnis delectatio venerea per se ordinatur ad copulam seu actum completum cuius est inchoatio, ut dictum est, et ita est delectatio actus completi, quia semper est eiusdem rationis[1] Ergo omnis delectatio venerea propter se quaesita est peccatum mortale. « Si consensus in delectationem fornicationis cogitatae est peccatum mortale, a fortiori consensus in delectationem fornicationis inchoatae, seu consensus in delectationem quae est principium aut pars delectationis fornicariae » Caietanus in II-II, q. 154. art. 4.

Et sane nemo delectatur nisi de eo quod videtur ipsi bonum et appetitui suo conforme; qui ergo delectationem quaerit operis mortaliter mali illud ut sibi bonum habet, ac proinde eius affectus in opus mortaliter malum tendit. Et sic peccat

tum est ut *ordinem* rerum naturalem servet quantum ad Deum, ad proximum, et in seipso; ergo omnis substantialis violatio ordinis est materia gravis. Et quidem lex naturae non mere sonat : damnum proximi vel societatis evita, sed potius : serva ordinem ne damnum oriatur. Luxuria autem, ex natura sua, violat naturalem ordinem rerum, quia actus speciei ut actus individualis exercetur, et ad bonum individuale ordinatur id quod ad solum bonum societatis destinatur eiusque conservationi et propagationi est necessarium. Ergo est directe contra societatem, modo quo supra dictum est.

Multi efficaciam huius argumenti in dubium revocant; inter quos est Billuart, de Temp., diss. 5, a. 2, qui ad illud evertendum multa exempla profert in contrarium. Sed ista non sunt ad rem, quia in iis agitur de delectatione mere sensibili voluntarie quaesita; aut si comitetur delectatio carnalis, haec non directe et in se, sed solum in causa, est voluntaria. — Alii obiiciunt mendacium esse essentialiter violationem ordinis, nec esse mortale. At ordo quem laedit luxuria est insuper necessarius societati. Ex hoc itaque, quod ordo naturalis violatur, luxuria est intrinsece mala; ex hoc quod ordo violatur *necessarius* et *essentialiter debitus* ipsi *societati,* est graviter mala.

Argumentum nullo modo valet ostendere alias delectationes, etiam propter se quaesitas, esse peccatum mortale, quia non sunt propriae actus genitalis, ac proinde ordinem essentialem ad speciem non attingunt.

1 Quod et ipse Billuart, diss. 6, a. 16, agnoscit : « Delectatio eiusdem rationis est, ait, cum ea quae est in copula, ad quam per se tendit ».

mortaliter, quia deliberate vult ut affectus eius sit conformis operi mortaliter malo [1].

[1] Ita S. Thomas, locis citatis, praesertim I-II, q. 74, art. 8. Nequit autem obiici S. Thomam ibi solum docere consensum morosum in delectationem completam actus consummati esse peccatum mortale. Hoc in casu enim ageretur de sola delectatione cogitata spiritualiter, non de delectatione in organis genitalibus realiter experta, cum delectatio completa in organo genitali percepta nequeat haberi sine exercitio completo actus genitalis et luxuria consummata. E contra Sanctus Thomas

a. nomine delectationis morosae intelligit etiam, « quando (ratio) non reprimit illicitum passionis motum; sicut cum aliquis, postquam deliberavit quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur et ipsum non expellit » (I-II, q. 74, art. 6), seu « quando inordinatus actus inferiorum virium... post deliberationem non coercet » (a. 5. Cfr. Q. D. de Verit. XV, a. 4, ad 10).

b. Suam doctrinam applicat actibus luxuriae imperfectae, quos a fortiori habet ut peccata mortalia : « Dictum est supra (I-II. q. 74. art. 7 et 8| quod consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale et non solum consensus in actum. Et ideo cum fornicatio sit peccatum mortale et multo magis aliae species luxuriae, consequens est quod consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale, et non solum consensus in actum. Et ideo cum oscula et amplexus huiusmodi propter delectationem huiusmodi fiant (non dicit, ut animadvertit Ill. Waffelaert post Caietanum : cum aut quando fiunt, quia natura sua habent ut ita fiant; sed, cum fiant, scii, nata sint fieri), consequens est quod sint peccata mortalia ». Eamdem conclusionem ex eodem principio deducit Q. D. de Verit. XV, art. 4 : « Ex quo sequitur quod quidquid homo agit ex consensu talis delectationis ad hoc ut huiusmodi delectationem nutriat vel teneat, sicut sunt turpes actus vel libidinosa oscula vel alia huiusmodi, totum est peccatum mortale ». Unde ad obiectionem : Actus luxuriae sunt tactus, amplexus et oscula. Sed huiusmodi non videntur esse peccatum mortale; respondet Q. D. de Malo XV, art. 2, ad 18 : « Tactus, amplexus et oscula in quantum ordinantur ad actum fornicationis consequuntur consensum (in fornicationem); in quantum ordinantur ad solam delectationem, consequuntur consensum in delectationem quae est peccatum mortale. Et ideo utroque modo sunt peccata mortalia ». Iamvero in actibus istis quaeritur delectatio non cogitata, sed actu percepta et incompleta. Ergo, secundum S. Thomam, omnis delectatio est specifice (complete vel incomplete) delectatio fornicationis aut pollutionis, et ideo per se quaesita ob delectationem peccati mortalis. Hinc

c. Sanctus Thomas expresse docet quamcumque delectationem luxuriae (extra matrimonium) esse peccatum mortale, scii, in Q. D. de Malo XV, art. 2 : *Utrum omnis actus luxuriae sit peccatum mortale;* quam doctrinam

b) Ob vehementiam concupiscentiae carnis et fragilitatem hominibus communem, moraliter impossibile est concupiscentiam inter certas limites continere; unde ipse consensus in minimam delectationem constituit periculum proximum consentiendi ulteriori delectationi et actui completo'. Ergo et talis consensus in minimam delectationem est peccatum mortale. Unde etiam si opinio tenens dari parvitatem materiae in luxuria directe et in se volita esset speculative probabilis, practice tamen improbabilis esset; et haec videtur esse ratio cur propositio 40a damnata fuit ab Alexandro VII ', quia falso supponit osculum habitum ob delectationem carnalem, id est veneream, non inducere periculum consensus in actus graviores.

Igitur omnis luxuria quae propter se quaeritur extra matrimonium, eo ipso *directe* adversatur *fini primario* naturae et *praecepto primario* legis naturalis, et ideo est peccatum grave.

VII. Subterfugium nuperrime quaesierunt quidam moderni, dicentes : solum actum consummatum esse ex se graviter malum, actus vero imperfectos *ex se* esse veniales, et solum mortales per accidens, sive ob intentionem seu affectum, sive ob periculum ulterioris consensus, sive ob scandalum'. Introducunt scii, novum membrum in distinctionem variarum

applicat luxuriae internae (ad 16) et actibus imperfectis (ad 18). Supponit scii, omnem delectationem luxuriae esse eiusdem speciei et, hac ratione, semper mortalem.

1 Argumentum innuitur a S. Thoma. Q. D. de Verit. XV, art. *4,* qui de opinione contraria quorumdam antiquorum scribit : « Isti opinioni contradicit communis opinio modernorum (tempore s. Thomae) et videtur in periculum animarum vergere, cum ex consensu in talem delectationem homo in peccatum *promptissime* incidere possit ».

' « Est probabilis opinio quae dicit esse tantum veniale osculum habiium ob delectationem carnalem et sensibilem quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis ». Hinc in deer. S. Off. 4 Fcbr. 1611 legitur: « Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae... »

* Id prius solum mente cogitabant vel et occulte nc subdole spargebant; nunc autem et scriptum aliquod iam edi potuit quod hanc doctrinam defendat ; *Quaedam moralia quae e.v doctrina D. Thomae selegit* P. A. LaaraKKERS, O. S. Cr. (1928). Sed, cum ab episcopis Neerlandiae ad S. Officium fuerit delatum, responsum fuit ad arch. Ultraiectensem « ipsum opusculum esse n commercio retrahendum » (1 inaii 1929), rogando simul dictum archicpiscopum ut de exeeutione decreti suo tempore S. Officium certius facere velit.

delectationum, ac inter delectationem sensibilem vel et sensualem, ac veneream quae est satiativa, ponunt mediam, quam vocant *sexualem*", ac si natura, non solo gradu, a venerea distingueretur.

Haec tamen theoria 1) est doctrina nova. Licet olim quidam theologi affirmaverint levitatem in materia luxuriae — quorum plures tamen solo modo dicendi a nobis recedunt[2], — nullus, quod sciamus, hucusque docuit *omnem* delectationem imperfectam *de se* esse venialem, sed omnes habuerunt motus carnales graviores ut mortales. Novitas autem, non quidem in sola quadam principiorum applicatione, sed in ipsis principiis theologicis semper suspecta est; qualis est ista : actus luxuriae imperfectos de se .non esse mortales.

2) Experientia physiologica unusquisque sentire valet delectationem veneream imperfectam eiusdem esse speciei ac perfectam : in una et eadem linea invenitur et physiologice est eiusdem naturae. Unde ad eam non se habet tamquam medium separatum et mera dispositio extranea ad terminum extrinsecum, sed ut inchoatio ad consummationem, ut initium motus qui intrinsece tendit et porrigere conatur usque ad terminum proprium, et ut pars operis consummati.

3) Ceterum omnis delectatio sexualis, *in quantum sexualis,* essentialiter et exclusive ordinatur et dirigitur (sicut ipse sexus) ad generationem et ad delectationem completam satiativam; et ideo impossibile est, ex ipsa natura physica actus, velle et quaerere imperfectam, quin affectus implicite tendat ad perfectam et eam quaerat. Unde falsum est quod « motus incompleti... tantummodo... sunt praeambula; actum generationi? tantummodo remote, mediate, accessorie attingunt... et ad illum nonnisi *accidentaliter* pertinent' ». E contra ad illum dicunt ordinem essentialem.

4) Hinc eadem ratione sunt mortales ac actus luxuriae completae, dummodo sint directe et in se voluntarii : semper enim implicite includunt affectum ad actum completum.

Opponere forsitan cogitant :

1 Ita in dicto opusculo, p. 49 et 50.

' Plures id dixerunt de luxuria voluntaria in causa, vel de delectatione sensibili aut sensuali.

• Ita in dicto opusculo, p. 62.

a) Actum humanum tendere in obiectum ut a ratione proponitur : ratio autem potest abstrahere a delectatione completa, imo voluntas eam excludere.

Resp. Non valet excludere, quia delectatio consummata necessario appetitur implicite ab illo qui eius inchoationem quaerit quae ad consummationem ex natura sua necessario tendit. Abstractio intellectus et intentio voluntatis non valent mutare naturam rerum.

Sicut ergo vere superstitiosus manet ille qui, daemonis interventum excludere intendens, vanis utitur mediis quae sine daemonis intervenu effectum habere non possunt, cum ita implicite et necessario eius interventum quaerat et ita contra suam intentionem agat : ita qui, delectationem completam volens excludere, appetit incompletam, agit contra intentionem suam : eo ipso enim implicite et necessario appetit completam, non ut exequendam sed ut delectabilem, quia incompleta non est appetibilis nisi ut initium et pars delectationis completae, ac proinde nisi ratione delectationis completae.

b) Furtum admittere levitatem materiae, et tamen leve furtum disponere ad grave; item iram et invidiam esse aliquando leves et tamen esse viam ad homicidium.

Resp. Leve furtum non est inchoatio furti gravis, sed actus in se completus et consummatus et a furto gravi perfecte distinctus; nec immediate ad illud disponit, sed mediante habilitate actibus repetitis causata. Item ab homicidio ira et invidia perfecte distinguuntur, imo specie completa, ita ut solum sint occasio aut causa, nullo modo inchoatio aut pars ipsius homicidii.

c) Ob voluptatem potus inebriari est mortale; et tamen ex voluptate bibere vi.num cum levi excessu non est nisi veniale; ergo a pari de voluptate luxuriae.

Resp. Ebrietas secundum se non est graviter mala, ratione voluptatis quae in potu indebite quaeritur, sed solum quia adnexam habet privationem usus rationis. E contra luxuria, qua voluptas bono speciei reservata ad bonum individui exclusive refertur.

d) Virtutes morales quae versantur circa passiones admittunt materiae levitatem; ergo et peccata opposita, ac proinde luxuria.

Resp. Castitas et luxuria non solum versantur circa passiones, sed etiam ordinem dicunt immediatum ad bonum

commune et ad iustitiam. Bonum autem speciei humanae et societatis est materia gravis, et ideo luxuria est graviter mala. Nihilominus admittit levitatem materiae, in matrimonio, quando servato fine primario debitae propagationis, peccatum committitur contra solum modum debitum in usu genitalium. Extra matrimonium autem directe opponitur ipsi primario fini genitalium, et hac ratione directe et propter se quaesita est semper gravis.

Nullam itaque seriam aut solidam probabilitatem huic novae opinioni agnoscere possumus.

VIII. Luxuria voluntaria in causa ex qua praevidetur sequi, tantum est peccatum quantum causa prout in eam influit. Unde est peccatum grave ex genere suo, quod admittit levitatem materiae.

Probatur : In delectatione venerea in causa volita, consensus voluntatis fertur tantum in causam quae delectationem provocat; ergo tantum est malus quantum ipsa causa. Unde malitia determinanda est ab *influxu* in delectationem Veneream, et praeterea videndum est num forte habeatur iusta et proportionata ratio ponendi causam propter effectum bonum et permittendi effectum malum.

Iam sunt actiones quae turpem motum causant per *se,* aliae per *accidens,* secundum quod natae sint illum causare; aut e contra causare .non sint natae quamvis tamen illum causare possint. *Per se* illum causant actiones quae natura sua aptae sunt ad excitandam delectationem veneream, et sic ad generationem ordinantur v. g. turpis aspectus, tactus aut imaginatio. Porro harum actionum aliae *proxime* et *notabiliter* in illum effectum influunt, ex quibus scilicet semper aut fere semper turpis effectus sequitur, v. g. tactus repetitus in partes obscenas alterius personae[1]; aliae *remote* et *leviter* tantum in motum turpem influunt, ex quibus proinde raro malignus effectus oritur, v. g. tactus in partes inhonestas proprii corporis obiter

[1] Actiones graviter excitantes, secundum Lehmkuhl, *Th. M.,* I, n. 864, sunt : « cogitatio practice vivacior de venereis; tactus in partes obscenas alterius personae exercitus, nisi forte prorsus transeunter fiat in persona eiusdem sexus sine pravo affectu; aspectus personae plane nudae alterius sexus voluntarie continuatus; imo etiam aspectus viri in pectus nudum feminae aut aspectus picturae obscenae, saltem si continuatur commotione iam exorta ».

factus Quarum influxus etiam *relative* spectandus est quia *ex natura sua* aliquatenus pendet a varia inclinatione et dispositione subiecti, ut aetate puerili, iuvenili vel senili, affectu vel habitu animi, complexione calida vel frigida corporis; unde aliquae causae sunt vehementiores respectu talis personae, quae leves sunt respectu alterius, v. g. aspectus continuus personae nudae eiusdem sexus, tactus continuatus proprii corporis.

Per accidens motum turpem causant actiones quae ex se ad generationem nullo modo pertinent et sunt extra genus impudicitiae, v. g. immoderate comedere aut bibere, balneo uti, equitare, certo situ sedere vel cubare, aspectus vel tactus in partes honestas ob solam delectationem sensibilem exercere. Imo sunt homines qui ex actionibus quae ad rem veneream nullatenus referuntur, occulta vi vehementer excitantur. Causae per accidens illis actionibus accensentur quae remote et leviter in effectum turpem influunt, etiam si quandoque graviter influant, quia id non ex natura sua sed ex interventu alterius causae procedit, v. g. ex subiecti infirmitate, consuetudine, obsessione, debilitate, hereditate, etc.[s]

[1] Actiones leviter excitantes, secundum Lehmkuhl (ibidem) sunt: « tactus vel aspectus in partes inhonestas proprii corporis obiter facti; tactus feminae non inhonestus obiter factus et levis; apprehensio manus illius; osculum leve ex causa honesta; colloquium vanum cum femina; aspectus pectoris non fixus; a fortiori alii leviores aspectus ».

' Ex praedictis conciliari possunt sententiae quae primo aspectu videntur oppositae, dum alii influxum causae e dispositione agentis determinandum esse negant, alii e contra id affirmant, aut principaliter ex natura causae, secundario ex dispositione agentis pendere asserunt.

Ait v, g. Noldin, o. c., n. 35 : « Qui propter peculiarunt dispositionem atque infirmitatem frequentes pollutiones patitur ex actionibus licitis in se, quae natura sua leviter tantum in eas influunt, non tenetur ab illis actionibus abstinere, modo exclusus sit consensus in delectationem: utitur enim in illis ponendis iure suo ». Id scii, valet de causis per accidens, non de causis per se.

E contra Génicot, *Th. M.*. I, n. 377 : « Ad determinandum quaenam causae graviter, quaenam leviter influunt, *principaliter* attendendum *ad naturam* causae; secundario ad *dispositionem agentis.* Utrum causa graviter vel leviter *natura sua* influat saepe sat facile cuique apparet. At in multis casibus res non ita patet: in his praesertim attendendum erit ad conditionem ex dispositione agentis. Influxus enim earumdem causarum plurimum minuitur vel augetur pro aetate, complexione, phantasiae vi,

Quibus positis dicimus :

a. Mortale peccatum est *sine sufficienti* ratione ponere causam per se *proxime* seu *graviter* influentem in motus carnales vel delectationem veneream, etiam si ista per accidens non sequantur, v. g. lectio valde obscena, diuturnus tactus vel aspectus partis inhonestae; excipitur unus casus quo quis experientia sua *certo* sciat se eiusmodi actione graviter non commoveri.

Practice tamen ad peccatum mortale saepius requiruntur duo : 1m ut causa influat *in motus graves,* i. e. vehementes, vel satis proxime disponentes ad pollutionem, aut magnam causantes delectationem : cum enim motus leves et transitorii sint frequentissimi, horum omnium vitare causas valde molestum esset, imo moraliter impossibile, nec proinde sub gravi urgendum, quia saepe adest ratio *quadamtenus* excusans, non a toto scii, sed a tanto: 2m insuper, ut causa in istos motus graves *proxime seu graviter influat.* Bene igitur notat S. Alphonsus [1], etiam ipsam pollutionem non esse mortalem nisi proveniat ex causa per se *mortali in genere luxuriae* vel impudicitiae. Debet esse *mortalis,* quia cum pollutio non sit volita in se sed tantum in causa, eo gradu mala erit quo mala est ipsa causa i. e. *quo mala est causa in quantum est causa* seu in quantum influit; omnis autem et sola causa quae de se graviter influit in motus sub gravi prohibitos, nisi adsit ratio excusans effectus boni qui malum compenset, est mortalis in quantum est causa. Debet *esse in genere luxuriae,* quia secus non graviter sed leviter tantum in pollutionem influeret, v. g. ebrietas aut esus carnis immoderatus.

b) Veniale est peccatum *sine iusta causa* ponere actionem *leviter* vel *remote* aut *per accidens* influentem in motus etiam vehementes et delectationem veneream completam, modo ista

educatione, gradu virtutis, consuetudine res turpes audiendi, videndi, tractandi, etc. ».

Imo Aertnijs, *Th. M.,* I, n. 260, conformiter ad doctrinam S. Alphonsi : « Qui ab inclinatione ad venerea frequentem pollutionem expertus est ex causis non graviter quidem natura sua impudicis, nec ex *alia parte prorsus levibus,* sed quae in eo vehementius pollutionem concitant, tenetur nulla data ratione eas ponendi, ab illis abstinere et quidem sub gravi : quia respectu talis personae propter inclinationem suam, huiusmodi causae non leviter sed graviter excitant ».

Haec scilicet valent de causis per se, non de causis per accidens.

[1] *Th. M..* l. HI, t. IV, n. 484.

non placeant nec proximum adsit periculum consensus. Levis enim influxus in rem gravem est res levis[1]. Talia sunt colloquium non diuturnum cum puella, aspectus, tactus, lectio non valde turpis. Sufficiens ratio est quaevis causa rationabilis necessitatis, utilitatis aut convenientiae.

c) Nullum peccatum est ponere *ex iusta causa* actionem unde praevideantur secuturi motus inordinati, etiam pollutio, modo semper absit periculum proximum consensus. Iusta causa est pro sacerdote audire confessiones et studere turpibus, pro chirurgo aspicere et tangere partes inhonestas, item pro inservienti infirmis vel in balneis, pro omnibus osculari mulieres pro more patriae, tangere se ex necessitate, equitare causa recreationis aut utilitatis, exercitia peragere gymnastica, decumbere situ magis commodo, sedendo crus cruri pro more imponere, calidos cibos et potus moderate sumere[5].

1 Itaque actus qui leviter tantum influeret in commotionem gravem, imo in pollutionem, non esset *hac ratione* nisi venialiter malus. Et in hoc magna differentia est cum luxuria in se voluntaria : intentio enim directa in delectationem veneream etiam parvam manifestat dispositionem animae, valde diversam ab illa quae reperitur in eo qui non quaerit, imo non vult, illam delectationem. Primus per se incurrit periculum proximum consentiendi in delectationem ulteriorem propter suam propensionem; non ita necessario alter.

3 Totam doctrinam de luxuria voluntaria in causa expositam invenies apud Billuart, diss. 6, a. 12. P. Vermeersch rem aliter proponit et loquitur de luxuria *larvata* (o. c., n. 374 et 388) loco luxuriae voluntariae in causa. Noster tamen modus clarior videtur et apertior, principiis est conformior et antiquior. Ceterum quamvis primo aspectu cl. Theologus videatur dissentire, de facto tamen docet idem. « Observes enim, ait, *imperfectae luxuriae peccatum directe committi,* non tantum quando expressa intentione quaeritur, sed etiam *quando, sine alia causa immediata, excercentur actus qui carnem directe excitant :* tunc enim motum venereum *efficere censeris* » (n. 374). En principium; si nunc vis exemplum: « Nimis frequenter, in os praesertim seu labia, repetita oscula, nimis producti amplexus, quia carnem graviter commovent, nec causam inter solutos habent, de gravi arguuntur nisi motus carnalis positive reprimatur et, si pollutio magis instet, nb his cessetur » (n. 401).

Génicot-Salsmans de luxuria voluntaria in causa habet rectam doctrinam quantum ad pollutionem hoc modo voluntariam *(Th. M.,* I, n. 401), non vero quantum ad motus venereos, qui non probantur esse graves, cum in iis. ait, non sit evidens affectus ad delectationem completam (n. 403). — Quae ratio tamen nulla est, nam qui delectationem quaerit

IX. Luxuria indirecte voluntaria, quam voluntas non procurat nec intendit, cui positive nec consentit nec resistit, sed ad quam negative se habet, et quam tantummodo permittit quia illam non reprimit dum reprimere potest et debet, de se est venialiter mala; per accidens aliquando mortalis ob periculum consensus.

Probatur : homo in illa peccat, quia ratio et voluntas desunt suo officio dirigendi et reprimendi motus potentiarum inferiorum, nec potest indifferenter se habere ad hoc quod motus et actus sui sint inordinati necne; sed

a. per se non peccat mortaliter, quia deest positivus consensus voluntatis,

b. per accidens peccaret mortaliter, si i.nde haberetur proximum periculum consentiendi delectationi venereae.

Hinc homo tenetur illis motibus positive resistere, quantum ad non consentiendum et ad reprimendum motus sit necessarium et moraliter possibile :

1° ordinario non directe, i. e. actibus contrariis vel violentis (supressione imaginationis, compressione membrorum,

incompletam, eo ipso implicite quaerit completam, et qui vult causam delectationis, implicite vult effectum. Ceterum haec doctrina nova est, nec invenitur in primis editionibus cura ipsius P. Génicot factis; — non fundatur in traditione : doctrina traditionalis tenet ponere causam per se graviter influentem in motus graves esse de se peccatum grave; — nec secundum principia sustinetur : si enim aliquid est in se graviter malum, ut motus venerei extra matrimonium, etiam graviter malum est illud perfecte causare, in casu ponere causam per se graviter influentem in tales motus.

Alii magis practice statuunt : si motus sunt graves et sine iusta causa excitati, adest magnum periculum, et peccatum est grave; e contra si motus sunt leves, periculum est parvum et peccatum leve. — Sed hoc dicitur secundum praesumptiones, iuxta illud quod saepe vel ordinario contingit. Nam, si motus sunt graves, non semper et pro omnibus periculum est grave, nec grave est causam ponere in tales motus leviter influentem. E contra, si motus sunt tantum leves, quandoque tamen grave potest adesse periculum.

Itaque *principialiter* dicendum : causam ponere per se graviter influentem in motus venereos, esse de se peccatum grave; causam ponere leviter influentem aut per accidens, esse de se peccatum leve.

castigatione corporis, etc.), quia non est necessarium ad praedictum finem vel .nimis difficile vel etiam magis excitat; sed

2° indirecte, applicando mentem ad alia incompossibilia, praesertim quae fortius mentem afficiunt (opus interrumpendo, negotia prosequendo, occupatione externa specialem attentionem requirente, orando, etc.); imo

3° *aliquando,* si adsit iusta causa non aliter resistendi et motus reprimendi, sufficit resistentia positiva per simplicem actum displicentiae saltem implicitae, qui actus non est frequenter repetendus cum, donec retractetur, moraliter perseverare censeatur. Ita si quis expertus sit aliam resistentiam esse inutilem ad motus coercendos aut magis excitare illos et augere; vel si motus ortum habeant ex causa necessaria aut ex actione utili (ut dictum est numero praec. c) et nimis molestum sit eos repellere v. g. propter diuturnitatem: vel si motus sint leves et transitorii, tum quia causae tales motus excitantes frequentissimae sunt ac proinde obligatio illos reprimendi nimis difficilis foret, tum quia contemptu melius et efficacius reprimuntur : sollicitudo enim eos impediendi imaginationes excitare motusque augere solet. Quae omnia facile verificantur in scrupuloso, qui proinde displicentiam ostendet sufficientem motus simpliciter contemnendo.

X. Obiiciunt : 1° Quilibet potest licite uti, ut libet, eo quod suum est. Sed in luxuria, adulterio excepto, homo non utitur nisi eo quod suum est, scii, corpore proprio. Ergo.

R. Homo non habet dominium proprii corporis quod ipse sibi non dedit, sed a Deo fuit ei concessum; sed solum dominium utile seu usum, secundum divinam tamen ordinationem. Unde « ex eo quod aliquis inordinate suo corpore utitur per luxuriam, iniuriam facit Deo, qui est principalis dominus corporis nostri » II-II, q. 153, art. 3, ad 2. Usurpat scii, dominium Dei.

2° Quod natura facit nequit esse malum. Sed natura expellit semen et efficit pollutionem.

R. *Dist. :* quatenus fit a natura, conc. : quatenus fit voluntarie ab homine, *nego.* Secus etiam dici posset : Natura mortem infert; ergo licitum est voluntarie mortem inferre sibi vel aliis !

3° Tendentiae et delectationes naturales sunt bonae seu ordinatae.

R. A. Tendentiae et delectationes naturales sunt bonae seu ordinatae, *dist.* : delectationes naturae integrae, *conc.;* naturae lapsae vel purae, *nego* vel *subd.* : naturae complete spectatae, — vel naturae ut rationalis, cui tendentiae inferiores sunt subiiciendae, conc.; naturae ut animalis, *nego.* Natura rationalis non tendit ad delectationes venereas nisi in ordine ad propagationem generis humani in matrimonio.

Vel B. Delectationes naturales de se non sunt moraliter bonae vel malae, nisi prout eliguntur conformiter ad rationem rectam vel non conformiter.

4° Delectationes alimentorum sunt licitae; ergo et Venereorum.

R. Delectationes sunt licitae si operationes quibuls iunguntur licitae sunt et recte fiunt ad bonum finem; unde delectationes ciborum non sunt licitae nisi quaerantur in operationibus quae secundum ordinem rationis tendunt ad servandam vitam individui; et delectationes carnales non sunt licitae nisi in ordine ad conservandam humanam speciem in matrimonio legitimo.

QUAESTIO TERTIA.

De Luxuria consummata iuxta Naturam.

Praeter vitium contra naturam quod omnino impedit ipsum finem debitum delectationis venereae, scilicet generationem, sex sunt species principales luxuriae completae iuxta naturam, ex qua scilicet generatio sequi potest : fornicatio simplex, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium.

Peccata enim differunt specie secundum obiecta moraliter diversa, quae scilicet diversam includunt repugnantiam ad rectam rationem. Atqui in luxuria iuxta naturam ex parte proprii obiecti sex esse possunt diversae ad rectam rationem repugnantiae. Ergo.

Prob. Min. : moralis difformitas et repugnantia ad rationem rectam per comparationem esse potest ad compartem, quae

1" vel est *mere soluta et consentiens* (non qualificata), ita ut solum sit difformitas ex parte finis, inquantum impediatur debita educatio prolis, et tunc est fornicatio simplex, quae ita vocatur quia est simplex luxuria contra solam castitatem;

2° vel est *virgo,* sub potestate patris, et tunc est stuprum, etiam si personae non inferatur violentia:

3° vel *cui violentia infertur,* et tunc est raptus;

4° vel quae est *alteri iuncta,* et tunc est adulterium;

5° vel quae est *nimis propinqua* et cui debitus honor non servatur, et tunc est incestus;

6° vel quae *Deo est dicata per votum,* et tunc est carnale sacrilegium.

Nec dicas eas non esse diversas species luxuriae, quia speciali et diverso modo non repugnant castitati sed aliis virtutibus : iustitiae, religioni, pietati, etc. Nam etiam specialis ad castitatem repugnantia adest et concupiscentia demonstratur inordinatior, dum aliquis tam vehementer tendit ad luxuriam ut propter eam non vereatur etiam peccare contra iustitiam. religionem vel pietatem. Species scii, peccati primario est ex fine.

De quibus diversis peccatis iam dicendum est in specie.

Articulus I.

De Fornicatione.

I. Fornicatio simplex *(hoererij)* est *concubitus* vagus, scii. *soluti cum soluta corrupta, ex mutuo consensu.*

Dicitur 1° *Soluti cum soluta,* scilicet inter personas quae sunt omnino liberae ab omni vinculo matrimonii, cognationis et affinitatis, voti aut ordinis sacri, secus enim erit alia species;

2° *Corrupta,* quia si mulier est virgo, pertinet ad stuprum;

3" *Ex mutuo consensu,* quia, si violentia adhibeatur aut medium iniustum, reducitur ad raptum.

II. Fornicatio simplex est intrinsece et mortaliter mala, et ideo non mala quia prohibita iure divino positivo, sed iure naturali prohibita quia mala.

Probatur : 1° Ex Scripturis dicentibus fornicationem excludere a regno coelorum (Gal. V, 19-21; I Cor. VI, 9-11; Eph. V, 5-6); porro id etiam spectat gentiles, qui legem positivam ante Christum non habebant, cum neoconversi dicantur ab hoc abluti, sanctificati et iustificati;

2° Ex damnatione prop. 48 ab Innoc. XI[1] et 25 ab Alex. VII

3° Ex ratione quam ex S. Thoma (II-II, q. CLIV, art. 2; C. G. III, 122; de Malo XV, 1) sic proponit Billuart : « Fornicatio simplex est concubitus secundum se privatus ordine naturali ad suum finem, scii educationem prolis, proindeque secundum se importat inordinationem quae vergit in grave nocumentum, non solum eius qui ex tali concubitu nasciturus est, sed etiam boni communis et societatis humanae in quam plurima et pessima mala irruunt ex mala educatione membrorum; ergo secundum se est peccatum mortale.

Prob. antec. : Debita educatio prolis in specie humana exigit inter marem et feminam diuturnam societatem (matrimonii) post coitum... (manifestum est enim quod ad educationem hominis non solum requiratur cura matris a qua nutritur ad tempus, sed multo magis cura patris a quo est instruendus, defendendus, corrigendus et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus) Atqui fornicarius concubitus secundum se neque supponit neque importat diu-

1 « Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur ».

3 « Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam ».

' Notat S. Thomas ipsam naturam ad hanc permanentem societatem inclinare : « Videmus enim 1° in omnibus animalibus in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris et feminae, quod in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam feminam, unam vel plures, sicut patet de avibus... et inde est 2° quod naturaliter inest maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Haec autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus » II-II, q. 154, a. 2.

turnam societatem maris et feminae, quin potius contrarium importat : est enim soluti cum soluta, hoc est eorum qui nullo inter se vinculo sunt devincti, quo fit quod, quantum est ex natura actus fornicarii, pars post coitum possit pro libitu deserere compartem, prolem non agnoscere, nullam eius curam gerere, quod sane frequentissime accidit et consequenter pessima prolis educatio. Ergo ».

Nec obstat quod in determinato casu aliquis sufficienter providere posset educationi prolis, imo ad hoc se obligare et illud iurare; unde tunc fornicatio esset licita. — « Resp. enim id esse per accidens actui fornicario, per se autem illi convenire ut partes non teneantur post coitum commanere, cum per ipsum nullo vinculo ad hoc arctentur in quantum fornicatores sunt, nec prohibeatur quis quantum est ex ipsa ratione actus fornicarii ad quamcumque aliam accedere; et ideo quantum est ex se, est actus privatus naturali et debito ordine ad educationem prolis. Quod ergo fornicator post coitum diu commaneat mulieri et eam iuvet ad prolis educationem, facit quidem quod fornicatio actu non noceat proli et bono communi, sed non tollit quod sit secundum se nociva et deordinata a fine generationis... Porro in actibus humanis bonitas aut malitia specifica attenditur secundum id quod illis convenit per se, non autem secundum id quod illis convenit per accidens »[1]. Aliis verbis : tunc detrimentum quod inordinatio per se affert, per accidens abest aut tollitur, non autem, nec per accidens, naturalis ordo in concubitu restituitur. Hinc S. Thomas, II-II, q. 154. a. 2: « Id quod cadit sub legis determinatione iudicatur secundum id quod communiter accidit, et non secundum id quod in aliquo casu potest accidere ». Similiter l. III. c. Gent., c. 122 : « Rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea quae per accidens contingunt in uno individuo sed secundum ea quae totam speciem consequuntur[2] ».

[1] Optime Palmieri : « Quamvis pactum fiat educandae prolis, id est per accidens non per se, superadditum scii huic unioni, quae per se secundum essentiam manet : idcirco ea non est obligatio maritalis, sed qualis a quolibet suscipi posset etiam pro parte alterius. Per se igitur spectata ea unio adversatur iuri naturae, etsi illud pactum superaddatur. Oportet scii, pactum esse de essentia unionis quia haec ex essentia sua est ad illum finem (prolis educandae » ordinata » *de Matrim.,* th. 6.

[2] Argumentum valet etiam si concubitus est sterilis, quia concubitus secundum se dicit ordinem ad generationem; ac proinde secundum ea

Uno verbo : quasi separati copulam exercent fornicatores et ut individua agunt sine debita subordinatione ad speciem, et opus carnale partim suo ordine naturali ad speciem privant.

III. Fornicatio tamen non est gravissimum peccatum. Est enim « contra bonum hominis nascituri. Et ideo est gravius peccatum secundum speciem suam peccatis quae sunt contra bona exteriora, sicut est furtum et alia huiusmodi (v. g. detractio); minus est autem peccatis quae sunt directe contra Deum (aut bonum divinum, v. g. directe contra virtutes theologicas aut religionem), et peccato quod est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium »[1] quod gravius est omnibus speciebus luxuriae

IV. Fornicatio, ratione cuiusdam circumstantiae, aliquando speciali nomine vocatur :

1° Meretricium *(openbare hoererij, prostitution),* si quis accedit ad mulierem quae publice se praebet quasi omnibus, lucri aut libidinis causa. Per se non mutat speciem; attamen meretrix facile rea erit adulterii aut sacrilegii, omnibus parata.

2° Concubinatus *(bijslaping, samenhuizing),* si alicui sit consuetudo accedendi ad aliquam determinatam, sive eam domi habeat sive non. Est circumstantia notabiliter aggravans propter propositum virtuale permanendi in peccato; aliquando tamen concubinatus intelligitur de commercio habituali adulterino, quo casu differt etiam specie.

3° Fornicatio onanistica, si ex ipso modo copulam exercendi praecaveatur generatio prolis. Haec differt specie, quia peccatum inchoatur tanquam fornicatio secundum naturam, consummatur secundum modum contra naturam : fornicatio inchoata, pollutio consummata.

In praxi tamen haec distinctio ignorari potest; nam circurn-

quae ordo iste postulat, lex naturae est intelligenda. « Lex communis, ait S. Thomas (Q. D. de Malo XV, a. 2, ad 14), datur non secundum particularia accidentia, sed secundum communem considerationem. Et ideo dicitur actus ille esse contra naturam in genere luxuriae, ex quo non potest sequi generatio secundum communem speciem actus, non autem ille ex quo non potest sequi propter aliquod particulare accidens, sicut est senectus vel infirmitas ».

[1] S. Thomas, II-II, q. 154, a. 3.

[2] Ibidem, ad 3.

stantia onanismi inter solutos saepe ut non libidinosa sed potius ut culpam minuens apprehendi solet. Unde licet fornicatio onanistica sit peccatum obiective gravius, non tamen semper subiective; sed pro affectu et intentione erit gravior vel minus gravis quam fornicatio perfecta. Qui copulam onanisticam eligit, ut minus noceat feminae et societati, minus perverso affectu ducitur quam qui onera mulieri timenda contemnit, ut sibi plenius satisfaciat. Qui vero voluptatem sine onere quaerit, magis peccabit quam qui connexa onera resignato animo ferre studeat, ut secundum naturam agat[1].

V. Animadversiones. 1° Interrogandi discrete sunt fornicatores : an proles nata — num generationem impediverint aut abortum provocaverint, v. g. num puella gravida fieri potuit? cur non? — an prolem .natam neglexerint.

2° Circumstantia seductionis ad fornicationem per se non est declaranda in confessione, quia altera pars consentiendo etiam causa fuit peccati seductoris.

3° Licitum est, mutata mala voluntate, ex displicentia peccati abrumpere copulam fornicationis inceptam, etiam cum periculo pollutionis, quia tenemur semper a malo cessare et pollutio tunc est praeter intentionem; e contra illicitum est illi qui in affectu peccati perseverat, quia tunc intendit perditionem seminis, v. g. ex metu infamiae, et consummatur peccatum modo contra naturam.

VI. Monitum. Fieri potest ut detur ignorantia etiam invincibilis de malitia fornicationis; quo casu ignorans omnino est instruendus.

Articulus II.

De Stupro et Raptu.

1. Stuprum *(viol, verkrachting, maagde- of vroutveschennis)*, ut distincta species luxuriae, est *concubitus violentus.* Et quidem

1° a recentioribus sumitur sensu strictiore, et est *violenta seu iniusta virginis defloratio, ipsa invita;*

[1] Castillon. *Peccata secundum naturam,* in *N. R. Th.,* t. 47, p. 429.

2° apud antiquos scholasticos, ut S. Thomam, sumitur sensu minus stricto, tanquam *illicita virginis sub potestate paterna existentis defloratio, etiam ipsa consentiente*[1];

3° sensu lato autem, ita vocatur *oppressio vel seductio iniuriosa mulieris honestae et solutae, etiam non virginis aut non minorennis.*

In praedictis autem virgo intelligitur non sensu morali, sed sensu physico, quae, quamvis forsan peccaverit, signaculum virginitatis conservat.

Raptus *(oplichting),* ut distincta speces luxuriae, a S. Thoma sumitur sensu latiore, et adest quotiescumque aliqua violentia in luxuria adhibeatur qualicumque modo, ac definiri potest : *vis illata cuicumque personae, aut eius parentibus, causa explendae libidinis*[2]; secundum recentiores autem stricte sumitur de *violentia speciali,* et est *violenta seu iniuriosa personae abductio, libidinis explendae causa.* Unde quod recentiores vocant stuprum stricte dictum a S. Thoma dicitur raptus.

II. Stuprum cum violentia exercitum, etiam cum non virgine. evidenter est distincta species luxuriae, quia importat gravem iniustitiam, cum violetur ius mulieris in proprium corpus; quodsi mulier sit virgo, duplex committitur iniuria cum violenter auferatur signaculum virginitatis. Stuprum autem dicitur violentum, non solum quando mulier physica vi opprimitur, sed etiam quando alia adhibentur media iniusta. ut si copula extoquetur minis vel metu iniuste incusso, aut tactibus vi illatis, aut precibus tam importunis ut violentiae aequiparentur, aut dolo vel fraude, v. g. ignorantia puellae abutendo quae copulam nesciret esse illicitam, ficte promittendo matrimonium, in sommo vel in ebrietate mulierem opprimendo, etc.; — non autem si obtinetur meris precibus, suasionibus, blanditiis, donis.

III. Stuprum sensu minus stricto, secundum S. Thomam[3], etiam est distincta species luxuriae, tum quia est contra

1 II-II, q. 154, art. 6. Etymologia nominis quae violentum concubitum indicat, nihilominus servatur; adest enim physica fractio sigilli virginitatis. Violentia fit corpori, non personae consentienti.

3 II-II. q. 154. art. 7.

3 Ibid., a. 6.

potestatem paternam quae de virginis custodia sollicitudinem gerit, et ita tendit in dedecus et moerorem patris; tum quia puella potest impediri a legitimo matrimonio et ponitur in via amplius fornicandi et meretricandi, a qua retrahebatur signaculo virginitatis. Unde, etiam si pater consentiret et iuri suo renuntiaret (cui ceteroquin plene renuntiare non potest), adhuc haec altera malitia remaneret.

Quia tamen ipsa virgo consensit, stuprum non probatur importare novam malitiam gravem; et ideo videtur esse sola species venialis, quae per se in confessione non est necessario declaranda.

IV. Raptus omnis continet iniustitiam, quia in illa homo utitur medio iniusto; strictiori sensu intellectus est specialis iniustitia, scii, privatio libertatis *ad libidinem explendam* inflicta, et sic constituit distinctum specie peccatum. Unde differt ab impedimento raptus quod incurritur quando abductio fit *matrimonii causa.* Quod si puella maiorennis de suo consensu rapiatur parentibus, non est raptus, sed fuga; e contra si minorennis consentiat, inconsciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus (can. 2353).

V. Animadversiones. 1° Mulier cui violentia infertur non potest mere passive se habere; et ideo tenetur non solum delectationi resistere interne, sed et exterius dissensum manifestare, clamando, et pro viribus aggressorem repellendo. Non tamen teneur eo modo exteriore resistere qui eam exponat periculo mortis aut infamiae, dummodo absit proximum periculum interni consensus.

2" Mulieri, etiamsi copulam non habuerit voluntarie sed vi dolove oppressa fuerit, illicitum est non solum ovulum fecundatum sed etiam semen ante conceptionem expellere. Homo enim in semen dominium non habet, et ceteroquin major est iniuria. contra generationem humanam et bonum commune, expellere semen a sede finali a natura ad hoc destinata, quam procurare pollutionem qua expellitur a sede sua instrumentaria.

Quod autem aliqui dicunt ; *in hoc casu,* immediate post copulam, antequam conceptio fiat, semen se habere ad modum iniusti aggressoris quem licet repellere; verum est durante actione copulae, non autem copula posita, quia tunc aggressio cessavit et semen iam est in suo loco proprio naturali. Copula

enim finitur ipsa introductione seminis in vaginam [1], quia, semine eiaculato, cessat opus hominis et incipit opus solius .naturae, quo fit ut semen emissum naturali sui propensione sicut et vaginae attractione profundius organa feminea penetret ad fecundationem. Opus autem naturae in humana generatione abrumpere est illicitum

3° Potest tamen et debet mulier oppressa se agitare et vertere ac omni modo copulam impedire et abrumpere .ne semen recipiat, quamvis illud sit effundendum, quia ius et obligationem habet copulam impediendi et effusio seminis soli malitiae viri adscribenda est.

1 Et non ipsa fecundatione, ut adversarii supponunt; secus impossibilitas generandi faceret non solum sterilem sed impotentem, ac matrimonium invalidum redderet.

’ Quaestio solum transitorie attingitur, quia non directe pertinet ad materiam praesentem; — et ceteroquin parum facit ad praxim, quia casus quo oppressio mulieris soli violentiae sit tribuenda et omnino fuerit involuntaria est valde rarus : si enim vi aut dolo inceperit, cui subsequens accesserit consensus, iam non erit iniusta simpliciter; et iam non erit locus inculpatae tutelae, cum aliis mediis licitis mulier uti debuerit.

Animadvertere autem liceat doctrinam quam proponimus, quae est S. Alphonsi, duplici praesertim consideratione firmari posse :

1) a priori : Qui non habet dominium in humanam vitam aut corpus humanam, nec habet in id quod non est nisi principium vitae et corporis humani. Semen autem humanum nil aliud est quam principium vitae et corporis humani. Ergo homo dominium non habet in illud semen, quod est *homo in potentia propinqua* (S. Thomas, Q. D. de Malo XV, a. 2). Et ideo omnis actio quae *directe* circa semen exercetur est illicita; praeter illam quae a natura intenditur, copulam nempe matrimonialem.

2) etiam a posteriori : Si licitum esset directe expellere semen ante conceptionem, quia se haberet ad modum iniusti aggressoris, a pari, imo a fortiori, licitum esset directe eiicere foetum post conceptionem, quia in casu magis esset aggressor et iniustus. Atqui id esse illicitum docet Ecclesia. Ergo idem logice tenendum est de expulsione seminis.

Et quamvis mulier praevalente vi oppressa possit protegere ovulum ne fecundetur, non tamen il licite faceret actione quae *directe* attingeret semen aut illi noceret; sicut nec licitum est innocentem directe occidere ad protegendum se contra nocumentum iniustum. Hic valet principium : non sunt facienda mala ut eveniant bona.

Qui plura cuperit, nostras adeat *Quaestiones de Embryologie,* p. 43, et in appendice : *De conceptione post stuprum impedita.*

Articulus III.

De Adulterio.

I. Adulterium[1] *(overspel, echtbreuk)* est quasi accessus ad alterum torum, et ideo definiri potest : tori *alieni violatio, seu copula cum alterius coniuge.* Quod si ambo sint coniugati, duplex erit malitia adulterii in confessione declaranda : unusquisque enim proprium peccatum adulterii committit et insuper complicitate cooperatur ad alterius adulterium; quod si non declararet in confessione, deciperet confessarium.

II. Adulterium etiam ex una parte habitum est species luxuriae distincta quia duplicem malitiam includit gravem : unam contra castitatem, alteram contra iustitiam violando fidem promissam in matrimonio et ius corporis acquisitum coniugi (dum quod est coniugis quoad usum, alteri tribuit), cui infidelitati et iniustitiae cooperatur pars coadulterans. Unde praeter deformitatem fornicationis quam habet ex eo quod quis accedit ad non suam et impedit bonum prolis propriae educandae, habet deformitatem ex hoc quod accedit ad alienam et ita impedit bonum prolis alienae[2]. Quapropter etiam continet indistincte malitiam contra religionem (si matrimonium sit sacramentum), contra pietatem (frangendo unitatem cuius uterque coniux est pars), et contra bonum commune.

Unde est peccatum valde grave, uti patet ex modo loquendi Scripturae : Lev. XVIII. 20; XX. 10: Deut. XXII. 22-24: Tob. IV. 13; Prov. VI. 29; Eccli. XXIII, 25-29: I Cor. VI. 9; et ex poenis iuris civilis.

III. Adulterium committitur tripliciter, et ideo tres gradus in eo distinguuntur : primus est coniugati cum soluta, secundus coniugatae cum soluto, tertius coniugati cum coniugata.

Secundus est de se gravior primo, quia magis repugnat unam mulierem commisceri pluribus viris quam unum virum pluribus mulieribus, nam :

[1] De adulterio utiliter consuli possunt : /?euue *Eccl. de Liège,* VII, janv. 1912 : *Les effets de l'adultère;* et Loslever, Amour *libre ou Fidélité.*

[2] S. Thomas, II-II, q. 154, a. 8.

a. ex commixtione cum pluribus viris mulier plerumque fit sterilis et impeditur generatio; quod si non impediatur, incertum cuius sit proles;

b. adultera se exponit periculo prolem illegitimam in familiam introducendi cum magno damno pro marito, et pro filiis legitimis qui exinde parte hereditatis privantur (Cfr. *Tr. de lustitia).* Haec autem omnia non consequuntur ex adulterio coniugati cum soluta.

Tertius gradus est omnium gravissimus, quia ultra praedicta continet duplicem malitiam infidelitatis et duplicem malitiam iniustitiae,

IV. Adulterium etiam est peccatum speciale, si alter coniux consentiat, uti constat prop. 50[1] ab Innoc. XI damnata. Etsi enim huic, utpote scienti et consentienti, non fiat iniuria qui, quantum est ex se, iure suo renuntiavit vel illud non opponit, ius tamen illud oriens ex contractu ad bonum publicum necessario *perfecte* alienari nequit, a fortiori ius Dei aut societatis. Vir scilicet non habet ius absolutum in usum corporis uxoris, sed exclusorium et limitatum ad usum licitum matrimonii. Unde integrum manet ius coniugale de quo cedere non possunt coniuges, et ideo quamvis iniuria non fiat viro, manet tamen iniuria statui et iuri conniugali facta.

V. Animadversio. Copula habita cum persona alteri sponsata (ex validis sponsalibus) implicat circumstantiam notabiliter aggravantem; non tamen, ut videtur, mutatur species, quia sponsus nondum habet ius strictum in corpus sponsae. Gravior est talis copula in sponsa quam in sponso, quia sponsa exinde notabiliter minus aestimatur.

Articulus IV.

De Incestu.

I. Incestus *{bloedschande, bloedschennis)* est *copula inter cognatos vel affines.* Quae iure naturali prohibetur *indeter-*

[1] « Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum ».

minate pro cognatis; unde quousque et ad quemnam gradum se extendat prohibitio, iure positivo est determinandum. Pro non baptizatis determinatur iure civili vel consuetudine, pro baptizatis iure ecclesiastico. Sic incestus est inter illos qui secundum legem Ecclesiae validum matrimonium inire nequeunt, seu concubitus cum consanguinea vel affini inter gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos. Gradus autem prohibiti sunt in consanguinitate usque ad tertium inclusive pro linea collaterali; in affinitate, quae iam ex matrimonio etiam rato oritur, usque ad secundum; in utraque ad quemlibet gradum pro linea recta (can. 1076 et 1077). Quod si in aliquo gradu legitima sit obtenta dispensatio, iam non est incestus.

Vocatur *incestus (in-castus):* quasi antonomastice sit contra castitatem.

II. Incestus est distincta species luxuriae, quia duplicem continet malitiam gravem, contra castitatem et contra pietatem seu reverentiam propinquis debitam. (Lev. XVIII, 6 et ss.; XX, 11. 12, 14; Deut. XXII, 20, 22, 23; I Cor. V. 1-5). Quod ita ostendit Sanctus Thomas, II-II, q. 154, art. 9 : « Ibi necesse est inveniri determinatam speciem luxuriae ubi invenitur aliquid repugnans usui debito venereorum; in usu autem consanguineorum vel affinium invenitur aliquid *incongruurn* commixtioni venereae triplici ratione :

la. quidem quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahunt... Manifestum est autem... quod in actibus venereis maxime consistit quaedam turpitudo honorificentiae contraria, unde de his homines verecundantur. Et ideo *incongruurn* est quod talis commixtio venerea fiat talium personarum ad invicem...

2a. Ratio est quia personas sanguine iunctas necesse est simul conversari. Unde si homines non arcerentur a commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereae commixtionis... (eo magis quia, ut ait Aristoteles, II Pol. c. 2, cum naturaliter homo consanguineam diligit, si adderetur amor, qui est ex commixtione venerea, fieret nimius ardor et maximum libidinis incentivum; quod castitati repugnat).

3a. Ratio est quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dum homo uxorem extraneam accipit, iunguntur ei

quadam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei eius ».

III. Specie non differunt incestus inter consanguineos ab illis qui inter affines sunt habiti, quia « persona affinis coniungitur alicui propter personam consanguineam coniunctam; et ideo quia unum est propter alterum, eiusdem rationis (non gradus) inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas » (ib. ad 2). Imo, secundum plures, omnes incestus sunt eiusdem speciei infimae; alii autem dicunt incestum inter consanguineos lineae rectae ab omnibus aliis distingui specie, vel etiam incestum inter fratres et sorores [1].

Aliquando tamen *aliud* officium pietatis simul violari potest, et tunc certo adest diversa species : ita v. g. incestus parentum cum filiis sub eorum potestate constitutis, quia rectae institutionis officio derogant; item, ut videtur, incestus filii cum noverca vivente patre, ratione magnae iniuriae erga parentem.

IV. Sicut adest cognatio carnalis ex vinculo sanguinis, ita potest esse legalis ex adoptione perfecta (qualis tamen in iure belgico non agnoscitur), ac spiritualis ex baptismo orta inter baptizantem et patrinos ex una parte, baptizatum ex altera (can. 768). Talis cognatio specie differt a carnali; et ideo praeter incestum proprie dictum, specie diversus existere potest incestus legalis, et existit incestus spiritualis, si copula habetur inter baptizantem aut patrinum et baptizatum. Qui ultimus includit malitiam contra religionem, quia est contra reverentiam sacramenti.

V. Animadversio. Peccatum carnale ab episcopo aut parocho aut rectore collegii etc. cum subditis commissum, quamvis non sit incestus spiritualis proprie dictus quia per se nulla adest cognatio spiritualis, specie diversam tamen includit malitiam iniustitiae, quatenus aliquis ad peccatum inducit eos quos *ex officio* a vitio retrahere debet. Non ita necessario peccant meri cooperatores parochi vel moderatoris collegii, quamvis possint peccare scandalo. Nec confessarius qui, extra confessionem, carnaliter peccat cum poenitente, quia nec contrahit spiritualem cognationem, nec ut superior spiritualis agit, sed ut aequalis, non in confessione sed extra. Quod si occasione confessionis sollicitaret, esset carnale sacrilegium.

1 Quod fideles facile existimant.

VI. Monitum. Aliquando accidit ut peccator non perspiciat specialem malitiam incestus in copula cum consanguineis remotioribus habita vel cum affinibus; quo casu, ut maiorem peccati horrorem concipiat, generatim erit instruendus.

Articulus V.

De Sacrilegio Carnali.

I. Sacrilegium est violatio sacri; unde sacrilegium carnale generaliore sensu est *violatio sacri per actum venereum (heilig~schende onkuischheid).* Sicut autem sacra potest esse persona aut locus aut res, ita triplex specie distinctum enumeratur sacrilegium : personale, locale et reale, et tanto gravius quanto sacratior est persona, locus vel res, et quanto gravior est profanatio. Hinc triplex etiam distinguitur species sacrilegii carnalis sicut sacrilegii in genere.

Personale solum est *strictiore sensu* species luxuriae et sacrilegium carnale *(vleeschelijke heiligschennis),* cum rationem sacrilegii *ex ipso suo obiecto,* persona carnaliter violata, habeat; in aliis violatio sacri se habet potius ut quaedam circumstantia speciem mutans et obiecto accedens.

II. Carnale sacrilegium personale, ut peccatum consummatum secundum naturam, est copula cum persona voto castitatis Deo consecrata. Est sacrilegium stricte dictum si votum sit publicum, quia solo voto publico coram Ecclesia emisso aliqua persona fit sacra; secus, si votum sit privatum, ad minus adest complicitas violationis voti, quod tamen ad sacrilegium reductive pertinet, quia quamdam cum sacrilegio analogiam habet.

Hinc sacrilegium carnale committitur non solum quando persona sacra luxuriose in se agit sive externe sive etiam interne, quia ita seipsam violat in quantum est sacra; sed etiam

1° quando persona non sacra luxuriose agit in personam sacram etiam renitentem, quia actu violat personam sacram;

2“ a fortiori quando persona sacra luxuriose agit in personam non sacram; quae, si id voluntarie patitur, cooperatur saltem illius sacrilegio;

3° maxime quando utraque persona complex est sacra : tunc enim duplex adest sacrilegium. Qui tamen duplici titulo ad castitatem tenetur, sacerdotio v. g. et religione, non duplex committit sacrilegium, sed unum gravius, quia uno et eodem motivo formali obligatur.

III. Carnale sacrilegium locale *(vleeschelijke ketk~ o[tempelontheiliging)* est actus luxuriae completus (vel qui ad hunc proxime disponit) in loco sacro, id est ecclesia aut oratorio publico, exercitus; adest enim in tali luxuriae actu turpi specialis ad locum sacrum repugnantia.

IV. Carnale sacrilegium reale *(vleeschelijke kelk-vaat-sacrament-enz. ontheiliging)* est usus rei sacrae ad luxuriam, v. g. linteamina aut vasa sacra ad hoc adhibere, missam promittere in pretium actus carnalis, etc. Speciale sacrilegium reale est peccatum sollicitationis, quo confessarius sacramento poenitentiae abutitur ad peccatum turpe.

V. Animadversio. Qui personam sacram ad peccatum luxuriae inducit, contrahit malitiam sacrilegii ratione obiecti; e contra persana sacra quae, sine propria delectatione, inducit alium ad aliquod luxuriae peccatum non cum persona sacra exercendum.

QUAESTIO QUARTA.

De Luxuria consummata contra Naturam.

I. Luxuria contra naturam ita vocatur quia omnino repugnat naturali ordinationi seu destinationi actus venerei, dum impedit generationem. Cuius quatuor sunt species ex obiecto distinctae. Actus genitalis enim, ut possit concipi proles, quatuor requirit : a) concubitum duorum; b) diversi sexus; c) eiusdem naturae specificae; d) modo naturali. Hinc quatuor contra naturam quis agere potest :

1° si absque concubitu, causa delectationis venereae, pollutio procuretur : peccatum solitarium;

2" si fiat concubitus ad eumdem sexum, v. g. masculi ad masculum vel feminae ad feminam : sodomia proprie dicta;

3° si fiat concubitus cum re diversae speciei : bestialitas;

4° si non servetur naturalis modus concumbendi, sive quaerendo indebitum vas seu organum : sodomia improprie dicta, sive alium indebitum modum ita tamen ut exinde generatio impediatur : onanismus.

Quae differunt specie secundum diversam ad naturam et rationem repugnantiam [1].

II. Luxuria contra naturam, secundum se et caeteris paribus, est gravissima in genere luxuriae, quia transgreditur id quod est ab ipsa natura determinatum circa usum genitalium quantum ad suum finem *primarium;* caetera autem peccata luxuriae solum transgrediuntur id quod est ulterius determinatum per rationem. Primum est fundamentalius, quia ratio quaedam determinare non valet nisi secundum ea quae sunt prius a natura determinata.

Post illam autem est incestus qui etiam est contra naturalem inclinationem *secundariam,* scii, contra naturalem reverentiam quam personis coniunctis debemus. Adulterium autem gravius est quam stuprum, quia maior est iniuria si quis abutatur persona alterius potestati subiecta ad usum generationis quam ad solam custodiam: et fornicatio simplex, quae committitur sine iniuria alterius personae, minima est inter species luxuriae completae. Raptu autem et sacrilegio praedicta aggravari possunt[2].

Haec omnia intelligenda sunt

1° *secundum se,* i. e. secundum suam propriam et distinctam speciem, nam per *accidens* plures, imo omnes, species luxuriae iuxta naturam concurrere possunt in uno actu, ita ut maior sit in illo gravitas quam in uno peccato contra naturam;

2° *formaliter* seu *in genere luxuriae,* non attenta malitia

1 S. Thomas, II-II, q. 154, a. 11. Hinc damnata propositio 24 ab Alexandro VII : « Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae; ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem ».

5 Ibid., a. 12.

alterius speciei. Nam in alio genere, ratione circumstantiae adiunctae, alia possunt fieri simpliciter graviora, v. g. adulterium ratione iniustitiae est absolute gravius pollutione, et sacrilegium ratione irreligionis, sed pollutio in genere luxuriae est utroque gravior;

3° *caeteris paribus,* ita ut in paribus circumstantiis maius sit peccatum contra naturam, et ut maximum peccatum contra naturam sit maius maximo secundum naturam.

Nihil tamen prohibet aliquod peccatum iuxta naturam esse gravius *ex parte agentis,* puta quia fit ex speciali malitia aut cum maiore audacia.

III. Inter peccata contra naturam gravitas attenditur ex maiori abusu potius quam ex sola omissione debiti usus. Unde gravior est bestialitas, quia maxime recedit a regula naturae, dum nec servatur debita species; deinde sodomia proprie dicta in qua non servatur debitus sexus; deinde sodomia improprie dicta seu indebitus modus concumbendi, in quo non servatur debitum organum, deinde onanismus seu concubitus innaturalis ex solo modo generationis impeditivo; infimum locum tenet peccatum solitarium, quod est in sola omissione concubitus ad alterum (ibid a 4).

De quibus iam est dicendum in specie.

Articulus I.

De Peccato Solitario seu Pollutione.

I, Peccatum quod ex ordinaria circumstantia agentis vocatur solitarium, ex secretione liquida in ipso emissa pollutio (immunditia, *zelfbevlekking),* ex debilitate animi quam manifestat mollities, ex frequentiori modo quo committitur masturbatio (manus-turbatio) dicitur, definitur : usus separatus completus genitalium et consequenter delectationis venereae satiativae sine concubitu. Indicatur

A. genus : *usus completus* etc. Sic enim distinguitur ab impudicitia seu actibus imperfectis luxuriae qui non sunt nisi inchoatio et praeparatio luxuriae completae, et ab his differt *specie* sicut mera inchoatio operis et consummatio, initium et

terminus, medium et finis, ac species incompleta a specie completa[1].

B. differentia : *sine concubitu,* quia si fiat in concubitu naturali, erit fornicatio aut alia species iuxta naturam; si in concubitu innaturali seu in organo indebito, erit alia species contra naturam. Ex eo itaque quod est vitium solitarium pollutio specie differt ab aliis peccatis consummatis iuxta et contra naturam.

Male ergo definitur : (a) *perfecta delectatio venerea satiativa extra concubitum.* Delectatio enim est propter actum et essentialiter adiungitur actui ut eius consequentia, et ideo non esset mala nisi ipse actus esset inordinatus; unde quamvis delectatio completa extra concubitum legitimum sit mala, non tamen est principalis et specifice distinctiva malitia pollutionis[2];

b) *frustanea effusio seminis seu voluntaria effusio extra concubitum*[3]. Fundamentalis enim eius malitia non est in iactura seminis, quamvis haec in viris sit gravitas accedens, quia in illis est semen specifice necessarium ad generationem et ideo usus completus facultatis generativae de se est seminis expulsivus; sed malitia in eo est, quod separatim et unice propter bonum individuale quis fruitur operatione, quae solum propter speciem amari et quaeri potest.

Hinc peccatum pollutionis, sicut in viris, *ita existit nec specie differt* 1° *in mulieribus* : quamvis in illis nulla sit effusio seminis, est tamen usus completus organorum genitalium, ab usu imperfecto distinctus, ex motu et contractione vaginae cum delectatione satiativa. quam solet comitari distillatio abundans

1 S. Thomas. I-II, q. 72, a. 7.

2 Hinc inconsiderate aliquis recentior scribit : « Secundum S. Thomam malitia luxuriae non consistit, ne quidem partialiter, ut nonnulli voluerunt, in frustratione seminis, sed tota sita est in delectatione, quae seminationi est propria », allegans Q. D. de Ver. XV, a. 4. ad 3. Non enim ait S. Doctor inordinationem esse ex delectatione, sed e contra istam esse inordinatione actus : « Tota inordinatio fornicationis, undecumque contingat. redundat in delectationem, quae ex ipsa causatur ».

3 Ita etiam Billuart : « Pollutio sive mollities est voluntaria emissio seminis humani extra concubitum », et definitionem tribuit S. Thomae, art. 11. At S. Doctor haec precise non dicit, sed ista : « quod absque omni concubitu causa delectationis venereae pollutio procuretur ».

liquoris vaginalis qui ad generationem nihil directe confert sed copulam et actum generationis iuvat[1];

2° *in iuvenibus et senibus,* quia sunt capaces copulationis et habent usum completum genitalium, scii, erectionem perfectam et agitationem membri genitalis, quam nata est sequi eiaculatio seminis, etiam si hoc non semper eiaculatur, vel non semper est prolificum, v. g. propter absentiam zoospermatum;

3° *in impuberis* qui semen non habent, dummodo habeant usum completum satiativum organi genitalis, scii, capaces sint erectionis perfectae et copulationis seu vaginam penetrare valeant;

4° item in iis qui *vasectomiam passi sunt (zaadleiders-afsnijding),* quia capaces manent copulationis et delectationis satiativae, imo appetitum sexualem perfectum conservant ac semen, quamvis istud emittere non possunt;

5° *in eunuchis,* non quidem qui ita nati sunt aut ante septennium ita facti, sed qui castrati sunt aetate adulta ac membrum virile retinuerunt, quamdiu capaces manent erectionis satiativae et copulationis, quod solet aliquo tempore durare; e contra

6° *non in infantibus et pueris,* etsi forsan aliquem liquorem emittant in actu solitario, quia non sunt capaces erectionis perfectae et copulationis, unde actus eorum semper est usus imperfectus et inchoatus organi genitalis; item in illis eunuchis qui perfectam erectionem non habent.

II. Pollutio alia est activa seu voluntaria, alia passiva seu involuntaria.

1 lam Aristoteles negavit semen mulieris esse verum semen. S. Thomas illud ut imperfectum habet et non necessarium ad generationem : « Tale semen non est materia quae de necessitate requiritur ad conceptum » (III, q. 31, a. 5 ad 3). Postea multi Scholastici dubitarunt an sit semen in muliere. Nihilominus omnes constanter docuerunt in femina esse peccatum solitarium specie distinctum a luxuria incompleta, nec ex falsa assimilatione humoris ad semen proprie dictum ita affirmarunt. Unde non est audiendus unus vel alter modernus qui contradicat aut de hoc dubitet. Ita Noldin, sed P. Schmitt in recentioribus operis eiusdem editionibus, id iam emendavit.

A. Pollutio activa per se est actus essentialiter, et quidem graviter malus, iure naturae prohibitus.

Prob. : 1° Ex Scripturis, quae aiunt molles, immundos ac impudicos regnum coelorum non esse consecuturos : I. Cor. VI, 10: Gal. V. 19; Eph. V 3; quod etiam spectat gentiles, cum neoconversi dicantur ab eo abluti, qui soli legi naturali hucusque erant subiecti.

2° Ex damnatione propositionis 49 ab Innoc. XI '.

3° Ratione : Pollutio est actus quo usus genitalium completus et voluptas ei adnexa quaeruntur extra matrimonium, et ad bonum individuale ordinantur, dum unice bono sociali, generationi prolis, sunt destinata. Atqui hoc est perversio ordinis, qua actus fine suo primario a natura intento frustratur; est inordinatio gravis, quia est directe contra maximum bonum societati humanae necessarium : conservationem eius et propagationem. Ergo pollutio est gravis perversio ordinis.

Confie, a) Si pollutio prohibita non esset vel solum sub levi, multi, hac voluptate contenti, oneribus matrimonii valedicerent cum maximo societatis detrimento; sic quoque frustraretur finis a natura intentus.

b) Si simplex fornicatio iuxta naturam est graviter illicita licet contra solam prolis educationem, a fortiori peccatum contra naturam quod est multo gravius, utpote contra ipsam propagationem.

Hinc pollutio est peccatum mortale :

a) si sit voluntaria in se;

b) si sit voluntaria in causa quae sine ratione sufficiente ponitur et per se proxime et graviter influit in eam; secus si leviter, quia tunc est venialis'. Notetur autem omnem causam quae per se et graviter influit in motum carnalem, non ideo graviter et per se influere in ipsam pollutionem : ita v. g. consensus instantaneus in delectationem carnalem.

B. Pollutio passiva secundum se est solus effectus *physice* malus, emissio humoris; quod malum de se non est grave nec omnino vitandum, etiam pro viris, quia de se nulli est graviter

' « Mollities iure naturae prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali ».

' Confr. supra. Quaest. II, nn. VI et VII.

damnosum : speciali sollicitudine enim semen conservari non debet, tum quia natura ipsa illud aliquando expellit, tum quia illud profundit et abundantius quam ad conservationem speciei opus sit elaborat. Unde

a) talem effectum praevisum, dum impediri possit, mere permittere sine ratione sufficiente est solum peccatum veniale: motus inordinatus concupiscentiae sine ratione admissus; nisi per accidens adsit periculum proximum consensus;

b) obortam pollutionem positivo conatu non reprimere nullum est peccatum, quia reputatur nimis difficile.

III. Pollutio mere naturalis, a sola naturae sese exonerante procedens, quae ordinario est nocturna [1], *in se* nullo modo est mala nec ulla reprehensione digna; unde licitum est simplici affectu inefficaci illam desiderare propter commoda quae sequuntur et de illa subsequuta gaudere, dummodo caveatur a praesenti luxuriae excitatione aut consensu. Non tamen licitum est illam procurare aut iuvare aut aliquid facere ut eveniat, quia iam non esset mere naturalis, sed voluntaria.

Censet tamen P. Vermeersch virum qui emissiones nocturnas difficiliores et rariores experitur, et ideo male per diem nervose affectus est. posse remedium sumere non directe ad pollutionem obtinendam, sed directe ut corpus bene temperatum et compositum sit ita ut natura regulariter agere possit, ex quo tunc ulterius sequetur naturaliter pollutio frequentior. Ita, dummodo bona compositio corporis non proveniat ex ipsa pollutione.

Casu quo pollutio nocturna sit voluntaria, applicanda veniunt principia in numero praecedenti et in Quaestione Secunda, n° VII exposita. Unde

1° est mortaliter mala, si vit volita in se et directe quaesita, v. g. si quis multum bibat vel certo situ decumbat praecise ut pollutionem patiatur;

2° item est mortaliter mala, si sit voluntaria in causa per se proxime et graviter influente, ex qua sequi praevidetur,

1 Non omnis pollutio passiva est mere naturalis : illa ex variis causis etiam externis oriri potest, quas aliquis involuntarie subit; haec est ex physica naturae dispositione, seu ex sola natura sese exonerante. In aliis semel, in aliis bis in hebdomada, in aliis vix semel in mense pollutio accidit; etiam aliquando bis vel ter immediate sibi succedit. Si autem frequentior accidere soleat, ratio adest recurrendi ad medicum.

v. g. si proveniat ex cogitationibus, delectationibus aut desideriis impuris ante somnum in vigilia voluntarie et *diu* nutritis a fortiori si ex actibus externis qui ad illam valde disponunt;

3° est venialiter mala, sit sit voluntaria in causa leviter et remote influente, aut in causa per accidens, ex qua sequi praevidetur, v. g. si proveniat ex ebrietate vel abundantiore cibo;

4° .nullum est peccatum, si adsit ratio sufficiens causam ponendi ob necessitatem vel utilitatem.

IV. Omnis pollutio voluntaria *de se* est peccatum eiusdem speciei quocumque modo procuretur, sive mente scii, imaginatione aut aspectu, sive tactu manus, sive usu alicuius instrumenti. sive contactu rei physicae vel bestiae vel personae viventis nesciae, dummodo absit affectus ad personam vel concubitum et sola pollutio intendatur. Quod etiam in feminis verificatur apud quas pollutio, sive clitoridea, sive vaginalis (v. g. immissione digiti, candelae, carotae, etc., aut usu phalli, id est instrumenti quod membrum virile imitatur), sive alio tactu in parte minus honesta procurata (v. g. circa vulvam, in

1 Consensus instantaneus enim in delectationem carnalem non graviter influit in pollutionem. — Ne existimetur autem pollutionem nocturnam, eo quod eam provocent et comitentur phantasmata plus minusve inhonesta, esse voluntariam in causa. Nam, aiente S. Thoma, II-II, q. 154, a. 5, id etiam naturaliter fieri potest : « cum humor seminalis superabundat in corpore vel cum facta est humoris solutio, … somniat dormiens ea quae pertinent ad expulsionem huiusmodi humoris abundantis vel resoluti ».

Hinc a S. Doctore distinguitur triplex causa pollutionis nocturnae :

1) una corporalis, de qua dicta valent;

2) altera animalis et interior, seu cogitationes et delectationes praecedentes in vigilia;

3) spiritualis, scii, actio daemonis.

In primo casu pollutio non habet rationem culpae, nisi aliquando ex sua causa, si abundantia vel resolutio humoris sit ex causa culpabili v. g. ex superfluitate in cibo vel potu. Causa huiusmodi autem est causa per accidens quae de se remote et leviter influit. In secundo casu, est voluntaria in causa; et habet rationem culpae si causa est culpabilis; imo est culpa plus minusve gravis secundum gravitatem causae et eius influxum. In tertio casu, non est peccatum; quandoque tamen est cum peccato praecedenti, scii, negligentia praeparandi se contre daemonis illusiones.

cruribus, in pubi, compressione femorum, in papillis mamillarum, etc.) sunt eiusdem rationis.

Per accidens potest malitiam specifice diversam contrahere accedentibus quibusdam circumstantiis quae proinde in confessione sunt declarandae *(pollutio qualificata),* et quidem

1° ex circumstantia agentis, et sic differunt pollutiones personae solutae, voto ligatae, coniugatae;

2° ex circumstantia intentionis internae seu affectus, differt pollutio ex affectu simplici et illa quae fit ex affectu fornicario, sodomitico, bestiali, adulterino, incestuoso, sacrilego, sive haec peccata absoluto desiderio quis intendat, sive in istis *ut talibus* praecise sibi complaceat;

3° ex circumstantia modi specialis quo peragitur, scii, tactibus *alienae personae* huius rei consciae, sive propter scandalum et complicitatem si consentiat, sive propter iniustan? violentiam si resistat. Quod si persona sit coniugata, voto ligata vel cognata, diversa contrahitur species.

V. Animadversiones. 1° Quicumque usum completum genitalium frustra quaesiverit ita ut satiativam delectationem, quae usus completi signum est, non gustaverit, *affectu* peccatum pollutionis commisit, sed *effective* consummatae luxuriae non est reus.

2° Similiter ille qui, pollutione casuali involuntarie experta, delectationi consentit, quia pollutio est tantum volita, non voluntaria, nisi obortam pollutionem augere voluerit. Est tamen graviter peccaminosum, quia ita vult delectationem quae a Deo ordinata est soli copulae coniugali qua generatio debito modo fieri nata est. Unde S. Thomas[1] de pollutione nocturna haec habet : « Potest contingere quod in ipsa evigilatione peccatum oriatur, si quidem propter delectationem placeat; quod erit veniale peccatum, si sit ex surreptione talis placentia, mortale autem si sit cum deliberante consensu, et praecipue cum appetitu futuri. Ista placentia non facit praeteritam pollutionem peccatum, quia ipsius causa non est, sed ipsa in se peccatum est[2]. Si autem placeat ut naturae exoneratio et alleviatio, peccatum non creditur ».

[1] S. Thomas, in IV Sent., d. 9, q. 1, a. 4, qc. 1, ad 5.

[2] Recenter id negatum fuit, aut in dubium revocatum, etiam ab Antonelli, *Medicina Pastoralis,* in ed. recm", t. II, c. XIII. C_sntra quod

3° Pollutio activa quia essentialiter mala, nec ad vitam servandam licite procurari potest, quia usus activus genitalium non est licitus nisi ob bonum speciei, et quia semen ad speciem pertinet, unde homo individuus in illud non habet dominium. Posset tamen quis pharmacum sumere quod procuraret *immediate* sanitatem et simul semen eiiceret, quia esset ponere causam cum duplici effectu cuius bonus intenditur et malus permittitur. Non tamen est licitum sanitatem, mediante emissione seminis, procurare.

Testimonium scholae thomisticae praebet Billuart, diss. 6. a. 11 : « Semen non est pars corporis nec propter bonum individui sed totius speciei institutum; unde eo uti .non possumus nisi modo quo possit generationi inservire... Semen non est pars corporis nec propter illius bonum, sed propter solam generationem » ‘.

4° Hinc graviter illicitum est viro semen expellere pollutione et illud recolligere ac arte in vaginam vel uterum uxoris introducere, ut illo processu artificiali fecundari possit, sicut decrevit S. Officium, 24 martii 1897; vel pollutionem directe procurare ut obtineatur sperma quo contagiosus morbus scientifice detegatur et pro posse curetur, ut decrevit 24 iul. 1929. — Et eodem modo graviter illicitum videtur,

scripsit Vermeersch in *Periodica,* XXII, p. 122 : *De damnosa in materia castitatis praeteritione principii S. Thomae de delectatione;* item in *Th. M.*\ IV, n. 101. Consequenter opus Antonelli fuit prohibitum in universitatibus, seminariis aliisque studiorum domibus.

1 Similiter doctrinam scholae franciscanae nobis exhibet Sporer, *Theol. sacr.,* p. 4, n. 641 : « Licitum omnino est pro conservanda vita et toto supposito, homini membrum aliquod... abscindere...; at vero semen natura sua est ordinatum ut principaliter, nequaquam ad usum vel conservationem huius suppositi in individuo, sed ad generationem, propagationem et conservationem totius speciei; unde natura minime patitur illud individui servandi causa abiicere. sicque negligere speciem ratione individui ».

Testimonium Societatis lesu praebet Lessius, o. c., l. 4, c. 3, d. 14, n. 96 : Testes « sunt pars corporis, unde de illis sicut de aliis partibus corporis statuere possumus. At semen non est pars corporis, nec propter illius bonum est institutum, sed sobolis causa, tamquam eius rudimentum ».

Et quamvis Th. Sanchez, *de Matrimonio,* l. 9, d. 17, n. 16, quasdam restrictiones opponat, atque argumentationem, suo sensu, corrigere conetur, testari tamen cogitur hanc esse sententiam *quam communiter tradunt.*

quidquid aliqui dixerint, semen quadam punctione extrahare e testiculis, sive ad analysim chemicam iustituendam, sive etiam ad propriam uxorem fecundandam.

Homo enim in semen dominium non habet : sicut enim in vitam humanam dominium non habet, sic nec in id quod non est nisi principium humanae vitae, seu quod est *homo in potentia, et vita humana in potentia propinqua* Huius scii, non habet nisi dominium utile seu usum, et solummodo in ordine ad generationem naturali medio copulae coniugalis procurandam.

Vel etiam : semen totum quantum est unice existit propter generationem; ergo illicitus est quicumque usus seminis ad alium finem et generationis impeditivus, quia essentialiter est contra ipsam naturam seminis, quod non est nisi ad generationem.

Omnis itaque *directa* captio aut expulsio seminis est illicita extra illam quae fit in copula coniugali. Unde, in casu, etiam si semen adhibeatur ad fecundandam uxorem : actio, qua expellitur aut e testiculis extrahitur, quantum est *de se,* ex *natura sua* et *ex modo quo fit* ita semen emittit ut generatio *naturaliter* impediatur; etsi, per accidens, *ex alia actione consequenti,* huic defectui obvietur ut semen *artificiali* modo ad generationem conferat. Quod tamen insufficiens est ad rectitudinem in priori actione restituendam.

Nec obstat quod emissio, in casu punctionis, fiat sine delectatione; nam nullus actus est secundum se malus, quia habet delectationem adnexam, sed e contra delectatio concomitans est bona vel mala secundum naturam actus. Unde pollutio ηο,η est mala quia fit cum delectatione, sed delectatio mala est quia fit in actu seminis emissivo extra copulam coniugalem. — Quod si ita sumi licite posset semen ad scientificam analysim vel ad fecundationem uxoris artificialem, quare ad hunc finem non liceret sumere via ordinaria et faciliore quam natura indicat, et delectationem permittere : esset enim causa cum duplici effectu, quam ponere est licitum propter rationem proportionatam. Cur scii, id non liceret, nos fugit. — Imo, in concessione facta ab abversariis, nulla amplius adesse ratio videretur, cur pollutio esset actus contra ius naturale : actio enim specificatur a termino, non terminus ab actione. Terminus actionis non est malus quia a tali actione procedit, sed potius actio secundum speciem est mala quia terminum illicitum habet. Unde emissio seminis non tam est

1 Ita S. Thomas, Q. D. de Malo XV, a. 2.

mala quia fit per usum indebitum organi genitalis extra copulam coniugalem, sed e contra usus organi genitalis in viro est indebitus et malus quia de se ad emissionem seminis extra copulam terminatur.

5° Quilibet motus seu impulsus corporis sine ratione sufficiente deliberate adhibitus quo effectus pollutionis sequitur, malus est; attamen a motibus deliberatis distinguendi sunt motus seu impetus instinctivi, qui sponte vi naturae se exonerantis in corpore oriuntur ut effectus pollutionis perficiatur.

6° Licitum est, etiam cum pollutionis periculo, in partibus inhonestis tactu vel fricatione abigere pruritum, nisi iste proveniat ex libidine. Circa quod notetur :

a) generatim melius est pruritum tolerare, si sit levis aut facile tolerabilis;

b) si pruritus non sit venereus, sed oriatur ex aliqua inflammatione aut sanguinis acrimonia, licitum est abigere, quia vera adest utilitas, dummodo absit periculum consentiendi delectationi venereae;

c) si sit venereus ita ut unice oriatur ex abundantia seminis aut libidinis ardore quo in pollutionem tendat, illicitum est cum periculo pollutionis illum abigere, quia est directe excitare pollutionem : tactus enim tendit in sedandam molestiam, non per fricationem, sed per pollutionem; non autem licitum est malo uti medio ad finem etiam bonum;

d) pruritus naturalis distinguitur a venereo eo quod prior sola fricatione et interdum sine voluptate allevatur, alter per solam pollutionem:

e) in dubio supponitur pruritus ,non venereus, donec constet eum unice provocari a libidine;

f) non facile credatur puellis quae tactibus se polluere solent, sub praetextu talis ardoris.

7° A peccato solitario pollutionis di.stingue.nda sunt :

a) in viris simplex distillatio, scii, emissio humoris fluentis absque eiaculatione et delectatione completa: quae tamen graviter mala esse potest (sicut luxuria incompleta), si in ipsa directe quaeritur delectatio venerea, vel si sine ratione sufficienti voluntarie ponitur causa quae per se graviter influit in magnam distillationem quae fiat cum notablili commotione et delectatione venerea;

b) in feminis, tum ovulatio spontanea seu decisio ovuli singulis mensibus, tum menstruatio : nullum enim sunt peccatum, sed mere physiologice fiunt, nec eas comitatur ulla delectatio venerea.

VI. Monitum. Quantum ad interrogationes in confessione notetur :

1° Non interrogentur pueri vel puellae an adfuerit effusio seminis vel humoris;

2° nec feminae, nisi indirecte, an passionem satiaverint, completam satisfactionem *(zelfuoldoening)*, vehementem voluptatem senserint;

3° sed alii, tactus confitentes, rogentur num pollutio sit secuta;

4° e contra se polluentes interrogentur etiam de tactibus impudicis separatis a pollutione et moneantur de gravitate eorum;

5° quod si aliquis ignoret etiam invincibiliter pollutionem esse peccatum, omnino est instruendus ne malum acquirat habitum.

Articulus II.

De Sodomia.

I. Sodomia *(sodomieterij)* proprie dicta est concubitus ad indebitum sexum, i. e. duorum eiusdem sexus, nempe maris cum mari, vel feminae cum femina. Unde

1° ut adsit vera sodomia, non sufficit simplex tactus (manu, pede, ore vel brachio, in alterius genitalia exercitus) etiam mutuus, imo cum pollutione, etiam invicem procurata; sed requiritur concubitus, et ideo ex una saltem parte applicatio membri genitalis ad corpus alterius, et quidem ad aliquod corporis vas. Pro viris itaque requiritur penetratio membri virilis in vas posterum, vel etiam in os si fiat cum incubatione unius in alterum; pro feminis applicatio organi genitalis unius ad alterum vel ad vas posterum, scii, vulvae ad vulvam vel ad vas posterum. Quod si in alia parte corporis applicatio fiat etiam cum emissione seminis, erit pollutio tactu alterius

personas procurata, non sodomia; nisi inchoative et in affectu, si adsit affectus ad indebitum sexum (pollutio cum affectu sodomitico) et compars non consideretur ut merum medium procurandi pollutionem;

2° ut sodomia sit omnino perfecta et in ratione sodomiae plene consummata, insuper requiritur usus completus genitalium et ideo non sola penetratio vasis posteri a membro virili, aut applicatio vasis anterioris seu vulvae ad vas anterius vel posterius femineum; sed etiam emissio seminis aut humoris vaginalis, non solum in os (tunc vocatur irrumatio) sed in vas supra indicatum, ita quod semen aut humorem recipiat[1]. Unde ubi sodomia est peccatum reservatum, hoc sensu consummatum esse oportet, nisi aliter expresse notetur. Quod in maribus facilius accidit; de feminis aegre intelligitur et generatim reputatur impossibile, ut in praxi est supponendum, quia de his minutis et scandalosis circumstantiis non sunt interrogandae. Notat tamen Ferraris, secundum aliquos, mulieres ope cuiusdam instrumenti diabolici distillationem vaginalem transmittere et in se recipere posse.

II. Sodomia est peccatum gravissimum et exsecrabile uti patet

1° ex eius natura, tum in se, quia gravissime perturbat ordinem et ideo est maxime contra naturam, tum ratione cooperationis, quia ambo sodomitae sibi invicem scandalum praebent et uterque ad gravissimum alterius peccatum concurrit:

2° ex gravioribus poenis iure antiquo vel ab ipso Deo inflictis (Gen. XIX);

3° ex doctrina Apostoli ad Rom. I, 26-28.

III. Animadversiones. 1° Recentiores plures ipsam essentiam seu specificam rationem sodomiae, sicut et bestialitatis. et essentiale discrimen saepe videntur reponere in affectu ad personam eiusdem sexus, aut ad bestiam, vel in speciali delectatione exinde orta. Id tamen non videtur congruere principiis generalibus in materia morali : delectatio enim non est mala nisi mala sit actio ex qua sequitur, unde non constituit ipsam essentiam actus peccaminosi; affectus internus autem potest

1 Ex emissione seminis peccatum consummatum est in ratione luxuriae, non autem in ratione sodomiae nisi semen emittatur in vas indebitum.

esse circumstantia ex parte agentis quae peccato externo internam malitiam specifice distinctam addit (sodomia in affectu), sed non potest ipsius peccati externi mutare naturam aut eius differentiam constituere specificam. Hoc essentialiter est in speciali usu perverso organi genitalis; unde ad sodomiam effectivam requiritur penetratio vel usus organi indebiti, utpote eiusdem sexus.

2° Ne existimetur praedictum peccatum sodomiae rarius committi : nonnumquam existit sub forma pederastiae *(knapenschending)*, in magnis urbibus etiam sunt lupanaria virorum, in exercitu praesertim apud equites et in navibus apud nautas sat frequens est. Similiter in historia feminae cognoscuntur quaedam celebriores quae ad alias accedebant in vero congressu etsi perfecte consummatus forsan reputandus sit impossibilis.

3° Non explicandum venit quisnam fuerit agens, quisnam patiens, quia ista circumstantia non mutat speciem; declarandum tamen est an pollutio contigerit, et praesertim si .non contigerit.

4° Concubitus in vase, maxime quoad feminas, malitiam fornicationis de facili comitem habet : femina enim patiens, dum feminam agentem provocat, dicere solet : « fac mecum sicut vir », imo interdum femina agens non solum concumbit, sed aliquo instrumento, quasi membro virili, utitur. Confessarius itaque — potius quam de turpibus modis aut circumstantiis, — de hac fornicationis malitia prudenter inquirere poterit.

5° Item circumstantiae consanguinitatis, affinitatis, coniugii, voti, etc. malitiam addunt sodomiae.

Articulus III.

De Bestialitate.

I. Bestialitas *(beestachtigheid)* est concubitus cum bruto; quae ut sit perfecte consummata in ratione bestialitatis, debet

1 Cfr. supra p. 10, nota 3.

adesse effusio seminis in aliquod vas et quidem naturale seu ad coitum destinatum. Unde ubi est peccatum reservatum, ita intelligendum est, nisi aliter expresse notetur.

II. Bestialitas per se, ut distincta species, est gravissimum omnium luxuriae peccatorum, quia maxime perturbat ordinem naturae, ac per illud homo iumentis comparatur ita ut cum iis una caro fiat (cfr. Lev. XX. 15-16).

Cuius species non mutatur qualecumque sit bestiae genus aut sexus.

III. Ad bestialitatem reducitur : 1° concubitus cum daemone succubo vel incubo, apparente sub forma humana; quia daemon est diversae speciei cum homine. Quod peccatum addit bestialitati speciem contra religionem, scii, malitiam superstitionis; insuper aliae malitiae addi possunt secundum formam personae coniunctae, religiosae, eiusdem vel diversi sexus, sub qua daemon se ostendit. Raro daemon vere apparet; ordinario ex quadam vehementi hallucinatione fit quod aliquis revera existimet se habere concubitum cum daemone.

2° Item necrophilia seu copula cum femina mortua, quae aliquando committitur a custodibus mortuorum, et sensum omnino depravatum ostendit. Istud peccatum *secundum rem* participat de malitia pollutionis quia semen proiicitur in rem inanimatam, fornicationis propter formam externam feminae, et bestialitatis propter diversitatem speciei; at haec ultima non semper perspicitur a peccante, et ideo *secundum affectum* species peccati pendet ab apprehensione et intentione operantis. v. g. pollutio effectiva et fornicatio affectiva.

IV. Animadversiones. 1" Crimen hoc praesertim committitur a ruricolis et pecorum custodibus, et a quibusdam feminis quae canibus utuntur ad exple.ndam libidinem.

2° Tactus impudici cum bestia, sive tangantur genitalia bestiae, sive propria genitalia tradantur bestiae ut ea tangat aut lambere possit, sive propria genitalia ipsi applicentur ut eius ope, tanquam instrumento, voluptas procuretur venerea, non sunt proprie et effective bestialitas: nec eius malitiam habent affective nisi fiant ex affectu bestialitatis, sed ad eam conducere possunt. Imo tactus genitalium bestiae non sunt necessario peccatum mortale; attamen saepe pollutionem provocant, quo casu sunt graviter peccaminosi, sed non bestialitas.

3° Bestialitas cum bestia eiusdem sexus exercita, quamvis per se non differat specie, potest aliquando fieri ex affectu sodomitico ad indebitum sexum aut ad vas innaturale.

Articulus IV.

De Innaturali cum Femina Concubitu.

I. Concubitus innaturalis cum femina *(tegennatuurlijke vrouwebeslaping)* est ille qui modum a natura indicatum non servat ita ut exinde impediatur generationis possibilitas. Unde eo ipso est contra naturam et graviter peccaminosus, quia directe adversatur fini naturali actus genitalis.

Contra naturam esse potest dupliciter :

1° *ex parte organi* in quo copula habetur, dum non exercetur in vase naturali, id est vagina, sed in vase innaturali et organo indebito, scii, in vase postero vel in ore : vocatur sodomia improprie dicta, quia imitatur veram sodomiam:

2° *ex parte solius modi,* si copula exercetur in vase naturali et organo debito, vagina, sed ita ut ex ipso modo quo actio peragitur, generatio impediatur : sive quia vir ante seminationem se retrahit et semen extra vaginam effundit, sive quia ipse vel mulier adhibet instrumenta vel alia media quibus impeditur ne semen ad uterum transeat : dicitur onanismus, ex facto de Onan narrato (Gen. XXXVIII. 9). Si enim solus modus naturalis et debitus in situ, loco vel tempore non servetur ita tamen ut non impediatur generatio, modus est solum *praeter naturam (ongepaste of ongewone tvijze),* non contra, nec ex se graviter malus.

II. Onanismus vario modo fieri potest :

1° ex parte viri : a) si copulam incipit in vagina sed *se retrahit* ante seminationem et semen extra vaginam effundit: b) si induit membrum virile vel solum huius glandem aliquo tenui indumento seu palliolo *(condom*[1] *capote anglaise)* intra quod retinetur semen emissum;

[1] Ita vocatur quia inventorem habuit Doctorem Condom.

2° ex parte mulieris : a) si utitur *pessario occlusivo (stérilet),* i. e. quadam re in imam vaginam introducta ad occludendum os uteri, v. g. claustro metallico, spongia, gossypio, filis lini, etc.: b) si utitur *pseudo-vagina,* i. e. membrana subtili intra totam vaginam disposita in qua semen emittitur.

Praeter istos modos innaturales concumbendi, sunt alii modi quibus, actione peracta, conceptio impediatur, v. g. lotio vaginalis qua ope syphunculi seu irrigatorii post copulam semen expellitur aqua vel substantia antiseptica; vel. immediate ante vel post copulam, sparsio substantiae chemicae (v. g. pulveris anticonceptionalis) aut iniectio liquoris acidi, qua semen enecatur. Sed isti modi potius sunt contra iustitiam cui per se, quam contra castitatem cui per accidens ob intentionem agentis opponuntur; insuper plures sunt modi iniusti quibus proles iam concepta nasci aut vivere impediatur, v. g. abortus vel craniotomia.

III. Animadversiones. 1° Pollutio facta inter brachia, crura, ubera, etc., mulieris non est sodomia imperfecta: neque in affectu nisi adsit affectus ad indebitum organum. Est pollutio cum affectu fornicationis.

2° In sodomia improprie dicta exprimendum est an adfuerit pollutio : consummatur enim per emissionem seminis.

QUAESTIO QUINTA.

De Luxuria imperfecta seu de Impudicitia.

I. Impudicitia *(schaamteloosheid, oneerbaarheid)* seu luxuria imperfecta est illa quae externe inchoat luxuriam perfectam, quin actus exterior ad terminum suum naturalem seu summum delectationis gradum perducatur: aliis verbis sunt illi actus

1 Cfr. tractatum de lustitia et Embryologiam.

externi qui nati sunt circumstare actum luxuriae consummatae ac eius initium et quasi partem aut circumstantiam constituunt. Unde non est confundenda

1° cum *luxuria interna* quae in sola mente et voluntate perficitur et pravus affectus est, sive sit delectatio sive desiderium;

2° cum *occasione externa quae* non est praeparatio vel initium actus consummati, sed mera occasio vel periculum cum scandalo plus minusve proximum luxuriae internae vel externae, v. g. choreae et spectacula.

Actus imperfecti solent numerari plures : aspectus, tactus, oscula, amplexus, sermones, cantus, lectiones. Sed tres ultimi sunt merae occasiones, et quidem luxuriae internae, ad quam reducuntur : sunt eadem peccata ac cogitationes et desideria quae intus foventur dum verba proferuntur. Oscula autem et amplexus facile reducuntur ad tactus. Unde de solis aspectibus et tactibus est quaerendum et isti adhuc *per se* sunt unum et idem peccatum.

II. Actus externi qui carnalem delectationem imperfectam excitare et ita materiam praebere impudicitiae de se apti sunt :

1“ *Secundum se* non sunt luxuriosi et mali, quia in ipsis delectatio venerea per se non reperitur; sed sunt indifferentes, secus enim nunquam essent liciti, dum tamen ex bono vel malo fine exerceri possunt, v. g. tactus ad medendum, aspectus ad investigandum, et duplicem effectum producere bonum aut malum. Unde de se, i. e„ seclusa intentione et vi luxuriam excitandi, non sunt mali nec impudici; imo ex fine honesto et ob rationem proportionatam exerciti, sunt liciti.

2° Mali et impudici esse possunt, praesertim si extra matrimonium fiant, quae est sola hypothesis quam in praesenti respicimus :

a) ex intentione agentis, ratione intenti finis, qui potest esse mortaliter malus si quis quaerit ipsam delectationem veneream; e contra finis est venialiter malus si exclusive fiant ex curiositate, levitate, ioco aut ob solam delectationem sensibilem; finis est bonus si quis agat ex quadam necessitate vel utilitate;

b) ex natura actus, ratione influxus in commotionem et delectationem veneream ; natura enim sunt apti ut provocent

motus turpes et delectationem excitent, et ideo, nisi iusta causa proportionata adsit delectationem permittendi, illicitum est, graviter vel leviter, eos exercere ex hoc solo quod graviter vel leviter influant in delectationem veneream, etiam sine intentione mala aut periculo consensus. Unde si in aliquo actus valde inhonesti et repetiti fierent sine periculo motus venerei, pro illo ,non essent peccatum contra castitatem;

c) ex conditione personae, ratione periculi : aliquando enim, etiam si de se leviter influant in motum venereum, propter hominis fragilitatem possunt esse periculum consensus pro ipso, vel,gravis scandali pro aliis[1].

Itaque secundum speciem externam non sunt mali nec impudici, sed indifferentes; et tamen ut impudici, sunt intrinsece mali propter delectationem veneream voluntarie quaesitam aut causatam. Nulla igitur est oppositio inter assertionem praesentem : hos actus secundum speciem esse indifferentes; et doctrinam fundamentalem in materia luxuriae ; omnem luxuriam directe et in se voluntariam esse graviter malam. Nam, ut declarat Caietanus, in h. l. : oscula, amplexus, tactus non sunt peccata mortalia ex genere, sed solum ex intentione operantis; et nihilominus, ut addit ipse, oscula, amplexus, tactus habiti propter delectationem ex iis percipiendam sunt ex genere mortalia peccata propter finem operis, quia ordinantur secundum se ad delectationem concubitus.

III. Impudicitia hoc modo specie differt a pollutione et luxuria consummata sicut species imperfecta a perfecta. Quod intelligendum est si in ea sistitur; nam si ex intentione fit actus perfecti et cum eo coniungitur, unum specie completa et numero sunt peccatum.

Mera autem impudicitia *de se* est peccatum unius et eiusdem speciei : omnis motus venereus enim de se, et nisi speciales accedant circumstantiae, est eiusdem speciei, quocumque modo ortus sit, aspectu, lectione, tactu etc., quia delectatio venerea quae in omnibus actibus invenitur est eiusdem naturae[3]. Unde in confessione sufficit dicere : imperfectam luxuriam exercui vel *voluntarie* habui motus carnales

[1] Cfr. S. Thomas, II-II, q. 154, a. 4.

[3] Nec dividitur ex parte actus externi secundum et contra naturam : de se enim nil tale dicit, sed ab hoc abstrahit, quamvis ex fine agentis seu ex parte affectus ita aestimari possit.

et delectationem veneream procuravi, expertus sum, admisi, etc.

Per *accidens* tamen potest malitia specie diversa addi propter quasdam circumstantias, quae proinde in confessione sunt declarandae :

1° ex circumstantia personae agentis, et sic declaranda est circumstantia voti;

2° ex circumstantia intentionis internae seu affectus, variae malitiae addi possunt prout actus fiant affectu fornicario, sodomitico, bestiali, stupratorio, adulterino, incestuoso, sacrilego, eodem modo ac dictum est de pollutione;

3° ex circumstantia modi specialis quo peraguntur, scii, si fiant cum alia persona : tunc enim intervenit scandalum et culpanda complicitas; — quod si actus exteriores secundum se sint praeparatio et inchoatio actus completi cum illa persona, malitiam specificam huius actus completi participant. Hoc ultimum de tactibus, amplexibus, osculis valet, de quibus itaque circumstantia alterius personae est declaranda etiam si haec fuerit invita; non valet de aspectibus qui (nisi accedat desiderium) non sunt inchoatio actus completi cum persona exerciti, ac proinde declarari sufficit adhibitio alterius personae, addita tamen circumstantia voti si ista persona voto ligata sit et consenserit.

IV. Ut doctrina tradita in praxi facilius ad concretos casus applicetur, solent theologi

a) distinguere in corpore : partes *honestas,* quae iuxta morem patriae inoffenso pudore omnibus exhibentur, ut apud nos facies, manus, pedes; *minus honestas,* quae ex usu recepto et iusta consuetudine tegi consueverunt, uti apud nos pectus, dorsum, brachia ex parte, crura; *inhonestas* seu turpes, quae ubique apud cultas nationes ex .naturali pudore vestibus obducuntur : sunt genitalia et partes illis vicinae quae cum iis nervosam affinitatem *(innervation connexe)* possident. Dicuntur autem inhonestae, non secundum se : nihil a Deo creatum est inhonestum: sed quia, ut obiectum aspectus vel tactus, plerumque terminare actus inhonestos natae sunt.

b) item, tradere generales regulas in experientia fundatas, quae valent ordinario pro regionibus cultis Europae, ibique pro casibus frequentioribus. Hae regulae tamen plerumque sunt

tantum praesumptiones, ac proinde plures exceptiones admittunt, sive propter frigidam aut calidam complexionem individualem, sive propter specialem educationem aut assuefactionem, sive propter mores et publicos usus, etc. Et ideo aliquando praesumptio cedit veritati, et regulae istae magis particulares regulis omnino universalibus traditis sub n° II, quae ubique et semper et in omnibus casibus applicantur.

Regulae autem tradi solitae sunt sequentes :

A. Quoad tactus.

1° Tangere corpus sive proprium sive aliorum ex intentione libidinosa seu affectu venereo semper est mortale.

2° Tangere partes genitales aliorum, praesertim diversi sexus, etiam mediate supra vestes, (excepto necessitatis casu prout contingit medicis, chirurgis aliisque curam infirmorum habentibus) est *ordinario* mortale quia de facili libidinem provocat et pravum affectum ostendit; item mulieris ubera et praesertim papillas tangere morose, quia sedes sunt excitationis voluptuosae, quae solet secum ferre genitalium commotionem etiam vehementem. Excipitur si praedictae partes ex sola levitatis causa et tantum obiter tangantur, uti apud nutrices tangentes organa parvulorum, vel impuberes eiusdem sexus se tangentes.

3° Tangere genitalia brutorum ex curiositate aut sensualitate, generatim veniale non excedit, praesertim si fiat obiter, quia graviter non movet ad libidinem; quod si diu fiat vel usque ad pollutionem bruti, facile inducit periculum propriae pollutionis,

4° Tangere partes minus honestas personae eiusdem vel diversi sexus, non ex venereo affectu nec ex utilitate, sed ex curiositate, sensualitate, sensibili amore, generatim est solum veniale, praesertim si fiat obiter, ex ioco vel levitate: si vero morose et cum gravi commotione organorum genitalium, praesertim si agitur de persona diversi sexus, facile erit mortale ob periculum proximum consentiendi delectationi venereae.

5° Seipsum tangere in partibus inhonestis, necessitatis aut utilitatis causa, v. g. ad abigendum pruritum, sordes abstergendas, curandam infirmitatem, non est peccatum, dummodo excludatur consensus in delectationem veneream quae inde oriri potest: id facere sine iusta causa, ex levitate vel

curiositate et absque affectu venereo, est peccatum veniale, nisi tactus graviter influant in motus carnales vehementes, aut proximum inferant periculum consensus.

B. Quoad oscula et amplexus.

1° Facta ex affectu venereo sunt mortalia.

2° Facta in partes inhonestas, vel minus honestas ut ubera, ordinario sunt mortalia, quia plerumque graves motus carnales excitant et affectum venereum indicare solent : nisi forsan fiant obiter et ex sola levitate.

3° Facta in partes honestas, absque rationabili causa, sed ob amorem sensibilem et ex levitate, ioco, sensualitate, sunt venialia, nisi adsit proximum periculum consensus in delectationem veneream, uti facile fit si sint morosa, aut saepius repetita, aut cum magno affectu impressa inter personas diversi sexus, praesertim osculum columbinum quo lingua in os alterius intromittitur.

4° Oscula, amplexus, contrectationes manuum iuxta morem patriae, urbanitatis, amicitiae vel cognationis causa, su.nt licita, etiam si per accidens motus carnales excitentur, dummodo absit periculum consensus.

C. Quoad aspectus, qui sedulo distinguendi sunt a mero visu, et ad libidinem minus tamen quam tactus (quia sunt minus materiales) commovent, ac ideo periculosi sunt :

1° Absque necessitate aspicere morose et deliberate sive genitalia alterius sexus, aut etiam ubera mulieris omnino nuda vel velo perlucido cooperta, sive virum et mulierem copulam aut actus impudicos in invicem exercentes, sive personas sese polluentes, est *ordinario* mortale quia graviter movet ad delectationem veneream. Excipe si obiter aut valde remote fiat, aut aspiciens sit senex frigidus vel infans.

2° Sine iusta causa aspicere partes minus honestas personae diversi sexus vel coitum animalium, ex curiositate vel levitate et sine affectu venereo, ordinario est veniale, praesertim si fiat obiter.

3° Sine causa aspicere propria genitalia, ex curiositate vel levitate et sine affectu venereo, est veniale, praesertim si obiter fiat; item hoc modo aspicere genitalia personae eiusdem sexus,

nisi quis esset pronus ad sodomiam, aut nisi adolescens valde pulcher morose aspiceretur.

V. Corollaria.

1) Ut vitetur cooperatio ad peccatum alterius, generatim illicitum est admittere tactus vel oscula, etiam honesta, quae cognoscuntur oriri ex affectu libidinoso, nisi iusta causa vitandi proprii vel agentis damni. Et quidem

a) si tactus sint in se inhonesti et absque necessitate fiant, illicitum est ratione cooperationis ad peccatum alterius sine iusta causa habitae;

b) si agatur de osculo aut tactu in se honesto coram aliis qui pravam alterius intentionem ignorant, admitti potest ne alter diffametur, secluso tamen periculo proprii consensus: si secreto fiat ita ut sine gravi incommodo praecaveri valeat, permitti nequit, quia illicitum est sine gravi causa cooperari alterius mortali peccato.

2) Aspicere imagines vel picturas aut statuas vere obscenas, repraesentantes personam diversi sexus, non obiter sed morose, est peccatum cuius gravitas pendet ab ipso periculo plus minusve magno excitandi delectationem veneream vel ipsi consentiendi; nisi fiat iusta causa, v. g. ob scientiae anatomicae studium, et absit periculum consensus. Generatim tamen illicitum est tales imagines vel statuas conficere, nisi scientiae anatomicae causa, eas spargere, omnibus indiscriminatim vendere et publice omnium oculis exponere, quia ista non fiunt sine gravi scandalo *plurium.*

Obscenae autem imagines sunt vel illae quae *intendunt* exhibere partes omnino inhonestas personae adultae nudas aut tenui tantum velo coopertas, vel actus graviter impudicos repraesentant, aut formas omnino lascivas et communiter ad libidinem incentivas; e contra artisticac censentur illae quibus intuendis aspicientes maxime moventur a modo repraesentationis artistico vel ab idea repraesentata potius quam a nuditate. De quo legere est P. Venneersch, *De Castitate,* n° 181 [1].

1 « Operae pretium in primis erit ut sciamus quid *obscena* tabella, statua, a mere *nuda* effigie differat. Nuditas alia in *occasione,* alia in *intentione* esse potest. Nuditas praeterea vel *propter se* expresse quaeritur, vel ad finem aliquem obtinendum, tanquam *medium* eligitur: v. g. (si ex arte exemplum sumemus) ut pulchra totius corporis humani

3) In plerisque picturae aut sculpturae academiis, tanquam exemplaria proponuntur personae nudae, quia aiunt studia in nudum corpus esse ad perfectionem artis necessaria, lamvero :

a) id non est licitum ad pingenda aut sculpenda obscena, quae pluribus sunt occasio peccati, nisi scientiae anatomicae vel medicae causa;

b) si, in quibusdam adiunctis, .necessarium existimetur ad perfectionem artis, admitti potest, adhibitis tamen cautelis ne inordinationes sequantur; quapropter ne personae diversi sexus simul exhibeantur, ne vestes exuant coram pictoribus, tecta habeant genitalia ad affirmandum pudorem, et si fiat privatim, testis adsit eiusdem sexus;

c) iuvenes qui artem addiscunt habent rationem excusantem dummodo cauti sint; puellae vero honestae, ratione periculi, difficulter a peccato excusantur si sponte et absque necessitate sese exhibent in his academiis; quae vero hisce iam fuerunt assuetae in minore periculo versantur et excusari possunt si quaedam adest necessitas.

harmonia appareat. Est etiam nuditas simplex, quae attentionem captare non vult, et nuditas affectata ad alliciendam libidinem. Affectata autem ex comitante gestu, ex vultus significatione vel ex ipsa ostentatione esse potest. Sed nuditas *affectata,* et, in praesenti generis humani conditione, post peccatum, etiam nuditas *propter se quaesita* obscenae reputandae sunt.

Non ergo obscenus est puer qui, ubi usus ita ferat, sive solus sive coram aliis vestes ad lavandum corpus exuat, vel qui se medico curandum ostendit : obscenus vero est qui personis obviis partes exhibuerit. Neque obscena dicetur imago S. Agnetis martyris a pictore confecta qui martyrium secundum narrationem repraesentare voluerit. Imo non repugnat quin nuda effigies in vultu modestiam vel sanctos affectus ferat qui attentionem a corpore avocent et pudicam verecundiam imperent. Contra, quaedam vestimenti ratio quae, potius quam ea tegat, pudenda indicare vel illuminare videatur, ex incomplete nuda effigie obscenam facere potest. Pariter, pro veritate historica, quod nudum erat commemorari poterit; obscenus autem fit sermo qui in lascivis rebus discribendis cum delectatione haerere videatur.

Igitur, quo magis res vel narratio nobiliore idea spolietur, attentionem autem ad pudenda vel inhonesta trahat; vel quo magis formalis veluti invitatio ad turpia aspicienda vel mente volvenda accesserit, eo magis narrationes vel picturae aut statuae obscenae dicendae eruat.

Obscenum itaque describi potest : *turpis, in nuditate, manifestatio anini.*

4) De Musaeis invisendis docet P. Vermeersch, o. c. n° 183 :

« 1° *Improbandum* omnino est ut quisquam ad videndas nudas effigies vel tabulas musaea ingrediatur.

2° *Tolerandi* interdum sunt accessus ex futili curiositate facti, quibus, sine ulla artis notione vel eius excolendae intentione, quispiam aulas leviter perlustrat. Huiusmodi accessus positive probandi vel commendandi non sunt, quia aegre fit ut in his voluptuariis rebus aspiciendis nihil sensualitati concedatur; periculum autem nullo lucro compensatur. Tolerandi tamen interim erunt, quia, cum intentio non sit perversa et periculum plene assentiendi satisfactioni venereae non sit proximum, gravi prohibitioni locus non est, et ipse mos sat receptus haec invisendi aliquam rationem seu excusationem affert. Adeuntes monendi sunt, ne oculos in obscena defigant.

3° Eas tantum rationes adeundi museae plane *probabimus* quae nobilem intentionem manifestant, v. g. si quis, ad aestheticum sensum exercendum, pauca quaedam mirabili facta arte, attente considerare voluerit.

Inde hodie valde commendandum videtur ut ubique, in scholis, sensus iste aestheticus aliquo modo colatur. Dum enim de artefactis indicate discunt, alumni assuescunt altiores cogitationes volvere, nec statim explorare quid pabuli sensibus offeratur: discunt etiam honeste indignari si quando turpis imago, sine arte et cura confecta, ipsos brutali ratione tentare videatur. Idem suadet R. P. Gillet, O. P. *Innocence et ignorance,* p. 210 ».

VI. Animadversiones. Ad actus impudicos rectius aestimandos, notare iuvat :

1" Influxus causarum partialiter dependet ab intentione voluntatis : intentio scii, seu consensus in motum carnalem vel delectationem solet augere influxum in motum ulteriorem et

vel sollicitatio. Consonat usus vulgaris, quo obscenum dicitur *nudum allectans* (nu provoquant).

Constat itaque obscena intuenda non esse; idque tum ex sensu quodam offensae dignitatis, tum ad castitatis securitatem vel saltem suavem nitorem *(délicatesse),* monente prudentia iam antiqua, ut tentationes istius generis fugiendo potius quam directe aggrediendo vincamus ».

Vide etiam P. Sertillanges, *La Morale à nos expositions de peinture,* in 7?ci>. *Thomiste.* III. 1895, p. 208.

actum completum; e contra iusta causa seu ratio cohonestans solet illum minuere.

2° Ubi in motibus carnalibus nullus perspicitur effectus seu alius finis praeter delectationem, propter istam qui illos admittit convincitur agere saltem virtualiter et implicite.

3° Ob summam corruptae naturae proclivitatem, magnum imminet periculum, ne paulatim admittantur graviora. Unde facile occurrit periculum hallucinationis : qui enim actiones leviter influentes admittunt, facile sibi persuadent se in iis admittendis non duci nisi curiositate vel urbanitate vel amicitia, reipsa autem libidinis aestu ad ea impelluntur : luxuria larvata. In iis itaque cavendum est omnino a morositate vel nimia inhaesione vel frequenti, etiam cum quadam adsit causa, repetitione; quae omnia indicare solent nimium affectum vel et animum libidinosum.

VII. Monitum. Pueris tactus, praesertim dum in lecto decumbunt, severe interdicendi sunt ob funesta consectaria; item graviter reprehendendi sunt pueri et puellae sibi invicem ex levitate vel curiositate genitalia detegentes : etsi hac aetate hoc per se mortale non sit, castum pudorem minuit atque ad ulteriora disponit et conducit.

QUAESTIO SEXTA.

De Luxuria interna.

I. Tria sunt peccata interna luxuriae : delectatio morosa, desiderium et gaudium. Prima respicit tempus praesens, quia versatur circa obiectum quatenus hic et nunc cognitione nobis est praesens; desiderium respicit futurum, quia est actus voluntatis rem malam exoptantis; gaudium respicit praeteritum, et est complacentia seu approbatio operis mali a se vel ab aliis olim patrati. Aliis verbis delectatio morosa est consensus in *solam delectationem* cogitatam praesentem, non in ipsum actum

(qui si esset praesens, iam luxuria esset externa); desiderium est *etiam* consensus *in actum* futurum et ponendum; gaudium est consensus *in actum* praeteritum et positum.

II. Delectatio morosa luxuriosa *(complaisance impure, onkuisch behagen)* nihil aliud est quam consensus in delectationem de opere luxurioso vel impudico; unde definitur : simplex amor seu complacentia voluntaria circa opus venereum cognitione ut praesens exhibitum absque voluntate illud exsequendi. Qui enim delectatur, fingit sibi actionem peccati praesentem, v. g. fornicationem, et de illa deliberato consensu delectatur tanquam actualiter exsequeretur et fornicaretur, sine tamen desiderio exsequendi.

Vocatur *delectatio,* quia sola cogitatio de re mala non est peccatum (nisi per accidens in quantum periculum peccandi includit), sed delectatio de re luxuriosa cogitata; vocatur morosa, non quod requirat moram temporis, nam unico momento perfici potest, sed quia ratio deliberans, potius quam repellat delectationem, circa eam immoratur in quantum res ;enerea est ci grata et iucunda.

Delectatio morosa luxuriosa est peccatum et quidem mortale. Nemo enim delectatur nisi de eo quod videtur ipsi bonum et naturae suae conforme; qui ergo delectatur de re luxuriosa, eam habet ut sibi bonam, ac proinde eius affectus in rem malam tendit. Cum autem omnis luxuria externa in se et directe voluntaria sit mortaliter mala, etiam voluntaria de ipsa delectatio est mortalis ; quod enim aliquis deliberate eligat quod affectus eius conformis sit operi quod de se est mortale, iam est peccatum mortale. Ita S. Thomas, I-II. q. 74, a. 8.

QuocT profecto intelligendum est de complacentia plene voluntaria in voluptate *venerea.* et in actibus verae *luxuriae,* et quidem *ex natura sua graviter malis:* non autem de complacentia in delectatione *mere sensibili,* aut in actibus luxuriae *ex natura sua leviter malis,* utpote solum indirecte aut in causa parum influente voluntariis, vel in mera *immodestia,* ut in tactu et aspectu genitalium ex curiositate tantum vel levitate habitis. Uti patet ex principiis generalibus supra expositis, et ex toto processu argumentationis.

III. Delectatio morosa, licet sit minus mala quam ipsum malum opus vel eius propositum, attamen quia tendit ad idem obiectum cogitatum, habet malitiam specificam operis,

dummodo et in quantum istud cogitatur ut delectabile seu ad delectationem movet. Ita delectatio de sodomia, de adulterio ut adulterio, de fornicatione differunt specie. Nihilominus delectatio morosa non contrahit malitiam circumstantiarum quas ratio repraesentat, sed a quibus in delectatione abstrahit et circa quas non versatur delectatio seu quarum delectabilitate appetitus non movetur : delectatio enim tendit in obiectum, non ut realiter, sed prout in intellectu existit, ac proinde non tendit in circumstantias quas ratio non repraesentat ut delectabiles et quae non sunt motivum delectationis. Hinc

1° si obiectum imaginatum non placet nisi ut causa delectationis carnalis in genere, sola malitia impudicitiae seu luxuriae imperfectae contrahitur et est accusanda, nisi tamen sequatur pollutio;

2° si autem delectatio habetur de speciali circumstantia, v. g., de actu exercendo praecise ut solitario, vel cum femina, cum coniugata, cum sacra, aut cum mari, etc., affectus ad hanc specialem malitiam contrahitur et accusandus erit peccati solitarii, vel fornicationis, adulterii, sacrilegii, sodomiae, etc.;

3° si quis delectatur de persona coniugata vel sacra, non in quantum coniugata vel sacra, sed in quantum pulchra, sola malitia specifica fornicationis, non adulterii vel sacrilegii, contrahitur.

IV. Desiderium luxuriosum *(onkuische begeerte)* absolutum et gaudium *(onkuisch verheugen)*, habent eamdem speciem ac gravitatem malitiae, quam habet opus circa quod versantur, ponendum vel positum, cum omnibus circumstantiis cognitis (Matth. V, 28): desiderium enim tendit in opus realiter ponendum, ac proinde non ut abstracte repraesentatur in intellectu tanquam delectabile, sed prout est ex parte rei; et gaudium est de opere praeterito prout fuit; et utrumque tendit in omnes circumstantias quae sunt in opere et ab ipso in concreto non sunt separabiles.

E contra in desiderio conditionato, si conditio malitiam obiecti omnem vel partialem excludit, illa totaliter vel partialiter non contrahitur, v. g. copulam haberem cum illa si esset mea, peccarem cum illa nisi esset nupta [1]; si vero conditio non excludit malitiam, haec tota contrahitur, v. g. fornicarer si liceret vel si possem.

[1] Quod in praxi tamen potest esse periculosum, ut dicetur pag. seq.

V. Corollaria. Delectatio morosa *de opere luxurioso* cogitato ne confundatur

1° cum delectatione *de ipsius cogitatione,* quae potest esse bona, v. g. delectari de scientia theologica circa res turpes;

2° cum delectatione *de modo* quo res luxuriosa fit : haec enim est bona, venialiter vel mortaliter mala, prout ipse modus sit bonus aut leviter vel graviter malus. Exempla sunt : delectari de modo ingenioso vel novo patrandi luxuriam, de copula matrimoniali habita praeter modum naturalem, de modo exercendi luxuriam contra naturam;

3° cum delectatione *de solo* effectu bono e luxuria sequuto v. g. de prole concepta ex fornicatione vel de concupiscentia sedata ex pollutione : haec licita est, dummodo non habeatur etiam de ipso opere luxurioso propter bonum effectum;

4" cum delectatione *de opere ut alio tempore vel statu licito* : haec enim licita est, non quidem si fiat de opere absolute et tanquam de praesenti, v. g. pro sponsis de copula nunc habenda, sed si fiat sub conditione temporis vel status quo erit licitum, quia haec conditio malitiam ab opere aufert, v. g. de copula in matrimonio futuro habenda. Quod intelligendum est de delectatione appetitus rationalis qui tendere potest ad obiectum ut a ratione propositum, ac proinde sub conditione de futuro vel de praeterito et sic a malitia abstractum; non valet de delectatione appetitus sensitivi qui tendit in obiectum a sensu propositum, ac proinde semper absolute et tamquam de praesenti. Hinc pro praxi

a) appetitu rationali, non autem carnali, possunt sponsi de copula futura delectari et ipsam desiderare, item vidui de praeterita delectari et gaudere;

b) aliis autem solutis, quamvis idem de se non sit illicitum, ordinario est illicitum per accidens, quia non fiet sine motibus concupiscentiae quos excitare non possunt, et ad quos permittendos isti nullam rationem habere possunt;

c) e contra coniuges, etiam absente comparte, delectari possunt carnaliter de copula habita vel habenda, — dummodo non fiat principaliter ob delectationem, sed ob finem honestum, et non adsit periculum pollutionis, — quia hic et nunc copula ipsis est licita, quamvis per accidens sit impossibilis.

Notetur autem praedictas delectationes omnes in praxi esse vitandas, tum quia saepe sunt otiosae et ideo peccata venialia.

tum quia valde periculosae, cum facile fiat transitus ad delectationem de ipso opere luxurioso. Coniugatis tamen, hac in re, maior erit libertas.

VI. Animadversio. Causa vel occasio luxuriae internae sunt turpia colloquia et scripta, eorumque auditiones et lectiones; de quibus notetur :

1° Quando aliquis turpia loquitur ex affectu libidinoso, ad excitandum sive in se sive in aliis delectationem veneream, semper est peccatum mortale. Idem est dicendum quando aliquis, turpia loquendo, exponit se vel alium per talem locutionem occasioni proximae peccati mortalis.

Hinc facile peccant graviter a) qui sermones permiscent de actu coniugali, de licitis et illicitis inter coniuges. de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem, vel circa iuvenes et puellas, praesertim si inter juniores diversi sexus id fiat;

b) qui ob Jactantiam narrant sua turpia peccata, tum quia praebent saepe magnum scandalum, tum quia de facili sibi complacent in peccatis patratis;

c) qui turpia dicunt ob delectationem captam ex istis rebus cogitatis, vel cum periculo talis delectationis, vel cum periculo gravis scandali.

2° Loqui turpia ex levitate vel curiositate aut ad solam recreationem, ita ut delectatio non transeat ad res quae per verba exprimuntur, sed sistat in artificio verborum, modo absit scandalum et periculum loquentis incidendi in peccatum mortale, non est mortale peccatum : affectus enim voluntatis non fertur in luxuriam. Ita saepius apud rudes et operarios, vel apud mulieres aggregatas. Quia tamen ista recreatio est inordinata, habetur peccatum veniale.

3° Idem dicendum est ac in duobus prioribus principiis, de auditione, lectione et cantu turpium.

4° Scribere turpia propter doctrinam, propter historiam, propter informationem superiorum vel debitam reprehensionem, nullum est peccatum. Quod dicendum est etiam in iisdem casibus de locutione, auditione et lectione.

5° Scribere turpia ob voluptatem sibi capiendam vel in aliis provocandam est peccatum mortale. Item scribere talia sine

hac intentione, sed cum praevisione saltem confusa huius effectus, nisi tamen aliqua .necessitas vel utilitas excuset.

6“ Turpia scribere ob levitatem vel iucunditatem, absque periculo scandali etiam pusillorum, est peccatum veniale tantum.

7° In verbis vel scriptis, invitatione vel consilio aut approbatione, alium ad peccatum luxuriae inducere est peccatum mortale, quod omnes malitias specificas operis suasi participat.

VII. Monitum. Ut in praxi facilius discernatur an peccata interna luxuriae quis voluntarie admiserit, praestat in tentatione distinguere tria stadia :

1"‘ est *suggestio* seu sola repraesentatio mali in imaginatione;

2“ est *delectatio sensibilis* et organica seu placentia in appetitu sensitivo, e suggestione orta si fuerit vivida : est sensus tentationis;

3m est voluntaria, post advertentiam rationis, *complacentia* seu consensus voluntatis in delectationem.

In solo ultimo adest peccatum. Hinc solent dicere : sentire tentationem non esse peccatum, sed consentire, non sensum aut placentiam, sed consensum et complacentiam.

QUAESTIO SEPTIMA.

De Causis et Remediis Luxuriae.

I. Causa praecipua est ipsa propensio naturalis seu instinctus hominis ad propagationem speciei; qui post peccatum originale est inordinatus utpote ratio.ni non subiectus sed rebellis. Cui ratio deliberate inhaerens et voluntas libere consentiens et delectans perficiunt ipsum luxuriae peccatum.

Variae autem causae praedictum instinctum excitare et augere possunt, ac ita rationem et voluntatem commovere et adducere. Quae omnes ad triplex genus reduci possunt :

1) Aliae directe influunt in ipsum corpus, uti usus constans et copiosus pharmacorum *(drogues);* crustaceorum, piscium, ostrearum, apei gravealentis *(céleris),* validioris caffei aut chocolatis, aquarum thermalium sulphurearum; — abundantes potus alcoolici; — cibi excitantes qui sint validiores et copiosi praesertim carnis et venationis, aut valde calidi et conditi, uno verbo : peccatum gulae; — maxime autem musca *cantharis*[1], et potiones medicae specialiter ad excitandum praeparatae *(remèdes contre impuissance)* v. g. *Hachisch (distillation de pistils de chanvre).* Item calores magni et dies fervidiores; — item varia exercitia equitationis aut chorearum; — usus curriculorum, rotarum *(bicyclette),* rhedarum (pro feminis), machinae ad suendum; — lectus dulcis; vestes nimis sericae aut nimis calefacientes vel cruribus adhaerentes aut genitalia comprimentes; — sessiones protractae, cubitus supini; — defectus curae corporalis, praesertim genitalium: — vesiculae urinariae repletio, constrictio ventris seu constipatio.

2) Aliae influunt in sensus. Quarum aliae sunt externae : educatio mollis et effeminata, fastus, otiositas; — mala aliorum exempla; — medicorum impiorum consilium saltem semel in hebdomada se polluendi (ad sanitatem) aut mulieres adeundi (ad inclinationem minuendam); — matres, nutrices, famulae quae ad infantes quietandos horum membra genitalia contrectantes sensum venereum excitant.

Aliae sunt internae : peculiaris status organismi cuiusmodi est complexio sanguinea et nervosa; — aegritudines quae systema nervosum afficiunt ut phtysis pulmonaris et hysteria; — accedit magna delectatio quam hoc vitium affert, et facilitas qua illud occultari potest.

3) Aliae sunt occasiones externae quae animam commovent. Sunt amores sensuales, vani et illiciti, in sola sympathia organica fundati, qui lectionibus, spectaculis et choreis nutriuntur. Talis amor existere potest erga personas diversi sexus (uti sunt *flirts),* aut erga personas eiusdem sexus, sive ex petulantia ridendi causa, sive ex affectu sensuali aut carnali. Quodsi sit erga personam diversi sexus vel erga iuvenem, facile erit occasio scandali gravis in persona clericali aut religiosa; item amor etiam platonicus personae conjugatae erga personam solutam diversi sexus.

1 *La cantharide,* coléoptère or et azur; *de spaansche vlieg.*

II. Effectus huius vitii alii sunt physici, alii psychologici, alii morales.

1) Physici. luvenes huic vitio addicti facile habitum contrahunt omnino tyrannicum, qui eorum vires multum debilitat : frequentia actuum impudicorum totum nervosum systema et cerebrum perturbat; hinc irritationes graves systematis nervosi, debilitas et generalis defatigatio, capitis dolores, appetentiae diminutio ad cibos, convulsiones membrorum, visûs, auditûs et memoriae debilitatio; deinde accedunt pollutiones involuntariae seu passivae, vehementes cordis palpitationes, circulationis perturbatio; quandoque etiam sed rarius incurabiles morbi : phtysis, hydropisia, epilepsia, tabes dorsalis *(phtisie de la moelle épinière),* et apud feminas, uteri inflammatio, hysteria. Saepe etiam frequenti masturbatione amittitur potentia coeundi et generandi.

2) Psychologici sunt : arrogantia, melancholia, hypocondrie, conquisitio solitudinis, neurasthenia et dementia.

3) Morales sunt animi depressio, voluntatis enervatio, inhabilitas ad labores praesertim intellectuales : acies scii, intellectus et energia voluntatis debilitantur adeo ut a peccato vix abstinere possint. Mens enim obscenis imaginibus infecta, vix de aliis rebus cogitare valet: mox evanescunt nobiles ideae atque purae affectiones, insanus praevalet egoismus.

Non omnes tamen hi effectus semper producuntur, neque eodem gradu in omnibus. Sunt enim homines adeo robustae constitutionis corporis, ut ex hoc vitio exigua tantum valetudinis damna et leves nervorum perturbationes patiantur. Ideo ab exaggerationibus cavere debent qui iuvenes luxuriosos expositis malis effectibus a vitio absterrere conantur. Periculum tamen adest ne inveteratus et fere incurabilis habitus contrahatur, ex quo plus minusve praefati effectus sequuntur.

III. Remedia. 1) Alia sunt naturalia seu hygienica quoad *corpus* : victus salubris *(nourriture frugale),* sufficiens .non nimis in carne et dulciolis *(friandises)* consistens, sed potius cibos leves complectens, facilis digestionis, non excitantes, quae exiguo volumine sufficientem nutritionem praebent; — a potionibus valde alcoolicis et vespere a carnibus abstinentia; — lectus durus, non stratus mollior, — non vestitus calidior, adhaerens cruribus, comprimens genitalia, qui reddit corpus nimis delicatum, — cubitus non supinus : cum positio dorsalis

nervos genitales excitat, cubitus sit lateralis et quidem dexter; — ordinata vita, cum hora determinata surgendi et cumbendi, — labor corporalis vel intellectualis intensi studii; — mundities corporis praesertim genitalium (praesertim in puella) ex frequenti ablutione frigida (v. g. mane et vespere), — ludi honesti quibus corpus exercetur usque ad defatigationem, ita ut somnus statim irruat nec imaginatio somnia excitet, — ante cubitum vesiculae urinariae evacuatio. Sunt praeterea medicinae et pharmaca quibus nervosae erectiones, si valde frequentes, vehementes et *abnormales·* sint, de consilio medici reprimuntur, v. g. globuli ex lupulino, hyoscina et bromurum. camphora adalina ad curandos masturbatores; item aliquando hypnotismus; item pro puellis partialis amputatio clitoridis

1 Notat Antonelli, o. c., tom. I, n. 614-618 :

« Duplex remedium praeberi potest, h. e. *hygienicum* et *mechanicum.* Regula *hygienica* princeps est : distrahere mentem et corpus exercere usque ad defatigationem: hinc frequentes, immo quotidie protractae deambulationes, gymnastica, itinera, balnea frigida maris tempore aestivo et quotidie brevissima lavatio totius corporis cum communi aqua, mentem ac spiritum optimis ideis imbuere; cum corpus vespere est defatigatum somnus cito invadit usque ad mane. Lectum durum sit, supine non capiatur somnus: primo mane, vix sommo excusso, necesse est cito surgere: vespere partialia frigida balnea (semicupi) multum conferunt : antequam cubitum pergant, poculum ex sero lactis aut ex decoctione hordei accipiant : si excitatio nervosa erectiones vehementes adducit, lotiones olei camphorati circum genitalia aut spongia vel panniculum (compresse) aqua frigida cum aceto super genitalia, optimos effectus praebent. Ad haec omnia addenda est continuata vigilantia parentum vel institutorum et voluntas in huiusmodi invenibus ab hoc vitio sese corrigendi.

Maxima attentio adhibenda est in cibis eligendis; ratio alimentationis debet consistere in cibis tonicis, minime excitantibus. luxta doctorem Fournier omnes qui debent corrigi hoc vitio, debent uti cibis levibus et facilis digestionis, illis qui parvo volumine continent sufficientem vim nutritionis, scii, ova, lac, carnes tenerae et assatae, aves, leves pisces, tenerae radices, cichorea; debent vitare cibos aeros et irritantes, amylacées, qui intestina dilatant, fructus qui debilitant et gravant stomachum, et suinas carnes. Vespere melius esset abstinere a carnibus; non est bona chocolata cum nimis nutriens sit, neve iuvant crustacei, cum nervei systematis sint excitantes. Item interdicuntur potiones alcoolicae, vina valde alcoolica, cerevisia, the, etc. Optima potio est aqua commixta vino veteri. Item vestes non debent esse nimis calefacientes, neque genitalia comprimere.

quae tamen ab aliquibus habetur illicita, quia talis amputatio (quam isti dicunt notabilem) solum ad directum bonum totius corporis fieri potest. In infantibus aliquando vermes anum inficiunt, qui sunt causa nervosae excitationis, contra quod solet adhiberi medicinale remedium.

2) Alia sunt psychologica quoad *sensus* : mentem distrahere, optimas ideas nutrire, — contra passiones luctari, — imaginationem cohibere, — voluptatem cum felicitate no.n confundere, — pravos socios simul ac solitudinem vitare, — mane somno excusso statim surgere, — sensus mortificare, v. g. moderata subtractione cibi vel somni, imo corporis castigatione ac flagellis, dummodo non diu protrahantur nec concupiscentiam magis excitent, uti facile fit si in femoribus vel lumbis applicentur, a fortiori si in genitalibus.

3) Alia sunt moralia quoad *animam.* a) *Remota* sunt : animus generosus qui egoismum removet et urbanitatem praefert proprio commodo, — cultus sinceritatis. — fiducia in parentes, confessarium, superiores. — magnanimitas in nobili destinatione vitae, — modestia oculorum et gestus, — humilitas et pietas erga Deum praesentem, Christum passum, B. Virginem. Angelum custodem, etc. — sacramentorum recep-

Si vero omnia haec non sufficiunt, nonnullae medicinae attendendae sunt, ut bromurus potassii et praesertim camphorae, lupulina, etc.; chloralium hydratum pro insomnia.

Aliquando praeterea fit ut omnia haec nihil proficiant, propter morbum cerebri aut medullae spinalis, quo inscie pueri et puellae masturbation! vacant. Tunc *media mechanica* adhibenda sunt. Complurima horum sunt; sed melioris effectus censentur : usus indusii, quod brachia coniungit et ante pectus retinet; ligamen simili modo manuum ad collum ita ut nunquam genitalia attingere possint; usus cheirothecarum, ex metallo confectarum, ad manus et nonnullorum apparatuum, item ex metallo aut *caoutchouc* confectorum, qui variae formae sunt prout pueris vel puellis inserviunt, quae ad genitalia applicantur die ac nocte, qui saepe optimos effectus attulerunt.

Si vero omnia haec ad evellendum lethale vitium adhuc non sufficiunt, recurrendum est ad amputationem clitoridis (clitoridcctomia) in mulieribus etiam adultis. Haec operatio facillima est et omnino innoxia... Quodsi ablata clitoride, masturbatio vulvarum sufficiatur, tunc oportet agere cauterizationem faciei internae vulvae, quia quilibet conatus in his partibus dolores excitat, qui masturbationem impediunt ».

Cfr. etiam Debreyne, *Moechialogic.* p. 53-61.

tio frequens et confessio immediata post lapsum, — magna aestimatio puritatis et horror vitii, quibus inculcandis valere possunt vigor casti et tristitia impudici.

b) *Proxima* sunt vel *negativa :* fuga occasionum, scii, vitare vanos amores — lectiones frivolas, — spectacula, — contactum nimium et frequentationes immoderatas cum personis alterius sexus, — ac choreas:

vel *positiva :* roborare voluntatem ut spreta voluptate strenue adhibeantur apta remedia. — frequenter renovare propositum caste vivendi, — firmo et tranquillo animo proponere tentationis abiectionem et fugam omnis relapsus. — confidere in divino auxilio gratiae, — immediate resistere ac *fortiter.* Aliquando efficax remedium est matrimonium[2].

IV. Speciatim quoad educationem. Cum iuniores, sicut cera mollis, distinctas quaslibet impressiones recipiant, maxime interest ut iam a teneris annis discant quanti facere debeant corporis animique puritatem, ideoque quanto cum horrore fugere debeant quidquid impuritatem redolet. Doceantur proinde quanta cum reverentia proprium corpus tractare debeant quod est animae in agendo instrumentum, et ad totius Trinitatis pertinet proprium dominium, utpote a Patre supremo domino creatum, a Filio redemptum, ipsique tamquam membrum coniunctum, a Spiritu S. consecratum tanquam templum eius: quapropter conscii sint se non posse pro libitu uti corpore cuius dominium non habent, sed solum secundum Dei placitum, ideoque sensuales aspectus tactusque esse vitandos, ac nihil privatim agendum quod coram parentibus honestisque personis facere puderet. Nihil igitur coram ipsis dicatur aut peragatur quod morbidam et periculosam curiositatem excitare valeat : his enim attendunt dum aliis rebus distracti videntur: quod vident imitari cupiunt; quod curiositatem excitat sedulo investigant. Nec omnia ex falso pudore tamen mysteriose taceantur aut fictis declarentur interpretationibus, ac si peccata essent illa quae sunt honesta: sic v. g. etiam iunioribus dicatur Deus filios dare parentibus in eorum unionis benedictionem seu fructum.

1 Cfr. S. François de Sales, *Introd. à la Vie Dévote,* p. Ill, c. XVI et XVIII.

a De causis et remediis naturalibus luxuriae etiam legi meretur Payot, *L'Education de la volonté,* 2® p.. ch. 1 et 2.

Speciatim a) *in tenera aetate curandum* est ne nutrices, famuli, aliique cum pueris conversantes, aliquid dicant aut faciant indecorum, quod ipsorum mentibus impuram cogitationem ingerere possit : quidam enim adhuc ingenui pravis colloquiis aut exemplis famulorum corrupti sunt; puelli et puellae non in eodem cubiculo ne praesertim in eodem lecto dormiant (nisi forsan sint valde parvi), imo unusquisque lectum habeat separatum; — decumbere addiscant manibus super lintea aut sub capite repositis vel etiam in crucem iunctis; — castitas ipsis dicatur exigi naturali decentia, cum genitalia inserviant vel proximiora inveniantur functionibus humilioribus, unde natura pro utrisque inspirat eamdem curam puritatis corporalis; addatur tamen id esse pacitum Deo; — defectus et peccata statim corrigantur sine culpabilitatis exaggeratione.

b) Quando *puberes* facti sunt et in seipsis pravos motus experti fuerunt, opportunum videtur ut ipsi parentes prudenter et decenter exponant quae iuniores de his rebus scire legitime cupiunt, ne forte id quaerant a sociis qui pravis consiliis pravisque exemplis ipsos ad inhonesta inducere possunt. luvenibus dicatur pollutionem nocturnam esse naturalem, sed non esse procurandam ne amittantur vires, idque a Deo prohiberi. Puellis quae menstruationem patiuntur exponatur phenomeni causa. Parentes autem opportune responsa ipsorum indoli accomodabunt, non omnia simul exponentes, sed paulatim et gradatim erudientes, addentes se paratos esse ad eorum honestis quaesitis respondendum quoties hi aliquid insuetum animadverterint. Omnibus sat facile sine incommodo revelari potest munus maternum, scii, procreatio e carne matris, diuturnum tempus quo non sine curis et incommodis proles in sinu gestatur, quo finito est laborioso partu edenda, et lacte materno alenda : id enim non excitat imaginationem et sat adaequatam praebet explicationem, imo et utilitatem confert ad augendum affectum pietatis erga matrem, dum pater magis haberi potest ut caput et providentia et custos matris et prolis. E contra munus patris in ipsa generatione et copula coniugali non videtur revelandum, nisi data speciali opportunitate aut necessitate. — Quodsi parentes hac in re deficiant, ad institutores et rectores, et his deficientibus, ad confessarium (pro iuvenibus) spectat eos instruere, non collective simul, sed unumquemque privatim pro varia necessitate .Qui omnes tamen aspectum moralem et supernaturalem in lucem ponant, ac simul efficacia remedia proponant ad resistendum tentationibus : non enim sufficit

scientia ad colendam virtutem, sed motivum supernaturale et gratia Dei.

c) *Grandiores facti,* finientes v. g. studia humaniora, vel periculis magnae urbis expositi, omnia quoad substantiam addiscant, non collectiva institutione in scholis, quae ad necessitates et varietates singulorum aptari non potest, sed privata et diversa; tunc etiam morbos venereos eos docere erit opportunum et effectus nocivos luxuriae. Ignorantia circa determinatum punctum depellenda est, quando cuidam est periculosior aut peior quam cognitio; e contra, si cognitio magis noceret, in ignorantia generatim erit relinquendus.

Itaque institutio de vitae transmissione non fiat publice sed privatim, non collective sed singulatim, non statim complete sed gradatim': sit brevis, digna et simplex, non cum apparatu et solemnitate, aut forma quae phantasmata minus casta suggereret: nec habeatur mere naturalis et intellectualis, ac si ipsa notitia rerum sufficeret ad praeservandum a vitio, sed imprimis moralis et supernaturalis sit oportet. Atque semper inculcetur quam bene omnia a natura et a Creatore sunt directa in finem creationis animarum.

Opportunae autem erunt declarationes, quae revelationes malorum consiliariorum praeveniant, — quae impediant ne phenomenis physiologicis animus in iuvene nimis turbetur, — quae magis expositos et maturiores ab illicito commercio avertant, — quae nubiles puellas e dissipatione et periculis evocent, — quae parentes et filios fortiori fiduciae et amoris vinculo iungant, — quae virtutem consciam fortioribus reddant; et quae meliorem intellectum dignitatis B. M. V. et beneficii Incarnationis procurent

Specimen instructionis non subiicimus, quia secundum circumstantias diversas infinite varia sit oportet[3]

1 Conformiter ad Conc. Prov. Mechliniense, n. 56.

2 Ita Vermeersch, o. c., n. 201.

3 Circa haec inspici merentur : Knoch, *L'Education de la Chasteté;* Fonsagrives, *Conseils aux parents et maîtres sur l'éducation de la pureté;* Surbled, *La Vie de jeune homme; La Vie de jeune fille; La Vie à deux* (pro coniugibus); Stahl, *What a young boy ought to know; What a young girl ought to know;* Ernst, *Eltern pflichf;* Foerster, *Jugendlehre; Sexualthik und Sexualpadagogik* (neerl. versa); Lacordaire, *Lettres à un jeune homme;* Dr Stephane (Lefebvre), *Lettres posthumes à un jeune homme;* Kraus und Gatterer, *Die Erziehung zur Keuschheit;* Guibert,

V. In tota aiutem educatione extollatur praestantia castitatis, cuius nitor et pulchritudo specialis in eo elucet quod rationi animales facultates et delectationes maxime rebelles subiiciantur (Eccli. XXVI, 19-20; Sap. IV, 1); momentum vero ex eius adi bonum humanitatis necessitate. Nam

1) promovet bonum *societatis* quod consistit in propagatione et bona educatione generis humani. lamvero libidinis immoderantia est quae ex nervorum debilitate debiles reddit et impotentes; passionem tyrannicam causai quae in coniugibus generat onanismum, et in iis qui cum meretricibus commercium habent morbum syphiliticum. Insuper parentes qui libidini sunt addicti parum apti inveniuntur ad educandam prolem;

2) promovet bonum *familiae.* Nisi enim iuvenes casti maneant et coniuges fidem servent, nulla in familia erit pax. Sponsus plerumque intendit virginem, quam si iam corruptam invenerit, locus erit indignationi, quae haud raro divortium parit; quodsi lue infectus sponsam contaminet, amor vertitur in contemptum, et nil remanebit nisi misera vita, cum periculo morbum syphiliticum transmittendi in posteros. — Quando insuper adulterini foventur amores aliaeve turpitudines, dissidia oriuntur, invidiae, rixae, imo crimina et suicidia. — Praeterea nisi filii caste instituantur, mox et ipsi in vitium prolabuntur et pudorem simul ac tristitiam parentibus afferunt. Quomodo vero caste manebunt nisi casta educatio et bonum exemplum hac in re ipsis praebeatur?

3) ad bonum *individuale* maxime confert. Ut homo vitam suam recte ordinare possit secundum rationis principia, debet domare passiones. Haec autem luxuriae passio maxime est tyrannica, quae excaecat mentem ac ita totam animam invadit, trahit, absorbet, ut omnia ipsi sacrificemus. Maxime ergo unicuique necessaria est qua edometur castitas.

La Pureté; Gillet, *Innocence et Ignorance : éducation de la pureté;* P. Guitton, *De la Chasteté;* Françoise Harmel, *Une grave question de l'éducation des jeunes filles. La Chasteté;* Hardy Schilgen, *lm Dienst des Schôpfers* (neerl. versum a Dieben); Jos. Kônn, *Auf dem Wege zur Ehe* (pro puellis); Herman Muckerman, varia opuscula (neerl. versa a Henri Deshayes); Dr Deelen, *Hct sexucele in den mensch;* et pro parentibus haec duo edita a *Katholische Schulorganisation* in Dusseldorf : *Die Erziehung des]ungen (des Madchens) zur zitflichen Reinheit;* Hoornaert, *Le Combat pour la pureté;* Vermeersch, o. *c.,* n. 186, sq.

Quando inferiores potentiae, ait S. Thomas vehementer afficiuntur ad sua obiecta, superiores impediuntur in suis actibus et deordinantur. Per vitium luxuriae appetitus inferior maxime intendit suo obiecto. Ergo superiores vires per luxuriam deordinantur. Hinc in intellectu nascuntur : caecitas mentis, praecipitatio, inconsideratio, inconstantia; in voluntate: amor sui quantum ad delectationem concupiscentiae quam inordinate appetit, odium Dei prohibentis delectationem concupiscentiae, affectus praesentis saeculi in quo gaudet voluptate, ac desperatio saeculi futuri, quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, fastidit spirituales. « *Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*[1] ».

Nec audiendi sunt qui aiunt omnimodam castitatem nocere, et pollutionem aut interdum fornicationem suadent, asserendo semen *aliquando,* sanitatis causa, esse effundendum. Falso omnino : pars enim seminis resorbetur in corpore quod roborat et reddit magis firmum vigore, pars altera naturaliter in somne effunditur absque ulla nervorum perturbatione[3]. Nec timenda est atrophia organorum genitalium ex eo quod iis non utamur : sine ullo studio enim indesinenter pergunt secernere semen, nec unquam suam functionem amittunt nisi fortuito casu.

VI. Confessarius maxima utatur prudentia in directione poenitentium, ne ipsis sit scandalum. Quod dupliciter esse posset : sive a) docendo modum patrandi peccata poenitentibus ignotum; sive b) quaestiones inutiles proponendo, ex quibus poenitentes iudicarent confessarium nimis esse curiosum aut nimis versatum in istis rebus : ita enim confessio fieret odiosa si occasio esset scandali vel tentationis. Unde theologi tenent principium ; hisce in rebus melius esse deficere quam abundare.

Nominatim 1° in *interrogationibus* vitanda sunt omnia quae poenitentem *probabiliter* scandalizare possunt : materialis integritas confessionis solum iure divino positivo praescribitur, dum

1 II-II, q. 153, a. 5.

- I Cor.. II. 14.

3 Hinc Dr Forel : L'homme qui ne peut se procurer un état normal devrait se contenter de pollutions nocturnes et la femme de rêves voluptueux, tous deux s'abstenant d'excitations actives et volontaires » *La Question sexuelle,* p. 251. Cfr. Dr A. Scremin, *La purità non e damnosà alla salute, testimonianza di medici.*

scandalum vitari debet iure naturali. Unde prima praescriptio confitendi integre cessat obligare dum scandalum timeatur. Hinc :

a) Imprimis permittat confessarius poenitentem declarare id quo eius conscientia gravatur, promittens tamen, si necesse videatur, se postea eum esse iuvaturum.

b) Quoad *impuberes,* sufficit quaerere num et quoties aliquid audierint, dixerint aut egerint contra modestiam, decentiam, puritatem : -utrum soli an cum aliis. Imprudenter ageret si de *modo inquireret* quo peccatum fuit commissum, utrum adhibitis manibus vel alio modo. Nec de *effectu* aut de delectatione completa sermonem instituat. Melius est suggerere istas actiones, quas coram parentibus patrare erubescerent, a Deo conspici quem nihil latet, eique valde displicere, et ab eo puniri etiam in hac vita, sed praesertim in altera; praeterea *quomodo agendum in tentationibus* est iis dicendum.

ç) Quoad *puberes iuniores* qui vitam sexualem inchoant ideoque plura circa eam ignorant : si dicunt quod seipsis inhoneste tetigerunt, non ex necessitate sed propter voluptatem, ordinario inferri potest, absque ulteriori quaestione, pollutionem commissam fuisse. Quare a pueris non est quaerendum num effectum quemdam experti fuerint aut humoris (seminis) emissionem sibi procuraverint, quod curiositatem eorum exitare posset, similiter nec a puellis an distillationem quamdam sint passae; -sed solum num motus inhonestos cum voluptate experti fuerint eisque plene consenserint aut eos voluntarie admiserint (non inquirendo de modo); quo casu huius delicti maximus horror eis incutiatur. — *Quoad puberes qui sunt omnino evoluti* vel qui certe sunt sufficienter instructi, sicut quoad adultos, quaeri potest : a masculis, de seminis effusione, v. g. de malo effectu secuto; a puellis de satisfactione completa procurata, an sibi satisfecerint, num passionem expleverint.

d) *Qui confitentur tactus impudicos* in proprium corpus, interrogari possunt, num tactus fuerint necessarii: — si negent, num fuerint diuturni seu morosi; — si negent, nihil ulterius inquirendum; — si affirment, ulterius interrogandum de voluptate, et si sint sufficienter evoluti, etiam de actu completo, sicut dictum est sub c).

e) E contra *se polluentes* interrogentur et de tactibus impudicis separatis a pollutione, et moneantur esse peccata mor-

talia ratione proximi periculi excitandi vel quaerendi delectationem veneream.

f) Cum *actus quosdam externos* luxuriosos accusant, nil dicendo de cogitationibus aut desideriis, ab iis efflagitandum num *antea* voluntarie cogitaverint vel cupierint istos actus committere, num alios actus patrare exoptaverint, num aliquid turpe et quid desideravint, iisque dicatur esse peccatum mortale. E contra quidam *cogitationes pravas accusant,* quin actus externos declarare audeant; ab iis quaeri potest num istis imaginationibus consensum praebuerint non solum interne, sed aliquo actu exteriori, v. g. an sensationes pravas habuerint iisque consenserint. — Pro adultis, si contra castitatem peccavisse se accusent, saepius praestat, in interrogando, a gravioribus incipere, praesertim si sint rudiores; pro aliis a minoribus est incipiendum.

g) Si poenitens evolutus accusat inhonestas *familiaritates* cum sociis, quaeri debet utrum cum personis *eiusdem* vel *alterius sexus.* Si cum personis eiusdem sexus, num usque ad pollutionem (si de maribus agitur), usque ad plenam voluptatem (si de feminis); num aliquid turpius egerint. Si cum persona alterius sexus, num attentaverint quod coniuges faciunt, aut malam actionem omnino consummaverint; in hoc casu quaerendum est de effectu consecuto aut non consecuto, et de causa non consecutionis. Postea de qualitate personae quaeri potest, ut dignoscatur num adulterium, incestus, sacrilegium commissum fuerit.

Si peccatum non consummatum fuerit, quaerendum de tactibus, aspectibus, osculis, etc.; quod si solius delectationis levit reus sit poenitens, dicat confessarius semper esse periculum, hac in re, transeundi ad graviora, moneatque prudentiam. Et si poenitens accuset sese exposuisse periculo, vel habuisse motus carnales, quaerendum de causa et de necessitate.

h) Quoad *habituatos,* confessarius exploret ex quo huis vitio dediti sint, corporalem eorum complexionem, peccatorum circumstantias. quo nimirum tempore, quo loco, qua occasione, in quibus rerum adiunctis lapsus accidere soleat, etiam si prima vice apud aliquem confessionem instituant. Curandum est ut ad eumdem semper confessarium redeant, et mox post lapsum confessionem instituant : quotidie orent ad castitatem obtinendam et firmum propositum emittant vel renovent.

i) Denique ad dijudicandum huius peccati gravitatem quaeri

potest a poenitente (quod pro aliis peccatis non ita valeret): num existimet graviter peccasse.

2“ Quoad *instructionem :* ordinario instruendi sunt illi qui peccatum luxuriae ex ignorantia committunt, quia ignorantia iis vel aliis est .nociva, saltem generando habitum vitiosum.

3° In *diiudicandis peccatis* caute procedendum: temeraria condemnatio enim perducit poenitentem ad desperationem, improvida haesitatio ad anxietatem, inconsulta excusatio ad funestam audaciam. Quare *anxios et scrupulosos* firmis responsis quietet confessarius; sed alios generatim ad *tutius* procedendum inducat paterna severitate, ita ut benevolentiam erga personas ostendat, sed omnem temeritatem in actionibus arceat. Haec autem utiliter poenitenti praebebit consilia :

a) ut quaecumque mira et insolita sint in his rebus, fugiat;

b) ut si gravis causa sit aliquid videndi, legendi, tractandi, tangendi, simplicem et securum, non anxium, agendi modum servet;

c) ut excepta iusta causa nihil agat et speciosos praetextus vitet;

d) ut in actionibus necessariis, affectum minus purum ac totus carnis itare studeat;

e) ut semper cum perfecta sinceritate et animi robore procedat:

f) ut dignitatis humanae et christianae memor sit. et sublimiora studia foveat.

4° In *dispositionibus* poenitentis *diiudicandis,* confessarius sedulo attendere debet ne illico ex frequentia relapsuum arguat poenitentem de prava voluntatis dispositione; attente examinet utrum relapsus ut causam habeant malitiam, corruptionem, affectum ad peccatum, carentiam firmi propositi, aut e contra solum poenitentis fragilitatem et tentationis violentiam. Nemo non videt quod aliter et aliter pro casu cum poenitente est agendum. In primo casu post aliquas monitiones et adhortationes generatim differenda est absolutio, secundum regulas quae traduntur de recidivis; in ultimo vero, frequentiori, non tantum est danda absolutio, sed maximo cordis affectu et animi industria confessarius sustinebit illas pauperculas animas.

5° *Absolutio, his ultimis* poenitentibus numquam deneganda aut differenda est, nisi sint certo indispositi vel confessarius

sciat fore ut brevis dilatio absolutionis in bonum poenitentis vergat.

6° Quoad *satisfactiones sacramentales,* maxime in praesenti casu sint medicinales, v. g. quotidie mane et vespere actum contritionis et firmi propositi, non qualitercumque, sed modo reflexo et plane deliberato elicere, frequenter ad s. Communionem accedere, attente interdum recolere passionem Christi, praesentiam Dei in tentatione, etc. Optimum est poenitentem enixe adhortari ut post relapsum sine mora ad sacramentum Poenitentiae accedat, et ut sibimetipsi imponat salutarem poenitentiam, qualis est v. g. fuga occasionum, ad quam ceteroquin ex alia lege iam tenetur.

VII. Ad meliorem intelligentiam peccatorum contra naturam, paucis agendum est de appetitu sexuali abnormi, qui a communi norma deflectit; ubi considerandae veniunt a) hypersexualitas; b) perversio sexualis.

De hypersexualitate notat Noldin, o. c.. n. 46 :

« 1) Affectus sensualis in diversis hominibus, quod vehementiam attinet, diversus, in viris vehementior est quam in feminis; sed etiam personarum eiusdem sexus alii aliis vehementiorem sortiti sunt; quandoque vehementiam extraordinarie magnam attingit. Eiusmodi appetitus sexualis vehementior tum in iis repetitur, qui psychico defectu laborant, tum in iis qui psychopathic! non sunt.

2) Huius rei causa est partim dispositio hereditate acquisita, partim aegrotatio nervorum, partim abusus potus alcoolici. Accedunt excessus sexuales, qui tum animi aegritudinem, tum affectum sexualem augent : repetiti enim excessus pravum habitum generant, qui quandoque adeo enormiter crescit, ut libido ex quavis vel levissima causa excitetur et dein fere mechanice (physica necessitate) ad pollutionem propellat.

3) Signa, ex quibus dignoscitur appetitum sexualem ultra modum (pathologice) auctum esse haec sunt : si libido vix satiata mox iterum excitatur; si libido excitatur ex aspectu rerum in genere luxuriae indifferentium; si affectus sexualis hominem adeo occupat, ut fere solum de hac re cogitet et loquatur et media quaerat satiandi affectum.

lamvero: a) qui mente sani sunt, affectum sexualem, etiam vehementiorem, reprimere et moderari possunt ac debent, neque ullum sanitatis detrimentum patiuntur, eo quod appetitui

sexuali etiam vehementissime non satisfaciant. Ideo peccata contra castitatem commissa eis plene imputanda sunt.

b) Quin etiam illi, qui psychico defectu laborant, voluntarie et culpabiliter peccant, nisi defectus sit maioris gradus. Excessus scii, sexuales eo minus voluntarii et culpabiles erunt, quo maior et intensior est animi aegritudo.

c) Plene involuntarii sunt iis, qui mente aegroti seu plene psychopathici sunt ».

VIII. De perversione sexuali sequentia ex Capellman-Bergmann sumit Noldin, o. c., n. 47 :

« 1) Perversio sexualis in eo consistit, quod appetitus sexualis et actiones sexuales eo *abnormes* sint, quod libido non actibus internis et externis ad venerea pertinentibus, ut ordinarie fit, sed aliis a vita sexuali prorsus alienis excitatur.

2) Fieri quidem potest, ut dispositio sexualis, initio a communi norma non aliena, per peccata luxuriae contra naturam diu commissa facta sit abnormis; ordinarie tamen dispositio abnormis hereditate a parentibus transmissa est cum morbida affectione systematis nervei.

3) Perversae dispositionis sexualis quatuor diversae formae distinguuntur : Sadismus, Masochismus. Fetischismus, Sexualitas contraria.

a) Sadismus dicitur, si delectatio venerea excitatur imaginationibus, quae crudelitatem et vehementiam continent, cuiusmodi sunt : strangulare, cultro pungere, percutere, flagellare, trucidare *(Lnstmoord)*

Hae actiones non peraguntur ad obtinendam copulam a persona, cui vis infertur, sed ad excitandam et sedandam atque explendam per eas libidinem. Frequenter in viris, vix unquam in feminis, haec perversio reperitur : cum enim vir in vita sexuali sit principium activum et, si ita loqui fas est, aggressivum, ipsa orta videtur ex degeneratione muneris, quod in functionibus sexualibus viro naturaliter competit.

b) Masochismus ' dicitur, si delectatio venerea eo excitatur,

' Nomen ductum est a Marquis *de Sade,* qui hac perversitate affectus erat et veluti proptotypon illius exhibet.

1 Nomen sumptum est a *Sacher Masoch,* qui hanc perversionem in suis fictis narrationibus (Romans) potissimum describit.

quod quis violentias et cruciatus patitur, cuiusmodi sunt percuti, calce impeti, verberari, flagellari, pungi usque ad effusionem sanguinis, etc.

In mulieribus haec perversio potissimum reperitur, id quod ex supra dictis facile intelligitur, cum mulier in functionibus sexualibus magis passive se habeat. Non carent quidem sensu doloris, dum vim patiuntur, sed sensu voluptatis venereae dolor abunde compensatur.

c) Fetischismus dicitur, si libido excitatur imaginationibus vel actionibus quae ad venerea non pertinent et proinde alias aptae non sunt ad voluptatem excitandam.

Res vel partes corporis, quarum imaginatio vel contrectatio sensum venereum excitant sunt manus, pes, oculus, crines, indusium, calcei, pennae, pannae, panni, etc. Plerumque hae res vel corporis partes ad determinatam personam, inordinato affectu dilectam, relationem habent; sed fieri potest ut etiam independentur a relatione ad certam personam delectationem veneream et pollutionem provocent.

d) Sexualitas contraria (seu *hornosexualitas)* dicitur, si appetitus sexualis in personam eiusdem sexus tendit. Sensus venereus proinde non ex imaginatione, aspectu vel tactu persona diversi, sed eiusdem sexus, provocatur.

Peccata quae ab iis committuntur, qui hac perversione laborant, sunt pollutiones per tactus provocatae et concubitus sodomitici. Si perversa inclinatio in pueros fertur, paederastia vocatur, ordinarie tamen in viros tendit. Haec perversio etiam in mulieribus reperitur, in quibus amor lesbicus vel sapphicus vocatur atque ad mutuas pollutiones et peccata sodomitica inducit, quae mulieres inter se committunt.

lamvero : a) Perversio sexualis non est signum aegrotae mentis : perversiones etiam in iis reperiuntur, qui nullo defectu psychico laborant; id tamen affirmari posse videtur, perversiones frequentius in hominibus aegrotae quam sanae mentis haberi.

b) Non solum ii qui mente sani sunt sed etiam ii qui psychico defectu lobarant, appetitus sexuales perversos reprimere possunt; quibus proinde peccata (perversitates) imputanda sunt, nisi defectus psychicus maiorem gradum attigerit. Ineluctabilis tum fit, cum ad defectum psychicum magna vehementia appetitus sexualis sive ordinarii sive perversi accedit...

Nota : Confessarius sciat oportet, quaedam vestigia dispositionis sexualis perversae quandoque etiam in iis reperiri, quorum vita sexualis ceterum a communi norma non discedit: non pauci enim occurrunt, qui imaginationibus vel actionibus turpiter excitantur, quae ad venerea vix quidquam referuntur, ut castigatione puerorum per imaginationem repraesentata, lectione cruciatuum, quos martyres passi sunt, imaginatione vel tactu crinium in nodum collectorum etc. Contra tentationes ex eiusmodi imaginibus vel actionibus ortas aeque pugnare debent ac contra alias tentationes castitatem invadentes. Ii quorum perversio sexualis perfecta est, solum per media abnormia, per media turpia autem nullatenus aut parumper tantum excitantur ».

QUAESTIO OCTAVA.

De Coniugibus in Usu Matrimonii.

Hucusque locuti sumus de luxuria extra matrimonium; restat dicendum de castitate et luxuria in statu matrimoniali. In quo actus coniugalis seu *copula carnalis per se apta ad generationem* est licita, si fiat ob debitum finem et cum debitis circumstantiis; imo est actus ipsius virtutis castitatis. Hinc dicemus :

1) *de essentia et fine copulae coniugalis.*
2) *de circumstantiis copulae coniugalis,*
3) *de actibus accessoriis cum copula coniugali connexis,*
4) *de excessu in usu matrimonii.*
5) *de debito coniugali et de defectu in matrimonii usu.*

Articulus I.

De Essentia et Fine Copulae Coniugalis.

I. Copula coniugalis est illa quae per se est generationi

apta; ad quod requiruntur tria : penetratio vaginae, effusio seminis intra vaginam, retentio seminis a muliere, ut scii, in uterum attrahi possit'. Unde graviter peccat ille qui unum ex his tribus scienter et volenter non servat aut huic proximo periculo voluntarie se exponit.

Hinc : a) Quamvis conceptio absolute fieri possit sine penetratione, effundendo semen ad os vaginae, quia sperma motu proprio vitali et attractione uteri subintrare non est impossibile: quia tamen omnino raro et per accidens est, .non sufficit ad copulam qualem natura instituit, nec est modus honestus perficiendi copulam etiam si fiat ob bonum finem, v. g. ad contagium morbi vitandum, sed graviter illicitus : tunc enim revera nulla adest copula, sed solum duae pollutiones simultaneae.

b) Parum tamen penetrare vaginam sufficit, quamvis ita agens peccare possit affectu, saltem venialiter, si sine proportionate causa ita agit, qualis certo non est solus timor procreandae prolis, ut si quis ita conceptionem cavere aut notabiliter difficiliorem reddere exoptet, et modum aptiorum generationis evitare velit'; mortaliter si generationem ita totaliter impedire putet et intendat.

1 Nullatenus attendenda videtur hypothesis, quam aliqui posuerunt, de muliere quae non valeret semen retinere; naturaliter enim fieri non potest ut totum semen semel receptum reiiciat.

2 Id ad minimum concludere oportet ex resp. S. Off., 23 nov.-1 dec. 1922, approbantis decretum episcoporum Neerlandiae. Quaestio erat de copula, ut aiunt, *dimidiata,* quae a pluribus confessariis considerabatur ut aptum remedium proponendum onanistis. lamvero episcopi Neerlandiae istam praxim damnarunt confessariorum qui inveteratis onanistis copulam dimidiatam suadebant vel permittebant ne amplius peccarent graviter; quod ceteroquin erat graviter scandalosum, ac potius ad onanismum viam parare erat natum. Episcopi autem petierunt approbationem S. Officii quod sequens dedit responsum :

1) tolerari non potest confessarios sponte sua docere praxim copulae dimidiatae illamque suadere promiscue omnibus poenitentibus, qui timent ne proles numerosior nascatur;

2) carpendus est confessarius qui, omnibus remediis ad poenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia praecavenda;

3) item carpendus est confessarius, qui in dictis circumstantiis copulam dimidiatam poenitenti aliunde notam suadet vel poenitenti interroganti num hic modus licitus sit, respondet simpliciter licere absque ulla restrictione seu explicatione.

Causa proportionate v. g. est si mulier recens a partu vel infirma in verendis, coitum perfectum non patiatur.

c) Non tamen sufficeret parumper penetrare vulvam et inter labia deponere semen, quia ita solum ad os, nullatenus in ipsa vagina deponeretur; et sic non esset copula.

d) Cum penetratio vaginae sit conditio essentialis omnino requisita, ideo qui penetrare et debito modo actum perficere *certo* non valeret, revera est impotens. Quodsi impotentia sit dubia, posset coniugatus ita attentare copulam, quamdiu aliqua spes sit penetrandi et perveniendi ad copulam perfectam; secus si nulla sit spes, quia sola possibilitas *generationis* non sufficit, sed requiritur probabilis possibilitas *copulae.*

II. Omnis copula carnalis de se apta ad generationem etiam per se licita est, dummodo instituatur ob rectum finem; unde oportet ut ex parte operantis finis conformetur fini operis. — Unicus autem *proprius* et principalis finis ex natura operis est generatio prolis, cui iunguntur duo fines *secundarii,* sed mere *subordinati* ita ut sint vera media quibus securius obtinetur finis principalis : delectationis fruitio seu sedatio concupiscentiae, et solamen mutuum seu amor mutuus fovendus et servandus.

Hinc coniuges possunt *petere* copulam, sive ob finem, principalem, sive etiam ob finem secundarium, sed quatenus de se subordinetur fini principali atque inserviat.

Imo copula etiam exigi potest ab alterutro coniugum, et quidem cx iustitia. ita ut per se et generatim compars ipsam *reddere* teneatur; quapropter vocatur *debitum* conjugale, de quo loquitur Ap. 1 Cor. VII, 3-5. Unde ad copulam *redden-*

Circa quae animadvertit P. Damen, Th. M., II, n. 896. « ratio primi responsi est quia nulli et multo minus confessario licet suadere peccatum, sive mortale sive etiam veniale. Ratio secundi responsi est quia talis modus agendi scandalum involvit, cum copula dimidiata facile viam sternat ad peiora atque ita de facto quoad prolis dlminutionem eumdem effectum ac neo-mnlthusianismus producat nec ergo ut minus malum suaderi possit. Ratio tertii responsi est. quia suasio est scandalosa et responsio confessarii esset (alsa, cum id quod est illicitum, licitum declaret ».

Copula autem dimidiata non est si ad orificium aut inter labia semen deponatur, quia ita nulla nec dimidiata est copula, sed si, in introitu vaginae eamque. licet parum, penetrando, semen effundatur.

dam finis legitimus est reddere comparti quod ipsi ex *iustitia* est debitum; qui finis tamen semper supponit finem primarium ipsius actus seu operis, scii, generationem prolis.

III. Corollaria. Exinde sequuntur conclusiones :

1° Exercens copulam peccat qui finem primarium positive *excludit,* et quidem graviter si illum impedire intendit, vel media ad hoc adhibet.

2“ Ideo qui. copulam perficiendo, finem secundarium v. g. delectationem unice aut praecipue intendit, ita ut finis principalis positive excludatur aut postponatur, peccat venialiter : est enim inversio ordinis, scii, usus inordinatus rei licitae. Cfr. prop. 9 damnata ab Innocentio XI

3° Attamen qui finem secundarium v. g. sedationem concupiscentiae explicite intendit et a fine primario *solum* abstrahit, licite agit, quia implicite intendit finem principalem ad quem ex natura sua tendit actus qui totus qualis est nonnisi ad generationem existit.

4° Item qui incontinentiam in se vel in consorte vitare intendit : hic enim directe agit ex motivo virtutis ad continentiam servandam; e contra qui solam quaerit delectationem, directe agit ex amore voluptatis. Nec obstat quod periculum incontinentiae implicat defectum virtutis et ideo peccatum : hic defectus malus est sed copulae potius praesupponitur, at stante hoc defectu, ipsi aptum remedium praebere co.niugali copula rite exercita, non est malum sed bonum.

5° Nec peccat ille qui, ob paupertatem, infirmam valetudinem vel alium honestum finem, inefficaci desiderio solum exoptat ut proles non concipiatur, dum nullo illegitimo medio utatur ad generationem impediendam, nec illam in actu positive excludat et actus positus generationi aptus sit.

6° Peccat autem, et quidem mortaliter, qui mente adultera ad propriam accedit coniugem, cogitans de aliena persona ut praesente, *aut* cum ea copulam habere cupiens; non tamen ille qui sine pravo affectu de aliena persona cogitando, suam uxorem alterius pulchritudine exornat ut ad actum coniugalem

' « Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali ». — Cfr. S. Thomas, suppi, q. 49, a. 5 et 6.

se excitet, quamvis id sit periculosum. Simili modo dicendum est pro uxore cogitante de alio viro vel de eius qualitatibus aut vigore.

7° Licitus est usus coniugii etiam sterilibus et senibus, etiam si sterilitas sit certa, dummodo actum possint perficere vel spem habeant perficiendi, quia actus de natura sua ordinatur ad generationem, et si generatio non sequatur, id fit per accidens. Unde Ecclesia eorum matrimonia benedicit.

8° Item licitus est actus coniugalis, etiam si praevideatur ex fecundatione mulierem abortum passuram vel in lucem edituram prolem mortuam, quia talis effectus per accidens occurrit et permitti potest ob aliquem honestum finem ipsius actus.

Articulus II.

De Circumstantiis Copulae Coniugalis.

I. Usus matrimonii, sive consummatus sive inchoatus, de se licitus, per accidens potest esse illicitus ratione circumstantiarum, et quidem non solum ex parte finis; — sed etiam ex parte personae ratione impotentiae, ut iam dictum est. aut voti, aut matrimonii dubie validi; — ex circumstantia modi ratione situs; — ex circumstantia loci ratione scandali; — ex circumstantia temporis ratione periculi aut damni.

II. Ex circumstantia personae usus matrimonii illicitus est :

1” Ex impotentia : a) Vir qui certo non valet penetrare, aut semen non habet aut illud emittere nequit, vel non in vaginam deponere, non potest copulam exercere, nec uxor cum tali viro.

b) Si impotentia sit *dubia,* copulam attentare possunt, si sit spes eam perficiendi.

c) Quod si impotentia sit omnino certa sed *temporalis,* tenentur per hoc tempus abstinere.

2° Ex voto : a) Coniux qui fecit votum castitatis, ex religione prohibetur sub gravi petere debitum, potest tamen et debet reddere illi qui ius habet et iuste exigit, quia unus

non privatur iure ob factum alterius. Posset nihilominus etiam petere, si adverteret compartem versari in periculo incontinentiae et petere non audentem, quod praesertim accidere potest in uxore propter verecundiam : sic enim reddit potius tacite petenti quam petit.

b) Si uterque separatim voverit, etiam sciente et annuente comparte, nullus potest petere quia libere se privaverunt usu debiti; sed si de facto aliquis petit, alter tenetur reddere ex iustitia, quia semper manet ius petendi : illicite quidem petit, sed cum iure petit, et ideo peccat contra religionem, non contra castitatem.

e) Si autem uterque simul voverit mutuo consensu et eodem pacto, uterque prohibetur tum reddere tum petere, quia pactione uterque mutuo iuri suo petendi, quantum ad exercitium, libere renuntiare intendit[1].

3° Ex dubio de matrimonii validitate : dubium de validitate matrimonii, si sit ex utraque parte, prohibet simpliciter usum usquedum debita facta fuerit inquisitio.

b) Manente post debitam inquisitionem dubio, licitus est usus, quia in dubio standum est pro valore matrimonii.

c) Si unus tantum dubitet, durante dubio prohibetur petere, sed tenetur reddere quia non potest se exponere periculo laedendi iustitiam, nec alter iure suo privatur propter dubium compartis; manente dubio post debitam inquisitionem, potest petere et reddere[2].

III. Item ex circumstantia modi seu situs. Situs est a natura indicatus, secundum quem vir incubus, mulier succuba, facie ad faciem conversi sint oportet : ille enim *generatim*

[1] Uxor indirecte potest irritare votum mariti, in quantum suis iuribus contrarium; maritus votum uxoris, etiam forsan directe. Non autem si mutua pactione voverunt, quia tunc huic iuri irritationis renuntiarunt.

[2] Ita certum est si matrimonium bona fide fuit initum. An autem ille qui mala fide matrimonium in dubio contraxit, possit debitum *petere;* et praesertim si matrimonium dubium sit ob impedimentum ligaminis seu vinculum prioris matrimonii forsan perdurans, quod esset in possessione, disputari potest : practice tamen sunt auctores qui id licitum putant, quia *probabile* habent, etiam in ultimo casu, applicari posse principium can. 1014 : « in dubio standum est pro valore matrimonii donec contrarium probetur ».

aptior est ad intimiorem corporum penetrationem et ad seminis virilis infusionem debitamque susceptionem, ac convenit hominibus qui non more brutorum sed ex rationabili amore, videndo et obloquendo se ac sensus suos et affectus communicando, actum generationis exercere debent. Hinc

1" peccat ille qui sine ratione mutat situm naturalem, quia est inversio ordinis naturae; at quocumque modo res fiat (stando,sedendo, a latere, a tergo, viro succubo, etc.) non est gravis, dumodo actus coniugalis rite possit perfici ad generationem aptus, quia hoc solum est essentiale et situs est aliquid accessorium : mutatio situs de se non pervertit substantiam actus;

2° imo si ratio sufficiens adsit ut alius eligatur situs quam naturalis, nullum est peccatum. Quod accidere potest : aliquando tempore praegnationis ne periculum sit abortus, vel ob frigiditatem si situ innaturali facilius frigidus se excitet, vel ob quandam difficultatem aliter copulandi (v. g. ex viri curvitate vel hernia, mulieris defatigatione, alterutrius foetido halitu), vel si ita maior esset spes fecundationis.

Notetur autem, secundum medicos, copulam habitualiter exercere aut succubendo aut praesertim stando, morbos posse inducere pro viro.

IV. Ex circumstantia loci : illicita esse potest copula etiam graviter, si fiat loco publico aut non secreto, ratione scii, scandali; unde, persona fortuito superveniente, potest abrumpi copula etiam si semen extra vaginam forsan effundatur : id enim fit praeter intentionem ad vitandum maius malum morale[1].

V. Ex circumstantia temporis. Per se nullo tempore actus coniugalis ratione *ipsius temporis* prohibetur, quia nulla lex aliquod tempus excludit; ita licite exercetur diebus solemnioribus festivis, diebus ieiunii, ante communionem, etc., quamvis de consilio sit hisce temporibus abstinere; — *per accidens* tamen, si in aliquo determinato tempore exstat causa

1 Quocirca monendi coniugcs ne sinant pueros ratione compotes (nec etiam antea) secum decumbere in lecto aut in cubiculo. Quodsi paupertas ad id cogat, caveant ne pueri quid deprehendant; in lecto pueros ad latus patris, puellas ad latus matris retineant.

cuiusdam periculi sat gravis, illicitus esse potest sed quamdiu exstat illa causa. Ita :

1° *Tempore morbi,* si adsit *grave et proximum* periculum *vitae* v. g. ex contagio : cum enim nemo sit dominus vitae humanae, copula graviter erit illicita, ita ut coniux non possit eam petere nec reddere, quin saltem de periculo moneat compartem: haec tamen, accedente iusta ratione (incontinentia vitanda, pax domestica servanda, adulterium compartis vitandum, etc...), posset copulam ex charitate admittere, nisi mors immineat. Item si grave periculum sit *valetudinis* v. g. ex phtysi, illicita est copula absque iusta causa, qualis est vitanda incontinentia in se vel in compacte; quapropter saltem moderandus est usus [1].

« Hic est ordo naturalis, ait S. Thomas, ut prius aliquid in seipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet; et hic est etiam ordo charitatis quae naturam perficit. Et ideo cum uxor in viro potestatem non habeat, nisi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea quae sunt de conservatione individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his quae ad generationem prolis spectant, salva tamen prius personae incolumitate... Uxor non habet potestatem in corpus viri, nisi salva consistentia personae ipsius..., unde si ultra exigat, non est petitio debiti, sed iniusta exactio, et propter hoc vir non tenetur ei satisfacere[2] ».

Hinc a) illi qui morbo syphilitico vel venereo est infectus, copula est illicita, in illis stadiis morbi in quibus periculum moraliter certum existit inficiendi compartem;

b) haec tamen ex charitate admittere copulam potest;

c) non est illicita ob periculum inficiendi prolem aut eam in egestate relinquendi, quia « melius est sic esse quam non esse » (S. Thomas, Suppi, q. 64, a. 1, ad 4); praesertim ob visionem beatificam animae destinatam.

2° Illicita est tempore *praegnationis,* si sit periculum abortus ex copula, quod tamen raro accidit, nisi forsan copula saepius et vehementius peragatur.

[1] Phtysis non tam contagiosus, sed potius hereditarius morbus, saltem eo sensu quod proles hereditate accipiat maximam dispositionem ad hunc morbum contrahendum.

[2] Suppi, q. 64. a. 1 in c. et ad 2.

3° Item tempore *purgationis puerperalis* praesertim *incipiente,* si inde damnum grave uxori immineat, quod primis diebus (2 vel 8 aut aliquando plus) facile fieri potest[1]; in his rebus ratio conditionis habenda est cuiuslibet personae, et in dubio medicus consulendus.

4° E contra tempore *purgationis puerperalis progrediente* aut ad finem versante, item tempore *lactationis* post copiosum prandium, balneum aut venae sectionem, non est illicita, quidquid olim aliqui dixerint, nec etiam per se durante *fluxu menstrui* ordinario, vel et extraordinario, nisi per accidens si morbus quidam inde multum ingravesceret'.

VI. Animadversio de morbis venereis, a quibus periculum imminere potest.

1° *Syphilis,* etiam sic dictus morbus gallicus, quia inter copias Galliarum sub Carolo VIII, Neapolim obsidente (1490) saeviit, est lues venerea propriissime dicta. Initio, definito loco circumscripta, totum corpus deinde pervadit et multis modis corrumpit. A quodam microbio originem habet, quod vocatur: *treponema pallidum (spirille pâle).* Triplex stadium in eius processu observabitur, cui antecedit tempus *incubationis,* per 10-40 dies, postquam microbium in glandis vel pellis exulceratione fuit depositum: aliquando tamen est syphilis maligna *(galoppante)* quando ab initio se manifestat. In 1° stadio, ulcus quoddam durum in loco formatur ubi microbium latuit, quod facile rumpitur ob frictiones et paulatim extenditur, ac invadit sanguinem totius corporis (10-11 hebd.). In 2° stadio, post infectionem sanguinis, corruptionis indicia externa apparent, nempe febris, insomnia, anemia, eruptiones cutaneae, rubidae et rotundae maculae quae numero magis crescunt et dolorem afferunt, et aliquando morbi concomitantes. In 3° stadio, palatum ab ulcere perforatur, facies et os deformantur, quandoque caries ossium accedit, testiculorum atrophia et

1 Melius tamen est abstinere per 15 dies.

' Tempore lactationis raro conceptio fit. Quodsi fiat lac minuitur vel et desinit, sed proles aliter nutriri potest, vel et lactatione artificiali.

' In V. T. tempore menstrui prohibebatur sub mortis poena (Lev. XX, 16), sed ratio potest esse quod in regionibus Asiae calidissimus mulieres copiosum fluxum patiantur, et saepe pars sanguinis iam omnino corrupti in vagina remaneat: unde oriri potuit periculum ne viri gravem morbum in genitalibus contraherent. Eschbach, o. c„ p. 122.

impotentia. Non semper 3a phasis habetur; multi sunt qui antea validi fiunt. In 1° et 2° stadio syphilis contagiosa est et magnum periculum affert infectionis pro aliis, quod per 3 vel 4 annos durare potest; in 3° stadio fere .nullum. Transmittitur syphilis a matre morbida ad foetum sanum, a fœtu infecto ad matrem, saepissime coitu cum persona syphilitica habito, etiam osculis, lactatione, usu rerum a syphilitico adhibitarum, atque haereditate. Sanabilis est, licet sanatio non semper omnino certa sit; practice tamen potest dici moraliter certa, ita quod fere nullum remaneat periculum infectionis. Curator remediis ex hydrargyro et arsenico confectis; notissima sunt quae designantur ,nn. 606, 914, et 1116. Sanatio durat a 15-18 ad 24 menses; plus autem quando morbus est gravior. Etiam media praeservativa inventa sunt; scii, unguenta quibus membrum virile ungitur mox ante vel post coitum.

2° *Blenorrhagia,* seu *gonorrhaea* a microbio *gonococchum* dicta, est morbus quo urethra ob microbium purulenta ratione inflammatur; si diuturna est vel chronica, vocatur *guttula militaris.* Ad organa propinquiora facile transit. Post recessum aliquando occulta latet, et est serio contagiosa. In muliere peritonium facile invadit, unde genitalium contagio et sterilitas. Facile sanatur breviori tempore, sed non sine dolore, electrolytica methodo. Copula est medium contagionis; morbus non est haereditarius, sed infectio in nativitate facile traditur : proles scii. Ophthalmia afficitur in detrimentum facultatis visivae.

3° *Ulcus molle* minus perniciosum et minus frequens est. Est magnum ulcus in organis genitalibus; sed ad alia non extenditur. Ad cicatricem perductum consanescit.

E contra *leucorrhaea* seu fluor albus, quo fœminae praegnantes saepe laborant, non est maleficus.

Articulus III.

De Actibus accessoriis cum Copula Coniugali connexis.

I. Praeter ipsam copulam, etiam sunt actus plus minusve cum ea connexi, qui inter coniuges in carnali commercio occurrunt, qui ad triplicem speciem possunt revocari :

a) actus ordinati ad naturam excitandam in actum coniugalem seu ad carnem commovendam;

b) actus nocivi actui coniugali seu contra naturae ordinationem, ut pollutio in se vel in causa voluntaria, et sodomia improprie dicta, aut proxima ad eas occasio;

c) actus qui nec ordinati ad copulam coniugalem nec nocivi sunt et dicuntur praeter generationem, v. g. agere ob solam voluptatem, inutiliter se tangere

Hinc tria principia :

A. Quidquid fit secundum debitum finem et generationem, seu ad actum coniugalem est necessarium vel utile, est licitum,

B. Quidquid fit praeter finem, non contra generationem, non excedit veniale.

C. Quidquid est contra finem debitum, generationem prolis, est graviter illicitum, et participat de malitia adulterii seu fidei violatae.

Ex quibus principiis diiudicari potest quomodo coniuges possunt peccare per excessum, et iam intelliguntur conclusiones sequentes.

II. De actibus venereis imperfectis inter coniuges praesentes :

1° Liciti sunt actus imperfecti seu impudici (aspectus, tactus, oscula, amplexus, item colloquia, etiam omnino turpia) inter *coniuges praesentes* exerciti in ordine ad copulam nunc habendam, quatenus ad illam perfectius, delectabilius et facilius peragendam conducunt : sunt enim praeparatio et inchoatio huius actus tanquam finis; quod si finis sit honestus, etiam media ad illum naturaliter ordinata. Dummodo adhibeatur diligentia ne semen emittatur extra vaginam, nec praestetur consensus in pollutionem fortuito casu orituram.

2° Item liciti sunt, *cum quadam restrictione,* ad fovendum vel servandum mutuum amorem qui est matrimonio et copulae necessarius, praesertim si hic et nunc adsit quaedam gravis et proportionata ratio, v. g. gravis suspicio infidelitatis vitanda vel propensionis ad aliam personam, necessitas praebendi signum speciale amoris, amputandum initium libidinis adulterinae, instans omnino petitio compartis, etc.; quae ratio eo

gravior sit oportet quo maius sit periculum pollutionis. *Restrictio vero haec est :* dummodo actus non sit per se et omnino proxime provocantes delectationem satiativam seu pollutionem, aut ipsi pollutioni aequivaleant, nec sit periculum consentiendi in eam si aliquando sequatur; igitur ubi coniuges advertunt periculum pollutionis proxime adesse, ab actibus cessare debent.

3° Si autem hic et nunc nulla sit ratio, ita ut coniuges hic et nunc copulam perficere non possint aut non velint, at illos actus quaerant propter se et intendant solam voluptatem, illiciti sunt quia in intentione agentis privantur suo fine naturali et debito, sed solum venialiter quia est solus excessivus seu inordinatus usus rei licitae; — imo etiam graviter si adsit periculum proximum pollutionis vel delectationis venereae completae

III. De actibus venereis imperfectis solitariis absente comparte :

1) Actus imperfecti *solitarii,* absente comparte exerciti, sunt illiciti, quia ob solam voluptatem fiunt, nisi forsan in quibusdam adiunctis utiles sint ad praeparandam copulam futuram, alendum appetitum sexualem, aestum obtinendum, etc...; ergo per se illiciti sunt : mortaliter si adsit periculum proximum pollutionis vel delectationis satiativae, aut consensus in illam; secus ad minus venialiter, quia, secundum plures, essentiali ordini coniugii non adversantur sed, ratione status conjugalis, de se naturaliter referuntur ad copulam matrimonialem licitam, quae tamen hic et .nunc excluditur; secundum alios multos e contra semper mortaliter, quia, cum coniuges per se non habeant ius in proprium corpus, actus illi sunt de se inchoatio pollutionis[1,2], nec ordinem dicunt ad copulam, nisi

1 In praecedentibus agitur de tactibus vere impudicis; pudici enim et honesti *liciti* sunt etiam cum periculo pollutionis, dummodo aliqualis ratio adsit ac desit periculum consensus; — e contra *graviter illiciti* sunt tactus vere turpes cum tertia persona exerciti,

2 Animadvere tamen liceat actus imperfectos de se non esse contra naturam nec iuxta naturam, quia de se nihil tale dicunt. Cfr. pag. 70. Unde in casu idem est, ac si coniuges praesentes actus illos exerceant et copulam perficere nolint.

Neque dicas : si in coniugibus actus imperfecti et delectatio incompleta sunt tantum veniales, etiam in aliis tantum sunt venialiter mali. —

aliquando ratione specialium adiunctorum. Quam ultimam sententiam S. Alphonsus dicit in praxi *suadendam* (non imponendam).

2) Delectatio morosa de copula cum suo coniuge habita vel habenda, vel eius desiderium, quia sunt de re licita, non sunt peccata, nisi adesset periculum pollutionis : tunc enim sunt peccatum mortale; aut nisi omnino inutiliter et otiose quis iis inhaereret : tunc enim sunt veniale; — delectatio vel desiderium de actibus venialiter malis est leve peccatum; — de actibus sub gravi prohibitis est mortale.

IV. De quibusdam actibus copulae praeparatoriis aut eam comitantibus :

1° Inchoare copulam in vaso indebito v. g. in vase postero vel in ore, cum intentione eam consummandi in vagina; item genitalibus tangere vas posterum aut ore ea lambere, non sunt mortale, dummodo praecaveatur profusio seminis et excludatur affectus sodomiticus, qui tamen facile aderit si praedicta non obiter fiant sed aliquo tempore durent; — imo si quaerantur ut solum medium et praeparatio actus debiti et adsit ratio sufficiens v. g. quia aliter excitari quis non possit, non sunt peccatum.[*]

2° Mulier potest tactibus sive propriis sive mariti se excitare ad delectationem satiativam et perfectam habendam, et ita copulam complere, si vir antea intra vaginam seminaverit; — e contra id esset illicitum si vir modo onanistico seminavisset extra vaginam, quia tunc nulla esset copula apta generationi ac proinde nullus actus communis complendus; unde, si fieret, adesset peccatum solitarium.

3° Item, posset uxor perfectam voluptatem quaerere *immediate* ante seminationem viri, saltem si vir eam penetret antequam sit sedata. Id fiet sine peccato mortali, et quando ratio adsit, eiam sine veniali, si propter minorem caliditatem in ipso congressu moveri et aliter delectationem completam experiri

Resp. coniugibus ipsam delectationem completam esse licitam in copula coniugali, ac proinde etiam incompletam. Unde in casu, res quae ab iis quaeritur non est indebita, sed solus modus quo quaeritur est indebitus. E contra, solutis ipsa delectatio est indebita, utpote matrimonio reservata.

1 Actus enim incompletus de se non est contra naturam, nec iuxta naturam, sed ab utroque abstrahit, ut dictum est.

non possit, vel si ipse vir vix aliter ac visa excitatione uxoris excitetur ac copulam perficere possit : videtur enim sufficere quod in actu coniugali ambo coniuges *moraliter* simul aestum voluptatis experiantur. Conandum tamen est ut etiam adsit simultas physica, quia naturae magis convenit et valetudini, et voluptatem magis fovet et amorem.

4° Non tamen licitum esset viro actum continuare, si uxor se retractaverit, quia non esset nisi inutilis pollutio.

5° Non peccat, saltem mortaliter, uxor, quae consulto cohibet commotionem, distillationem et delectationem completam, quia ad copulam et generationem non sunt necessariae, et ideo non est causa quod semen viri prodige suo fine destituatur. Esset tamen reprehendenda si id faceret ex ira vel aversione erga maritum, et hortanda ut etiam in hoc facilem se praebeat ut placeat viro et unionem amoris foveat.

V. Monitum. Actus imperfecti, cum ex natura sua non sunt liciti nisi in ordine ad copulam, illiciti sunt illis quibus petere vel et reddere copulam est *absolute* prohibitum : ita v. g. ratione voti, aut impotentiae permanentis.

Quod tamen non est intelligendum de omnibus tactibus, aspectibus aut osculis : sunt enim tales actus de se liciti in coniugio, quia coniugi competit eos exercere in corpus consortis quod suum est; nec sunt de se et necessario venerei, sed solum quando in iis quaeritur delectatio venerea, aut huiusmodi periculum includunt. Sic autem prohibiti sunt iis quibus copula omnino prohibetur.

Articulus IV.

De Excessu in Usu Coniugii.

I. Excessus in usus coniungii esse potest :

a) ratione finis, ut si fiat exclusive ob delectationem;

b) ratione indebitae circumstantiae, v. g. situs, si actus fiat modo praeter illum quem natura indicat;

c) maxime ratione modi contranaturalis, si ita fiat ut ipsa generatio exinde impediatur, v. g. modo sodomitico, in vase

innaturali et organo indebito, scii, in vase postero vel in ore.

lam vero modus peccandi per excessum contranaturalis hodiernis temporibus valde frequens est Onanismus'. Est copula vaginalis eo modo quaesita quo generatio positive impediatur et ex effusione seminis sequi non possit; quod variis modis fieri potest supra descriptis". Peccatum est mortale, utpote fini primario matrimonii directe contrarium et fidei coniugali adversum, merus abusus organorum genitalium contra ordinem a Deo institutum, quo rem nobilissimam pervertunt in turpissimum actum passionis ignominiae : caret enim ordine ad finem naturalem seminis et ad bonum speciei. Unde malitia actui est *intrinseca,* adeo ut nulla causa quamvis urgente cohonestari valeat.

Haec est *doctrina Ecclesiae,* quae elucet ex prop. 49 damn, ab Inn. XI et multis ac repetitis declarationibus S. Officii (20 maii 1851; 19 apr. 1853; 26 mart. 1897; 23 nov. 1922) et S. Poenitentiariae (duodecies a 15 nov. 1816 ad 3 iun. 1916), novissime ex enc. *Casti Connubii* in qua Pius XI non haesitavit declarare talem esse ipsam *christianam doctrinam,* ab initio et semper traditam : « Cum igitur quidam, a Christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque unquam intermissa manifeste recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam solemniter praedicandam censuerint. Ecclesia catholica, cui ipse Deus morum integritatem honestatemque docendam et defendendam commisit, in media hac morum ruina posita, ut nuptialis foederis castimoniam a turpi hac labe immunem servet. in signum legationis suae divinae, altam per os nostrum extollit vocem atque denuo promulgat : *quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur. Dei et naturae legem infrin-*

' Praxis illa saepe vocatur Nco-Malthusianismus. Propter rationes oeconomicas Malthus (1798) conceptionis limitationem sed mediis licitis, scii, abstinendo ab actu coniugali, proposuerat. Nunc autem Neo-Malthusianistae media illicita promovent.

3 Q. IV, art. 4. n. 1 et 2. — Nullus tamen est omnino certus. Indumentum praeservativum enim (condom vel pseudo-vagina) potest lacerari; pessarium occlusivum male adaptari aut, durante copula, a loco amoveri; simplex retractio vel lotio vaginalis non semper impediunt quominus aliquid spermatis ante retractionem eiaculetur, vel ante lotionem in uterum iam transierit; substantia chemica ante copulam sparsa per totam vaginam non semper perfectam habet efficaciam.

gere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari ». Ubi affirmantur tria : usum matrimonii qui de industria vi sua generandi destituitur, 1) esse contra legem divinam: 2) esse contra legem naturae: et 3) esse peccatum grave.

II. Hinc circa Onanismum statuuntur conclusiones sequentes :

1) Vir onanista nequit absolvi nisi poeniteat et proponat; item mulier formaliter cooperans seu consentiens, vel quae semen lotionibus expellere nititur. Imo qui medio praeservativo utitur, illud tamquam occasionem peccati destruere tenetur ante absolutionem; quod a confessario per se et regulariter est urgendum.

2) Uxor non peccat si ob causam *mediocriter gravem* viro onanistae ante seminationem sese retrahenti debitum reddat aut etiam ab eo petat; gravis autem causa est si secus incurrat mala gravia v. g. dissidia in coniugio, verbera, adulterium mariti, propriam incontinentiam vel diuturnam ab usu matrimonii abstinentiam', etc... Ratio est quia actio debito modo incipit ita ut de se sit apta generationi; quodsi indebite terminetur, totus reatus se tenet ex parte viri, et ex parte mulieris sola adest cooperatio materialis et *mediata* quae propter grave motivum praestari potest peccato alieno. Id enim est, ait Pius XI, *pati potius quam patrare peccatum.* Quod intelligendum est : dummodo uxor ipsi modo agendi co.ntra naturam non consentiat, sed illum detestetur et ad eum mere passive sese habeat, secus esset cooperatio formalis; — posset tamen active cooperari, immediate ante copulam et durante ea se excitando, et de voluptate (etiam perfecta) gaudere, *quamdiu* debito modo actio fiat; item gaudere de bono effectu talis copulae v. g. de praeservatione a molestiis et laboribus graviditatis aut partus, quamvis id sit periculosum

1 Hinc potest copulam petere a viro sese retrahente, et solum aliquando, scii, semel vel altera vice, tenetur abstinere ratione charitatis; non saepius, quia iam esset grave incommodum, dum charitas tamen non obligat cum gravi incommodo ad vitandum scandalum mere passivum.

3 Idem *theoretics* valet pro viro, dum ante seminationem mulier se retrahat; at *in praxi* ordinario non adest gravis ratio sufficiens ex parte viri, quia retractionem mulieris sat facile, etiam physica vi, potest impedire.

At etiam tunc tenetur mulier propter charitatem monere virum et repugnantiam propriam ostendere, idque non una vel altera vice sed saepius, non tamen intempestive, sed opportune; imo, si possit, blanditiis, precibus aliisque affectus testimoniis virum ab hoc crimine deterrere (S. Poen. 15 Nov. 1816), etiam denegatione debiti si ita speret procurare emendationem mariti.

3) Uxor autem non potest debitum reddere viro onanistae instrumentum praeservativum adhibenti, sive involucrum ipse induat sive indumentum occlusivum uxori imponat, quia est participatio *immediata* in actione intrinsece mala : tunc enim .non adest copula de se apta generationi. Talis scii, ex utraque parte admissus congressus ab initio est vitiatus et intrinsece malus, unde cooperatio etiam mere passiva est omnino illicita; et ideo uxor tenetur pro viribus positive resistere, v. g. se agitando vel manibus utendo, et non potest cedere nisi praevalenti vi, ad instar mulieris oppressae, quo casu, ex tali *gravissima* causa quantum ad id quod impedire nequit, mere permissive sese habere potest, dummodo omnem consensum in delectationem excludat. (S. Poen. 16 apr. 1853 et 3 iun. 1916; Conc. Prov. Mechl. n. 84).

4) Item peccaret graviter uxor si virum induceret ad onanismum sive directe sive indirecte, v. g. producendo insistentes querimonias de numerosiore prole, de doloribus partus, de incommodis gestationis, etc...

5) Uxore utente pessario occlusivo vel aliis mediis generationem impedientibus, debet vir auctoritate maritali illud prohibere et eam ab istis removere, imo, si fieri possit, media et instrumenta auferre et destruere; quod si nihil proficiat et gravia incommoda timenda sint, censent aliqui virum posse etiam debitum petere et copulam perficere, dummodo mere materialiter et passive sese habeat quoad impedimentum generationis. Iamvero :

a) Certo illicitum esset si uxor uteretur pseudo-vagina, quia tunc ab initio actus esset intrinsece malus.

b) E co.ntra *probabiliter* est licitum, si, contradicente viro, pulvere anticonceptionali utatur aut medicamento quo semen enecetur, saltem si fiat post actum, vel lotione vaginali illud expellere nitatur; quia tunc idem substantialiter manet et actus et organum genitale mulieris : ipse actus enim bene fit et semen

in vase debito deponitur, vitium autem non est ex modo agendi, sed existit independenter ab actu et est ei posterius solique uxori est tribuendum.

p c) Quodsi spongia utatur vel pessario occlusivo, an eadem iatio valeat, dirimere nos ipsi non auderemus, sed viderint sapientiores[1]. Res non tam clara est, num in casu ipsa copula sit ab initio vitiata, licet ab initio et durante copula adsit impedimentum conceptionis ex occlusione uteri; quia os uteri non est organum quod, sicut penis, partem habet in copula, sed ista debito modo perficitur si semen in vagina .naturali deponatur. Id in casu accidit, licet actio naturae post copulam continuanda impediatur, sed a muliere. Unde *in praxi,* donec Ecclesia pronuntiet, maritus absolvi poterit, dummodo paratus sit stare mandatis S. Sedis.

Nec obstat : si mulieri illicitum sit cooperari viro utenti instrumento praeservativo, pari iure et viro debet esse illicitum cooperari mulieri quae simili utitur instrumento. Quamvis enim iura sint paria, non tamen eaedem sunt partes viri et mulieris in actu coniugali, sed maiores sunt apud virum; et ideo facilius cooperari vir poterit uxori, quam ista viro.

III. Corollaria. 1) Ex principiis enuntiatis responderi potest quaestioni : utrum uxor cooperari posset copulae sodomiticae? quae etiam adversatur fini naturali copulae, ac fidei coniugali postulanti ne coniuges utantur corpore nisi modo generationi apto : neuter enim habet ius in corpus alterius contra naturam. Iamvero,respondendum est sicut pro onanismo

1 P. Vermeersch in prima editione sui operis affirmavit, sed postea se retractavit (cfr. *Periodica de re canonica* 1925, f. II; et *Th. M.,* t. IV, 69). Actus nunc videtur ipsi ab initio malus, quia vagina iam est substantialiter vitiata : haec enim essentialiter est canalis ducens ad uterum; cum autem in casu occludatur, etiam canalis esse cessat. Unde mulier quae habet vaginam naturaliter occlusam est impotens. — Argumentum, salvo meliori iudicio, non videtur certum. Nam alia est occlusio naturalis, alia mere artificialis: aliud organum propter suam structuram occlusum, aliud apte constructum sed occlusum ob accidentale impedimentum ab extrinseco appositum, quod vaginam relinquit perfecte integram, Iuvat etiam notari hoc modo solum impediri transitum seminis in uterum et ita ad ovum. Iamvero si uterus fuerit ablatus, vel oviductus interruptus, et transitus ad ovulum iam impossibilis factus, actus coniugalis tamen manet licitus; item, durante graviditate, dum transitus in uterum impeditur quia iste clauditur.

artificiali : tali copulae, utpote intrinsece malae et ab initio vitiatae, positive seu active cooperari nunquam licitum est, nec etiam mere passive cooperari; — sed oportet ut uxor concubitum viri sodomiticum positive resistendo quantum possit (v. g. agitatione et manibus) impedire conetur, et si invita nihilominus paevalenti vi cedere cogatur, ut nunquam venereae delectationi inde forsan orienti consentiat. Si enim onanismo artificiali cooperari nunquam est licitum, a fortiori id valet de modo sodomitico qui magis est perversus (cfr. S. Poen. 3 apr. 1916).

2) Ab onanismo et sodomia improprie dicta distingui debet actus quo coniuges congrediuntur animalium more, ita tamen ut copula fiat in vagina; quo casu nonnulli dicunt se retrorsum vel a tergo congressos esse. Tunc interrogare debet confessarius, utrum hoc modo generatio fuerit possibilis; si respondent eam fuisse possibilem, infertur actum non fuisse contra naturam sed solum inordinatum in situ, praeter naturam; quod peccatum veniale non excedit. Sponte de situ in copula habendo sermonem nunquam habeat confessarius.

3) Ab onanismo differt omnino praxis copulam solo tempore *ageneseos* habendi, quo tempore nullatenus aut rarius scii, accidit conceptio; unde ista praxi generatio fit parum probabilis. Talis enim agendi ratio de se non est peccaminosa, cum coniuges possint sese continere quamdiu volunt, et aliunde nil contra finem matrimonii agant tempore quo congrediuntur (S. Poen. 16 iun. 1889). dummodo ita fiat ex recta intentione seu iusto motivo et servatis debitis circumstantiis. Merito tamen monent episcopi Belgii : « ne autem ipsis coniugibus proponatur tempus ageneseos ac si per illud generatio certe vitaretur ' ».

' Tempus ageneseos olim a medico Capellmann aliisque fuit ita statutum : a decem vel quatuordecim diebus post inceptam usque ad tres quatuorve dies ante novam menstruationem; putabant enim ovulationem ac proinde fertilitatem cum menstruatione coincidere. ita ut durante mense esset mulier ;

fertilis	sterilis	fertilis
a die 1 ad 14	a 15 ad 25	a 26 ad 28

At compertum fuit menstruationem cum ovulatione non coincidere, licet sit phenomenon connexum; sed locum habere inter duas ovulationes. Ita Dr Siegl statuit mulierem fertilem esse a die 5 ad 20 a menstruatione habita, sterilem a die 1 ad 4. et a 21 ad 28. Nunc autem iuxta recntissima experimenta doctoris Knaus. mulier esset fertilis a die 11 ad 17 a

4) Nec onanismus cum copulae abruptione confundi debet. Haec enim licita esse potest propter gravem rationem v. g. ad vitandum scandalum persona ex improviso superveniente, ob spasmum exortum in suris, ob subortam infirmitatem : tunc

menstruatione habita, sterilis a die 1 ad 10 et a die 18 ad 28. Secundum doctorem Ogino mulier esset fertilis a die 12 ad 19 ante menstruationem sequentem (exceptionaliter ad diem 24), sterilis autem per 11 dies ante menstruationem sequentem et per 9 dies (exceptionaliter tantum per 4) post menstruationem habitam. Quod ita schematice proponi potest :

	sterilis	fertilis	sterilis
Iuxta Siegl :	a die 1 ad 4	a 5 ad 20	a 21 ad 28
Iux Knaus :	a die 1 ad 10	a 11 ad 17	a 18 ad 28
Iuxta Ogino :	a die 1 ad 9	a 10 ad 17	a 18 ad 28
	(except, a 1 ad 4)	(except, a 5 ad 17)	

Circa quae notandum :

1) Computus est approximative, unde ad certo vitandam conceptionem abstinere deberent coniuges a die 4 ad diem 19 vel 20 post menstruationem.

2) Experimenta nondum sunt sufficienter certa, quia : a) incertum est tempus durante quo ovum et sperma ad fecundationem manent apta : id enim pendere videtur a conditione individuals personae, vel et a medio diverso, in quo semen v. g. servatur; b) experimenta non sunt satis numerosa ad omnimodam certitudinem faciendam; et c) plura non in specie humana sed in animalibus fuerunt facta, unde ex eis tantum concludi potest per analogiam.

3) Ovulatio praecox aut tardior aut supplementaria semper est possibilis, unde et de facto, fecundationes locum habuerunt aliis temporibus.

4) Hinc alii dicunt non dari, hac in re, legem generalem, sed rem dependere a diversa conditione mulieris; alii vero dicunt nullum esse tempus in quo conceptio non sit stricte possibilis.

Ex quibus constat quam caute in affirmando vel consulendo hac in re procedere debet confessarius; nec ista doctrina spargenda est in populum, quia noceret bono communi.

Speciatim : a) Praxis copulam solo tempore ageneseos exercendi, etsi de se non sit illicita, est tamen male sonans, quae exigit rationem cohonestantem.

b) Ergo, ut in casu concreto sit honesta, opus est ut fiat ex bono fine, qualis non est vitare omnem prolem, aut voluptati indulgere; secus erit peccatum veniale.

c) Etiam si adsit bonus finis, insuper requiritur ut fiat in circumstantiis debitis, v. g. de mutuo consensu et absque periculo incontinentiae; secus adesset peccatum mortale.

copula abrumpitur non iam ut semen extrinsecus effundatur, sed ex alio fine, unde seminis effusio praeter intentionem eveniens pollutioni involuntariae aequiparatur. Deficiente gravi ratione, id per se loquendo non est mortale, dummodo coniuges in hoc consentiant nec adsit periculum seminandi extra vas : illa enim penetratio vasis feminei tunc reputatur ad instar tactus impudici, qui inter coniuges permittitur vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis. Diximus :

a) *si ambo consentiunt,* nam si alter se retrahit sine alterius consensu, certo graviter peccat contra obligationem reddendi debitum, ut magis patebit ex art. seq.;

b) *per se loquendo,* nam saepe est mortale quia frequenter adest periculum ex tali retractione effundendi semen, nisi coniuges experti sint oppositum, quo casu, ordinario tamen non possunt excusari a veniali;

c) si non *adsit periculum pollutionis;* unde peccat graviter maritus qui, sine causa iusta, seminationem cohibeat, postquam uxor delectationem completam experta sit vel ad eam proxime sit parata, quia ita est causa quod actio uxoris fini suo destituatur et sit mera pollutio.

5) E contra nequit admitti, quod aliqui dixerunt : coniuges qui prolem multiplicare nolunt, posse ad mutuum amorem fovendum, concupiscentiam sedandam, vel compensandum matrimonii usum, inchoationem copulae etiam per vaginae penetrationem exercere ad modum actus imperfecti quem ad consummationem perducere nolunt; et quidem licite, etiam si pollutio non solum raro, verum et frequenter inde oriatur, dummodo huic non consentiant.

Contra : a) tactus imperfectus, si positive excluditur finis

d) Hinc talis praxis non est publice proponenda, nec etiam privatim positive suadenda, quia id natum est generare scandalum, imo ducere ad onanismum : cum enim utriusque praxeos sit idem effectus, nonne periculum adest quod utriusque differentiam non satis perspiciant, et tandem modo innaturali, faciliore et securiore, sint usuri ?

e) Sed *quandoque* potest confessarius *caute* illam praxim suggerere : ita si adsit ratio sufficiens omnem conceptionem vitandi et poenitens continentiam servare non possit, posset confessarius dicere *in hoc casu* id non esse malum; vel si inveteratus onanlsta sit incorrigibilis, cui talis modus agendi proponi posset ut *minus* malem.

Haec est doctrina satis communis inter moralistas.

primarius, generatio prolis, est peccatum veniale, etiam si nullum inde sit periculum pollutionis;

b) quodsi actus diu prolongetur vel et frequenter repetatur, ita ut sit periculum pollutionis proximum, erit graviter malus, quia est ponere causam per se et graviter influentem in pollutionem. — Et si licitum esset, coniuges impune possent onanismum materialiter exercere : talis enim praxis aequivalet onanismo a quo sola intentione explicita differt, cum in onanista formali pollutio sit in se voluntaria, hic autem solum voluntaria in causa proxima. Et ideo aeque prohibentur sub gravi.

6) Graviter *intentione* peccant mulieres quae inefficaci ratione (vano remedio, cohibendo distillationem, surgendo ad mingendum) copulam sterilem reddere voluerint. Nec marito talia iubenti parere possunt nisi prius ipsum de suo errore monuerint.

Quodsi medium adhibeant voluntarie quo expellatur aut enecetur semen receptum, *actus exterioris graviter peccaminosi* reae sunt; hinc mulieres vaginam regulariter irrigare non debent statim, sed solum aliquot post copulam horis[1].

Sub nullo itaque praetextu citius fieri potest munditiei, aut consuetudinis, aut sanguinis affluxus cum pruritu, aut fluoris albi, vel inflammationis vaginalis, aut sanitatis; quae causae ceteroquin non sunt proportionatae, imo generatim lotio vagi-

1 P. Vermeersch, qui in prima editione sui operis *De Castitate,* n° 264, severius sex horas exigebat, recenter benignius censet et post horam habet lotionem licitam. Nam « in singulis effusionibus, nemaspermata continentur, immenso numero, quem aestimant 250.000.000 ad 260.000.000. Si vir vaginam perfecte penetravit, iam in ipso copulae actu multa nemaspermata uterum ingrediuntur. Talis autem est eorum motus ut centesimam metri partem inter decem momenta percurrant. Initium autem vaginae ob ostio uteri distat 2 'Y ad 3 J4 centimetris; 10 vero centimetris a tubis fallopianis... ubi fecundatio evenire solet... Quando *omnia optime procedunt,* fecundatio iam post horam cum dimidio a facta copula locum habet » {*Th. M*„ IV, n. 7). Exinde concludit: « lotio vaginalis post horam a copula, in se illicita dici nequit, dum iam tunc generationem moraliter non impedit » nam « tot nemaspermata in utero recepta sunt, ut talis spes fecundationis facta sit qualis melior moraliter expectari nequit » (ad n. 71).

Haec tamen conclusio non apparet fundata. Praetermisso etiam quod computus forsan non sit adaequate institutus, cum ex una parte nemaspermatum numerus et ipsorum celeritas videantur exagerari (non enim

nalis potius est sanitati nociva Esset tamen lotio immediate post copulam licita, si esset *medium hic et nunc necessarium* ad infectionem aut morbum contagiosum avertendum, quod sane raro accidit.

IV. Praeter inordinationem contra naturam, Onanismo intrinsecam, etiam plura mala ex eo nata sunt sequi consectaria, ut notat Tanquerey (Suppl, ad tr. de Matr., n. 41-43):

« a) *Ipsi coniuges* saepe ex eo multa mala patiuntur; sicut enim filii sunt commune bonum et commune vinculum quo firmius et arctius coniuges connectuntur, ita ex adverso qui prole carent multo facilius dissentiunt et ab invicem separantur. Nec dicatur, ad hunc finem attingendum unum vel alterum filium sufficere; nam quo numerosior proles, eo firmior coniugum unio; aliunde haud raro onanistae puniuntur praematura morte unius vel alterius filii quem genuerant; hinc saepe parentes filii unici angoribus et timoribus premuntur, ne forte hic e vivis rapiatur et familiae nomen deleatur. — Praeterea copula maritalis quae, legitime peracta, remedium est concupiscentiae, eam non sedat sed incendit quando onanistice perficitur; femina praesertim non complete delectatur, nec quiescit nisi cum uterus virili semine eius ardorem temperante irrigatur. — Hinc etiam uno ore conclamant medici onanistas multis morbis obnoxios esse, qui praesertim ex nervorum

concordat cum iis quae a scientiarum cultoribus ordinario traduntur), et ex alia parte distantia initii vaginae ad ostium uteri diminuatur; haec insuper animadvertere liceat. Ex *optimo* modo quo *aliquando* exceptionaliter fecundatio fieri possit, concluditur ad id quod licite fieri possit *gcneratim.* Deinde, ex eo quod fecundatio non radicaliter impediatur, quomodo possit affirmari quod adsit spes qualis melior moraliter expectari nequit? Id revera nos fugit. Ceterum graviter illicitum est « *quidquam positive* agere quo conceptio impediatur vel minus probabilis fiat ». ut ait ipse P. Vermeersch; ac proide etiam partem seminis perdere, —[1] nisi per accidens et praeter intentionem agentis — : « Sic non possit vir, contentus partiali seminatione, se retrahere et reliquum semen consulto prodigere extra vas » (n. 57). Ergo a pari lotio est graviter illicita, quae directe partem seminis expellit.

1 Ita Dr ScHOCKAERT.Les *dangers de l'avortement et du néo-malthusianisme pour l'organe féminin;* in *Revue médicale de Louvain,* 1932.

excitatione oriuntur commotio enim quam concubitus causât non sedatur nisi virilis spermatis naturali effusione ac susceptione.

b) *Proles* etiam haud raro ex onanismo parentum aliquod detrimentum patitur, quod ita describit Concil. *Pictaviense* (1868): saepe saepius accidit ut filius ille indulgentius educetur, aut Deo iubente vitam breviter finiat, aut, aetate deterior factus, dulci fratrum sororumque amore ac praesidio destitutus, seipsum amans, parentibus non obediens, elatus, ingratus, sine affectione, familiam suam ignominia mceroreque afficiat.

c) Nec minus societati nocet onanismus. Si quidem praecipuum societatis robur ac praesidium in numero ac virili civium educatione situm est; iamvero onanismus, generationem impediendo, civium numerum minuit, ita ut nationes olim florentes paulatim deficiant; obstat pariter virili puerorum educationi : ubi enim unicus est filius, generatim indulgentius educatur, voluptati potius quam officio addicitur, ac saepe patriae omnino inutilis evadit ».

V. Monitum pro confessariis. De Onanismo etiam *interrogandi et monendi sunt fideles in confessione.* De quo S. Poen., 10 mart. 1886; et Instr, ep. Belgii 1909[2]; atque Cone, prov. Mechl., n. 84-86. Imo ipse S. Pontifex in enc. *Casti Connubii* scribere non dubitat : « Sacerdotes igitur, qui confessionibus audiendis dant operam, aliosque qui curam animarum habent, pro suprema nostra auctoritate et omnium animarum salutis cura, admonemus, *ne* circa gravissimam hanc Dei legem fideles sibi commissos *errare sinant,* et multo magis, ut ipsi se ab huiusmodi falsis opinionibus immunes custodiant, neve in iis *ullo modo conniueant* Si quis vero confessarius aut animarum pastor, quod Deus avertat, fideles sibi creditos aut in hos errores ipsemet induxerit, aut saltem sive approbando, sive

[1] Vel etiam mulierem ex defectuosa variarum praxium applicatione. Cfr. Eschbach, *o. c.,* p. 573-574; Surbled, t. I, l. 2, ch. 11-12; Dr Schockaert, in articulo citato.

[2] Cuius instructionis ad instar commentarii haberi potest opusculum auctoris A. Knoch, *L'Onanisme conjugal et le tribunal de la Pénitence,* Liège, 1910. Praeterea conferri utiliter possunt: *Instructio pro confessariis de usu et abusu matrimonii,* Eichstaett, Seminarium 1931; — *Ami du Clergé,* 1931: — Creusen, *L'Onanisme conjugal,* in *N. ft. Th.,* 1932.

dolose tacendo in iis confirmant, sciat se supremo iudici Deo de muneris proditione severam redditurum esse rationem, sibique dicta existimet verba Christi, Mt. XV, 14 : Caeci sunt, et duces caecorum; caecus autem, si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt ».

Agitur enim de malo gravissimo, ubique sparso et bono communi valde nocivo, de quo bona fides iam vix existere possit, cuius praxis apud bonos et pios facile erit aliis ob scandalum damnosa, quaeque ob silentium confessariorum existimabitur permitti aut tolerari posse. Quibus inspectis confessarius :

1) Nisi positivo iudicio appareat poenitentem ab illo vitio immunem, *regulariter* ignotos coniuges interroget saltem interrogatione generali : utrum omnia in matrimonio recte se habeant, an nihil circa hoc perturbet conscientiam.

2) Si onanista detegatur, nunquam potest positive permittere vitium, et *regulariter* monere debet, non solum si absit bona fides aut probabilis sit spes fructus, sed etiam his deficientibus, imo, monet S. Poenità, 10 mart. 1886, « si praevideat plures a bona fide esse deturbandos, multosque sacramenta derelicturos » : tum *generatim,* quia si confessarii generatim silerent, nocerent bono communi, tum in casu *particulari* si timeatur ne silentium confessarii divulgetur, vel exemplum fidelibus sit scandalum. « Hac enim in re, ait Conc. Prov. Mechl., n. 85, praestat severitate uti magis quam indulgere laxitati ».

3) Extraordinarie solum, in casu raro, si ista absint incommoda et periculum scandali atque nimii abusus, poenitentem poterit relinquere in bona fide, quae facilius existere potest in uxore dum est in gravi morbo, aut totam rem relinquit marito.

4) Quodsi coniux, attento modo quo vitium committatur, copulam bene inchoare vel inchoatam admittere legitime possit, de hac facultate eam instruet, ut ipsa vitet deinceps peccata formalia.

5) Remedia quoque contra vitium praebeat :

a) ostendat gravitatem peccati quod fini primario actus coniugalis et matrimonii directe adversatur, ac gravem obligationem illud derelinquendi;

b) exponat effectus nocivos in prole nata, et in parentibus qui systema nerveum debilitant;

c) si poeniteris obiicit difficultatem alendi et educandi numerosiorem prolem, fiduciam excitet in Dei providentiam et exponat familias numerosiores generatim esse aliis feliciores et emergere energia membrorum, maiorique unione ac virili amore;

d) si mors ex novo partu timeatur, insinuet periculum a medicis nonnullis facile exaggerari, neminem hac in re posse certum praenuntiare eventum, naturam ceteroquin mulieri praegnanti adiumentum ferre, ac artem medicam ita profecisse ut periculum potius possit averti;

e) tandem discreto modo ut se contineant aut rarius congrediantur suadere potest, vel iis caute insinuare adesse tempus fecundationi minus aptum.

6) Denique recidivo sine emendatione regulariter absolutio differatur, nisi signa extraordinaria afferat.

7) Ceterum, ut castitatem coniugalem exercere valeant, oportet ut coniuges, virtute praediti, passionem dominentur et continentiam per tempus servare apti sint, ut quandoque necessarium est durante praegnatione, vel tempore partus et purgationis, vel propter morbum aut infirmitatem. Quodsi id possint, etiam sat facile vitare onanismum valebunt.

Articulus V.

De Debito Coniugali et de Defectu in Matrimonii Usu.

I. Actus coniugalis etiam potest esse obligatorius : copula enim *ex iustitia* exigi potest ab alterutro coniugum quia habet potestatem in corpus compartis (I Cor., VII, 2-3), et quidem ex contractu bilaterali oneroso, ita ut per se et generatim compars ipsam reddere teneatur; quaproter debitum conjugale solet vocari. Linde coniuges etiam possunt peccare per defectum (can. 1111).

A. *Petendi* nulla per *se* est obligatio, quia nemo tenetur uti iure suo; per accidens obligatio ex *charitate* (et pietate) potest existere v. g. si iudicet coniux (praesertim vir) compartem versantem in periculo incontinentiae non audere petere, vel si

usus co.niugii necessarius appareat ad fovendum amorem vel dissidia avertenda.

B. *Reddendi* existit obligatio per se *gravis ex iustitia* quoties una pars rationabiliter, serio et legitime petit, sive expresse sive tacite, quia ad usum coniugalem corpora mutuo tradiderunt in contractu matrimoniali; id autem negare de se gravem molestiam affert alteri. Per accidens tamen erit levis, ut si raro denegetur debitum, v. g. saepius petenti semel in mense, si ad breve tempus differatur, v. g. a die ad noctem, a nocte ad mane, si alter remisse, non instanter, petat et neganti facile acquiescat; dummodo in his circumstantiis absit periculum incontinentiae aut alterius gravis incommodi.

II. Cessat obligatio reddendi in uno, cessante iure petendi in altero :

a) Si petens admiserit adulterium (sodomiam proprie dictam bestialitatem) formale, certum, consummatum : frangenti enim fidem, fides frangitur. Excipe si alter similiter peccaverit, vel peccati complex fuerit, vel peccatum sciens et volens condonaverit (can. 1129).

b) Si usu rationis prorsus careat vel in statu perfectae ebrietatis sit, quamdiu status duret : qui enim caret usu rationis non petit rationabili et humano modo [1].

c) Si copula sit causa *gravis* periculi seu incommodi extrinseci, vel pro reddente, vel pro petente, vel pro prole iam concepta[2]; sufficiente tamen accedente ratione (v. g. vitandis

[1] Etiatn potest esse periculum pro prole concipienda ex copula post multam potationem inebriativam instituta, scii, ne fatua nascatur, vel surdomuta, vel ebrietati obnoxia.

[2] In specie adest *grave* incommodum negandi :

a) si uxor incipienti cancro uteri laborat, ita ut post coitum copiosae sanguinis emissioni subiicatur;

b) si coitum subit cum dolore valde acuto qui in singulis copulis repetitur;

c) si ipsa graviter aegrotat vel si compars morbo contagioso laborat, uti lepra, morbo venereo, qui vel celeris infectionis periculum adducit, vel insuperabilem horrorem commovet;

d) si alteruter vitio organico cordis laborat : tunc enim coitus non solummodo valde nocet, sed mortem etiam subitaneam producere potest;

dissidiis vel sui aut compartis incontinentia) posset aliquis, ex charitate, comparti reddere et proprio periculo se exponere, nisi tamen ex copula mors immineret[1]:

d) Si compars petat immoderate v. g. pluries (ter quaterve) in eadem nocte

e) Si petat modo non solum ex parte agentis sed ex parte ipsius actus illicito v. g. ut fiat onanistice, sodomitice. cum scandalo aliorum, etc.

Gravius autem nocumentum requiritur ad debitum absolute negandum, quam ad eiusdem redditionem differendam vel restringendam. Ita debilitas uxoris aut magna defatigatio, quae non sufficit ad copulam absolute denegandam, potest esse ratio ad redditionis dilationem vel ad eam denegandam adeo frequentem qualis a viro expetitur. Hinc :

1" Peccant graviter uxores quae in reddendo debito se difficiles et morosas praebent cum periculo incontinentiae aut adulterii in viro aut cum animo illum deterrendi a petitione; item si debitum non concedunt nisi coacte, si viro dure et contumeliose suas petitiones exprobant, imo si obstinate negant, etiam pro una vice dum serio et instanter petit.

e) si uxor experientia aut medici iudicio novit se in partu grave mortis periculum subire.

Hinc dicit P. Vermeerscu, n. 225 : « Si medicus novam conceptionem certo *uxori exitiosam fore* declaret, uxor copulam declinare debet. Si autem mors non ita immineat, uxor in periculum ob gravem causam se inferre potest. Etenim, cum ipsa conceptio dubia sit, nec ortum nec proximum periculum esse videtur. De his autem medicum simul peritum et timoratum adire oportet. Non desunt enim qui propter *modica* indicia personas parum continentes honesto coniugii usu inconsiderate prohibent. Quare Génicot existimat rarissime tale periculum ex futuro partu constare ob quod gravis obligatio sit abstinendi usu coniugii ». Cfr. Dr. AtisEMS. *Hef herhaalde moederschap.*

' Id esse ad mentem S. Thomae constat ex eius responsione ad 4. a. 1. q. 64 in suppi.

' Non solent viri, multo minus uxores, modum excedere in petendo debiti nisi primis a contracto matrimonio mensibus, quo tempore etiam exigua erit difficultas moralis, seu quia vir rarius ius strictum urgere intendit, seu quia modeste deprecanti uxori libenter annuet. (Génicot. *Th. M.,* II, η. 554).

2° Graviter etiam peccant viri qui, sive ex avaritia ad vitandam prolem, sive ex malevolentia, raro cognoscunt uxores suas.

3° Tenentur coniuges ad torum communem (can. 1128) propter obligationem reddendi, ideo per se illicitum est uni, absque consensu alterius vel cum periculo incontinentiae, diutius abesse : id enim aequivalet denegationi debiti; per accidens licitum est propter graves causas v. g. bonum notabile reipublicae vel familiae.

4° Hinc *iniustus* est ille qui *illicite* se separat vel divortium civile postulat.

5° Illicitum est coniugibus se inhabiles reddere ad copulam aut generationem, nimiis laboribus, vigiliis, austeritatibus aut a fortiori pollutionibus, adulteriis aliisve actibus illicitis. Unde gravis et *specialis* iniustitiae rei sunt mariti qui, invita uxore, vasectomiam ideo admiserint vel castrationem ut generare non possint, vel corpus ita extenuant ut actui coniugali fere impares se reddant, vel artes neo-malthusianas exercent; item ex adverso uxores quae, inscio vel invito marito, non ex necessitate praesentis infectionis sed ad sterilitatem obtinendam aut graviditatem futuram etiam periculosam vitandam, excisionem ovariorum vel interruptionem oviductus sibi procurant, aut pessarium occlusivum ad ostium uteri apponunt aut aliis mediis .neomalthusianis utuntur; item medici qui arte sua praedictas excisiones aut operationes exercent aut aliquo modo iis cooperantur.

6" Non excusantur coniuges ab obligatione reddendi propter incommoda inhaerentia matrimonio v. g. numerosiorem prolem, incommoda gestationis, difficultates ordinarias partus, dolores graves et insolitos sed breves, dolores leves licet diuturnos, etc..., quia haec onera sunt matrimonio adnexa et ineundo matrimonium ea susceperunt.

7° Videtur tamen uxor a reddendo debito excusari si vir culpa sua in summa egestate uxorem relinquat, aut prolem alere nolit, aut nullam curam familiae habeat.

III. Animadversiones. 1) Ordinarie non tenetur confessarius nec eum decet interrogare uxores, nisi modestiore quo possit modo, num debitum reddiderint, v. g. an obediant viro in rebus quae ad matrimonium spectant, vel an aliquid conscientiam angat circa matrimonium: de ceteris taceat nisi

interrogatus fuerit. Plerumque hac in re interrogandae sunt uxores parum timoratae, praesertim quando se maritis suis iratas fuisse confitentur. Haec autem interrogatio ordinario omittenda est cum uxoribus timoratae conscientiae[1].

2) Interrogatus confessarius triplicem regulam supra indicatam (art. Ill, η. I. A. B. C.) proponere potest coniugatis qui circa turpiora quae inter se agant anxietate premuntur; — ab ulterioribus interrogationibus circa naturam facti generatim abstineat; — praeterea singuli edoceantur : a) maritus ut debitum non petat iis temporibus quibus copula uxori graviter noxia esse potest v. g. tempore purgationis vel gravis morbi; b) uxor se sub gravi peccato teneri viro obedire in debito reddendo, nisi ex iusta causa excusetur, v. g. ob infirmitatem.

3) Puellam interrogantem quid sibi licitum sit aut praeceptum in matrimonio mox contrahendo, iubeat confessarius interrogare matrem vel aliam consanguineam cui fidere possit; quodsi nullam huiusmodi feminam praesto habeat, honestiore modo et breviter doceat. Ad maritum illam simpliciter remittere ut omnibus huius desideriis se conformet, hodie generatim non videtur expedire, cum tot viri iam media contra naturam quaerant; — nisi casu quo honestas mariti sit omni exceptione maior.

4) Caveat confessarius ne co.niugibus de variis coeundi modis intempestivas aut nimias quaestiones faciat, quippe quae non modo inutiles sint, sed et scandalum gignere possint. Quare si poenitens prudentem suspicionem ingerat, satis erit confessario inquirere num adfuerit aliquid contra naturam vel voluntaria pollutio; de ceteris non loquatur nisi interrogatus.

5) In matrimonio, ut feliciore modo res procedant, attendant coniuges ut in usu coniugii alterius satisfactioni potius quam suae propriae consulant; speciatim :

a) ut vir : 1. non fero sed suavi modo ad uxorem accedere incipiat; 2. discrete utatur iure suo, et ita 3. affectum amoris in uxore foveat et augeat,

b) similiter uxor marito praebeat : 1. facilitatem qua parata sit reddendo debito ut placeat viro, item 2. munditiem, ac 3. ordinem et nitorem domus.

1 Aertnijs, *Th. Mor.*. II. η. 515, ex S. Alphonso. *Praxis conf.,* n. 41 et 35.

6) Castitati matrimoniali duplex occurrit periculum ex duplici vitiosa inclinatione : ad adulterium scii, et ad onanismum.

A. Ad primum impediendum vitandae veniunt occasiones : ne itaque maritus ita imprudens sit ut frequentem societatem uxoris aut amicitiam ad alios viros foveat; item uxor : 1. ne aliam feminam iuniorem, v. g. sororem aut pulchram ancillam, ad virum introducat aut domi retineat; 2. ne marito frequentationes theatrales aut mundanas separatas permittat: 3. ne ipsa cubitum separatum habeat.

B. Ad onanismum vitandum oportet imaginationem reprimere simul ac egoismum. Speciatim coniuges :

1. in vera humilitate, modesta sua conditione contenti, non altioris desiderio torqueantur,

2. divitiis cumulandis aut otio praeferant laborem pro alendis numerosis filiis,

3. in spiritu christianae abnegationis variis delectationibus privari velint pro bona institutione prolis.

Quibus, influente divina charitate, unio eorum in filiis regno Dei procreandis erit fecunda, et sic *sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia.*

Index

Opuscula edita a R. P. MERKELBACH, O. P.
in collectione « Quaestiones Pastorales »
grato animo fuerunt universim recepta atque
pluribus laudibus comprobata.

II. DE EMBRYOLOGIA ET DE MINISTRATIONE BAPTISMATIS: editio 2a

Ce volume réunit et développe un peu plus que ne le font les traités généraux de morale les questions se rapportant à l'avortement, aux interventions chirurgicales, à l'administration du baptême. Dans ces matières, qui donnent lieu à tant de cas de conscience angoissants, on apprendra avec grand intérêt l'opinion de l'éminent professeur, dont la finesse d'analyse et la rigueur de raisonnement sont assez connues. Il prouve solidement les solutions sévères proposées par l'Eglise; il refuse très heureusement de proclamer une obligation certaine, quand elle ne se laisse pas prouver d'une manière suffisante. J. Salsmans, S. J., *Now. jRevue théol.*

La dottrina in generale è sicura, l'esposizione chiara e ordinata, il fine inteso dall'A. ottimo. L'opusculo riuscirà certamente utile, massime ai sacerdoti che esercitano la cura d'anime. Noi la reccommandiamo volentieri.
Felice M. Capello, S. J., *Gregorianum.*

III. DE VARIIS POENITENTIUM CATEGORIIS : editio 2a

...Les doctrines sont nettement exposées, les arguments sommairement mais solidement proposés, les solutions franchement données. Et nous ouvrirons cet ouvrage avec la certitude que nous trouverons ce que nous cherchons. Car fout y est de ce qui doit y être, et il y a plus qu'on ne croyait trouver. Tous les genres de pénitents sont passés en revue, depuis les enfants, les simples, les occasionnaires, les récidifs, les consuétudinaires, les malades, etc., etc., jusqu'aux anormaux, les dévots, les contemplatifs etc., etc. L'auteur profite de ces diverses questions pour esquisser de petits traités spéciaux : ...sur la contemplation et ses degrés, ...sur la moralité des danses et des toilettes, ...l'absolution des excommuniés, ...les tempéraments. Que de choses instructives les professeurs de pastorale n'ont pas le temps de développer devant leurs élèves ! Voici qui est fait par un maître. Aux confesseurs de le consulter : ils ne s'en repentiront pas. G. Kiselstein, *Revue Eccl. de Liège.*

Een werkelijk voortreffelijke pastoraal-theologische verhandeling over de toediening van het H. S. der Biecht geeft ons P. M.... Door zijn

Ius proprietatis auctor sibi vindicat.

Quæstiones Pastorales
========= n

QUÆSTIONES

DE

EMBRYOLOGÎA

ET DE

MIN1STRATIONE BAPTISMATIS

QUAS IN UTILITATEM CLERI

RESOLVIT

Pater fr. Ben. H. MERKELBACH, O. P.
S. *Th. Dr et m Collegio theologico Lovamensi*
S. *Theologiae professor.*

EDITIO ALTERA EMENDATA

MYRON PLEKON

LIEGE
La Pensée Catholique — 38, Quai Mativa
PARIS (6e) : Librairie A. Giraudon, 56, rue N.-D. des Champs
AMSTERDAM : N. V. De R. K. Bock-Centrale
PADERBORN : Verlag Ferdinand Schôningh
TORINO-ROMA : Casa éditrice Maiietti
MONTREAL : Granger Frères
MADRID : Editorial Voluntad
MCMXXVIII

Nihil obstat

P. Fr. Raymundus- M. Martin, S. Th. Mag.
T', Fr. Marcolinus- M. Tuyaerts, S. Th. Mag,
Lovanii, die 10 ian. 1927.

Imprimi potest

P. Fr. Hyacinthus- M. Parys, S. Th. L.
Prior Prov. Stae Rosae in Belgio, O. P.
Bruxellis, die 12 ian. 1927.

Nihil obstat
Lcodii, die 22 Decembris 1927.
G. KISELSTEIN.

IMPRIMATUR
L. DESEILLE, Vie. gen.
Eeodii, die 22 Decembris 1927.

BENEVOLO LECTORI.

Postquam totam materiam, inter cunctas alias maxime practicam, delineavimus de Castitate et Luxuria, iam ut complementum doctrinae proponimus universas quaestiones morales pertinentes ad Embryologiam, tum in se ipsa, tum m suis peculiaribus ad magnum Baptismatis sacramentum ι elationibus spectatam. De quibus omnibus non raro in pastorali ministerio occurrunt difficultates. Et tamen, nonnunquo.m de ipsis valde parce habent moralistae sermonem, aut rem per diversos distribuunt tractatus, absque ordine logico et sine idearum connexione eam tractantes. Quapropter, tibi, optimo confratri, forsitan non erit ingratum accipere brevem, claram, methodicam et syntheticam expositionem omnium quae per varias partes theologiae, et in operibus maioris molis, vel et in opusculis specialibus sparsa poteris invenire.

Quod non inutiliter a nobis patratum bene confidimus.

AUCTOR.

Quæstiones Practicæ de Embryologia.

Quaestiones quae in pastorali ministerio occurrunt practicae Embryologiam spectantes, duplicis apparent esse generis : aliae, enim, ipsam Embryologiam immediate respiciunt; aliae specialem dicunt respectum ad ministrationem sacramenti Baptismatis. Quae tamen omnes rite intelligi nequeunt, nisi notiones physiologicae omnino accuratae sufficienter adsint. Unde, in proaemio huius opusculi, ex scientiis naturalibus generalem descriptionem breviter subiicimus de modo quo foetus evolvitur, in utero materno vivit, ac ex eo enascitur; sicut et principia theologiae moralis in mentem revocamus, ex quibus diversorum casuum solutiones in praxi sunt petendae.

Porro, quaestiones tratandae reduci possunt ad sequentes :

I. Quaestiones ipsam embryologiam spectantes :

1) De vita uterina foetus eiusque evolutione ac nativitate notiones physiologicae;
2) De principiis theologicis in quaestionibus embryologicis invocandis;

3) De incisionibus quae laedunt matrem;
4) De embryotomia, seu de incisionibus quae laedunt foetum;
5) De procuratione abortus;
6) De partu praematuro artificiali ;
7) De foetibus ectopicis seu extrauterinis.

II. Quaestiones embryologicae quae respectum dicunt ad ministrationem Baptismatis :

1) De principiis theologicis circa materiam Baptismi;
2) De principiis theologicis circa formam Baptismi;
3) De baptizandis nonnatis in utero matris;
4) De baptizandis foetibus immaturis;
5) De baptizandis monstris;
6) De rebaptizandis sub conditione.

I. Quæstiones pastorales ipsam embryologiam spectantes.

Quaestio Prima

DE VITA UTERINA FŒTUS, EIUSQUE EVOLUTIONE AC NATIVITATE

Notiones physiologicae (1).

I. Evolutio naturalis et physiologica fœtus (2) est quae in utero materno fit, cum ovulum fœcundatum in uterum descendit ibique sistit. Porro, quocumque loco uteri sistit, ibi manet.

Obtegitur autem tribus membranis (eihulsels, eivliezen) :

la vocatur decidua, a *cadere,* quia in partu a matre cadit

(1) Notiones physiologicas praesertim desumpsimus ex Antonelli, « *Medicina Pastoralis* »; prae manu habemus editionem 2am (1906), quam sequimur in adnotandis verbis allegatis. Consuli utiliter etiam possunt : Dr Capellmann, « *Medicina Pastoralis* »; Eschbach, « *Disputationes Physiologico-Theologicae* »; Dr Surbled, < *La Morale dans ses rapports avec la Médecine* »; Salsmans, < *Geneeskundige Pitchtenleer* >; Dr Vigouroux, < *Traité de médecine pratique* >: Vîvat, < *Nederlandsche Encyclopédie* >; et alia opera scientiae anatomicae aut medicae.

(2) Ita vocatur a momento quo habet formam humanam, scü. a fine 3 mensis, vel initio 4 mensis, aut, prout alii loquuntur, postquam *incipit*

(ia caduque, netvlies of huntervlies) (1) ; haec formatur ex mucosa (slijmvlies) uteri quae multiplicatur et crescit circa ovulum ita ut paulatim illud omnino obtegat, ac inter ovulum et parietem uteri originem dat corpori spongioso rubri coloris quod vocatur placenta uterina matris (moederkoek) et inservit ad nutritionem fœtus postquam alimenta interna ovi consumpta sunt (2).

2a vocatur chorion (etym. enveloppe) (ader.vlies of vaatvlies) ; haec est crassior ac in tota superficie externa multas villositates producit, quae in uno tantum loco, scilicet versus parietem uteri supra placentam matris, remanent, ubi evolvuntur, divisae in plures ramos qui partim penetrant in placentam matris ita ut nutriatur fœtus, partim in sinus uteri sanguine repletos ut illum ad foetum afferant. Ita, parte sua extrema, uteri parieti adhaeret chorion, integrumque fœtum in utero retinet; et cum haec pars correspondeat placentae matris, ideo vocatur placenta fœtus, quia ex ipso ovulo ortum ducit.

3a est amnios (lamsvlies) quae immediate totum fœtum ambit et tenuissima est, ac considerari potest velut continuatio pellis fœtus; continet liquidum albidum (liquide amniotique; lamsvocht, vrucht- of kinderwater), in quo infans immersus mirabiliter natat, quodque inservit ad protegendum fœtum, et probabiliter — iuxta quosdam — etiam ad nutrimentum confert.

Fœtus autem communicat cum placenta per funiculum

manifestari facies, i. e. post 6 hebd; antea dicebatur *embryo* (dier- of menschenkiem, lichaamsvrucht), quando certam evolutionem acquirit et formam characteristicam, ita ut appareat forma corporis et membrorum (post IS dies, vel paulo plus); initio est *ovulum fecundatum.* — Quomodo conceptio et generatio fiat, supponimus notum. Conferri potest opusculum nostrum « *De Castitate et Luxuria* > p. 13.

(1) Ita vocatur a Doctore Hunter.

(2) Placenta tempore partus crassitudinem habet circiter 3cm., latitudinem 15-18 cm., et pondus 500 gram.

umbilicale (cordon ombilical; navelstreng), quod ab umbilico pergit usque ad placentam, longit. circ. 50-55 cm. (1), diam. 12-15 mm. Constat a) duabus arteriis umbilicalibus, quae sunt continuatio arteriarum hypogastrii (onderbuik) fœtus, et transvehunt sanguinem a fœtu ad placentam; et b) vena umbilicali, quae sanguinem transfert a placenta ad fœtum. Unde sanguis fœtus cum sanguine matris nullomodo commiscetur, sed circulatio clausa omnino et independens est a circulatione matris.

Prima membrana est originis maternae; aliae duae sicut funiculum sunt originis fœtalis (2).

II. « Totum tempus quo fœtus in utero sistit, praegnatio (gestation, grossesse; zwangerschap) dicitur, et transcurrit ordinarie spatio novem mensium vel circiter 280 dierum (i. e. decem mensium lunarium) (3). Tempore praegnationis, uterus servat plerumque formam ovalem, quia infans inversus est, scii, habet caput inferius et reliquum corpus superius, crura contra ventrem flexa, genua quae aliquantulum in crucem disposita sunt, contra crura, et brachia, modo crucis, ante pectus.' Hic status fœtus ordinarius et normalis est; aliquando vero fœtus habet caput superius et reliquum corpus inferius, vel transverse se habet, ita ut ostio uteri latus praebeat; hisce anomaliis positionis, partus eget auxilio chirurgi. Tempore praegnationis, ostium uteri clausum est operculo quodam mucoso » (4). Interea, circa quintum mensem, ubera matris crescunt volumine, et *praeparant* confectionem lactis.

(1) Aliquando longior, et tunc circumdat aliquam partem foetûs, scii, collum, brachium, crus et truncum ipsum, dum pluries in se revolvitur.

(2) De praedictis apud Antonelli, *o. c.*, t I, n. 238-239.

(3) Computum facere solemus more vulgari in mensibus solaribus; nisi sub η. V, ubi magis scientifice totus progressus foetalis evolutionis describitur.

(4) Antonelli, *o. k*, t. I, n. 240.

Quoad signa praegnationis (1) dicendum est indicia *absolute certa,* ex quibus affirmari possit agi de praegnatione, primis temporibus non adesse, quia mutationes quae hoc tempore fiunt, alias causas habere possunt.

Signa alia sunt *mere praesumptiva,* ut sensus languoris, quaedam debilitas generalis, depressio spiritus, capitis ac dentium dolores, et vomitus praesertim matutinus.

Alia *probabilia et quasi certa,* ut suppressio menstrui fluxus in muliere, quae antea regularia menstrua (règles: maandstonden) habebat (2) ; mutationes in genitalibus et, partim, magnitudo ventris et uteri (qui ceterum ex aliis causis crescere potest), maior secretio vaginae et uberum turgor, quae etiam lac secernere possunt. At, haec secretio lactis, etsi signum valde probabile sit praegnationis, tamen non indicat absolute fecundationem habitam; nam, certum est aliquando mulieres, post partum, servare lac in uberibus per plures menses, annos, et totam vitam; aliquando quae nunquam conceperunt et variis morbis uteri, ovariorum, tubarum, et peritonei patiebantur, subiectas fuisse huic lactis secretioni, quae renovari potest quoties inflamgiationes praefatae iterum locum habent.

Signa *certa* sunt : 1) *exploratio interna* per medicum aut obstetricem facienda, ex qua cognosci potest praesentia fœtus in utero; tamen possibilis esse potest deceptio ob nonnullos morbos qui effectus similes producere valent; 2) *motus foetus activi* qui, cum certo cogniti sunt, certam praegnationem indicant (saltem a sexto mense) ; 3) *pulsa-*

ti") Antonelli, *o. c.,* t. I, n. 242-243. Non inutile est illa cognoscere. Puellae enim aliquando valde timent esse praegnantes, ita aliquando ut abortum sibi procurent, vel finem vitae per suicidium sibi parent. Unde confessarius potest eas requietas reddere.

(2) Notetur tamen etiam ob alias causas menstrua posse cessare, et etiam tempore praegnationis posse *semel* vel *bis* apparere, quia ordinario, quando pluries fluxus sanguinis in praegnantibus observatur, non refertur ad menstrua, sed ad haemorrhagias uterinas diversae omnino naturae.

tiones cordis fœtus per stethoscopium (quod est Instrumentum quoddam auscultationis) praesertim audiendae iam mense quinto.

III. Partus (1) (accouchement; bevalling) essentialiter consistit in eiectione fœtus per contractiones musculorum uteri, Quae contractiones rumpunt membranas fœtum involventes; quo fit ut liquidum amnioticum fluere incipiat. Partum comitantur vehementes dolores. Placenta et membranae fœtus, post partum, secundinae vocantur, quia post partum secundo loco a sinu matris decidunt (la délivre, l'arrière-faix; de nageboorte, het vuil).

Post partum, magna defatigatio tenet mulierem ; fluxus sanguinis per plures dies (10-15) sequitur ob placentam ab utero separatam; uterus vero, peracto partu, statim contrahitur. Post sex hebdomadas vel duos menses, volumen fere primitivum acquirit (2). Tempus quod statim post partum sequitur, *puerperii* dicitur (couches; kraam, kraam- of kinderbed) ; hoc tempore, mulier particularibus curis indiget.

Nato infante, ubera fiunt loca particularis activitatis, qua lac *statim* secernunt. Qui labor physiologicus affert in toto corpore mulieris quamdam reactionem, quam comitatur specialis febris, quae *a lacte* dicitur. Altero scii, vel tertio die post partum, ubera dura fiunt, dolore afficiuntur, et febris apparet, quae ordinarie post 24 horas cessat (aut aliquando citius) ; post hoc, secretio boni lactis definitive statuitur. Primum lac sat liquidum est insufficiens ad nutriendum, et colostrum appellatur (biest). Quod tamen utile est infanti, cui, tamquam levis purgatio, inservit ad eiiciendum meconium quod, tempore vitae in-

ii) Antoneij.i, *o. c.*, t. I, n. 241.

(2) Uteri dimensiones ordinariae in statu normali differunt a virginibus ad multiparas, scii, a 60 mm. ad 68 mm. long, circiter; et a 38 ad 43 mm. lat.

trauterinae, continebant stomachus et intestina. Colostrum tamen paulatim nonnullas mutationes patitur et verum lac fit, ita ut post duos .vel tres dies elaboratio et secretio lactis perfecta evadat (1).

Tempore lactationis, ordinarie, menstrua suspenduntur; cessante lactatione, lac paulatim minuitur et regulae reapparent. Si vero menstrua ante finem lactationis fluere incipiunt, secretio lactis *plerumque* minuitur.

IV. Abortus (2) est praematura ex utero matris eiectio fœtus, immaturi scii, (onrijpe vrucht) seu *non vitalis* (niet leefbare vrucht), ex causa naturali vel artificiali (avortement, fausse couche; miskraam, misval, misgeboorte, vruchtafdrijving) ; unde abortus obstetricus est in provocatione partus antequam fœtus sit vitalis, ac proinde cum nullo modo possit extra uterum vivere (kunstmatige vruchtafdrijving).

E contra, partus praematurus seu acceleratus (accouchement prématuré; vroeggeboorte, of vroegbevalling) est eiectio fœtus iam vitalis, sed non plene maturi ; artificialis (kunstmatige vroeggeboorte) est in provocatione partus antequam praegnatio completa sit, circa *lum* vel *8um* mensem, aut etiam aliquando 6° mense, praesertim si adsit specialis cura ope artificialis incubationis (couveuse d'enfant; broeikasje).

V. Phases evolutionis. — Ovum, quod per abortum expellitur, ordinarie membranis involutum expellitur, et variam habet magnitudinem pro tempore evolutionis (3) (ontwikkelingsgeschiedenis).

Primo mense : finiente secunda hebdomada (post 12-13

(1) Antonelli, *o. c.*, t. I, n. 241 ct 479.

(2) Antonelli, *o. c.*, t. I, n. 416, Cf. infra Qu. 5 et II, Qu. 4.

(3) Antonelli, *o. c.*, t. II, n. 21. Numeri qui traduntur dimensionum aut ponderis, ex variisauctoribus ad invicem collatis sumpti sunt, et indicant quamdam medietatem inter varios casus extremos possibiles.

dies) embryo habet magnitudinem 2 mm. et ovum 6 mm. (1). Tertia hebdomada, caput forma rotunda indicatur; membra sunt indistincta, sed conspiciuntur rudimenta extremitatum; cor probabiliter iam pulsat; nulla *apparet* distinctio cum embryone animalium, avium, reptilium. Habet embryo formam scaphoidam (forme de nacelle; bootvormig), longit. 4 mm. In fine mensis, longitudo est 7-7% mm. usque ad 11-13 mm., et ovulum habet magnitudinem nucis avellaneae.

Secundo mense, caput est valde magnum (fere *y*^ embryonis), extremitates sunt perfecte articulatae, et facies *incipit* manifestari. Longitudo invenitur 13-16 mm. usque 2-3 cm. Sexta hebdomada formatur placenta.

Tertio mense, nutritur iam sanguine matris, unde celerius evolvi incipit. In fine mensis, forma corporis perfecta est : bene videntur digiti manuum et pedum; genitalia (etiam forsan externa), iuxta sexum, immutari *incipiunt;* fœtus est 7-9 cm. longit. et 15-20 gram. ; ovum magnitudinem habet ovi anatis communis.

Quarto mense, sexus facile conspicitur; fœtus long, est 10-13 cm., ponderis 120-150 gr.

Quinto mense, in capite apparent capilli, vel et ungues in membris; si hoc tempore vivus edatur, advertuntur pulsationes cordis ob eius ictum contra pectus; aliquando paulisper respirat at cito moritur. Longit. est 13-27 cm., ponderis 250-300 gr.

Sexto mense, palpebras habet apertas, pellis pigmento obtegitur, adeps sub pelle conficitur. Facit nonnullas inspirationes, movet extremitates; at *fere cito* moritur. Long, est 28-34 cm. ; ponderis 700-1000 gr.

Septimo mense, forma corporis apparet magis rotunda, aspectus pulchrior. Stabilem positionem acquirit ita ut in liquore amnii non amplius natet. Vivus clamat exili voce;

(i) In memoriam revocamus, ovulum esse 0,2 mm. et zoosperma 0.05 mm.

plerumque obit; aliquando tamen, specialibus adhibitis curis, servatur. Long, est 35-38 cm.; ponderis 1000-1500 gr.

Octavo mense, long, est 40-43 cm.; ponderis 1500-2000 gr. Hoc tempore nati possunt vivere, etsi plures moriantur primis horis vel diebus post ortum.

Nono mense, long, est 46-48 cm. ; ponderis 2500-3000 gr. Maior est quantitas adipis sub pelle. Hoc tempore nati *vimmt* ordinario, etsi eorum mortalitas non sit minima.

Decimo mense, long, est 48-50 cm, imo usque 53 cm., ponderis 3000-3800 vel et 4000 gr. Cartilagines nasi et aurium sunt, initio mensis, valde molles; ungues augentur; et demum fœtus praebet characteres, qui notantur in perfecta praegnatione. Maturitas adest completa.

VI. Praegnatio etiam haberi potest innaturalis, scii, extrauterina seu ectopica (buitenbaarmoederlijke zwangerschap) qua fœtus evolvitur extra uterum v. g. in tubis (eileiders), in ovario (eierstok), in cavitate abdominis ubi applicatur alicui matris intestino et ita grandescere incipit (1). Primis mensibus valde difficile est fœtum extrauterinum a tumore aut a fœtu uterino discernere. Plerumque ante quartum mensem perit ex anemia vel a maternis visceribus oppressus, aut praegnatio ante tempus finem habet ob scissionem membranarum fœtum involventium (2) ; aliquando fœtus perfectam evolutionem prosequitur sed nasci non potest. In utroque casu in magno constituitur discrimine vita matris, non tamen semper (3).

Utraque praegnatio, uterina et extrauterina, potest simul existere. Causae autem quae praegnationem extrauterinam inducunt sunt plurimae : ex una parte zoospermata

(1) Antonelli, *o. c.,* t. I, n. 244-246.

(2) Exinde haemorrhagia oritur quae mortem matris per anemiam afferre potest.

(3) Mors incurritur in› proportione 68 %.

possunt ex tubis in ovarium aut in abdomen transire (hoc ultimum satis intelligitur ex eo quod tubae ovario non semper perfecte adaptantur), et ex alia parte ovulum potest impediri ne descendat in uterum ; ovulum in uterum descensum potest in oppositam tubam ingredi; ovulum fœcundatum ex utero aut ex tuba, ob aliquam scissionem, in cavitatem abdominis transire.

Notetur talem praegnationem supponere uterum ; si iste non existit vel ablatus fuit, nulla praegnatio est possibilis : uterus est via necessaria ad transitum spermatis.

VII. Falsae praegnationes (1) sunt apparentiae praegnationis. Aliquando

1) ovulum foecundatum post aliquod tempus moritur, et placenta aliaeque partes fœtus ita accrescunt ut molae carneae (vleeschklomp) gignantur; vel

2) ob occlusionem colli uterini sanguis menstruus, cum nequeat fluere, in utero manet, qui magis magisque augetur, ita ut per aliquot menses praegnationem fingere possit;

3) in utero vapores nonnullae cumulantur quibus uterus inflatur, praegnationem simulans, cuius absentia optime noscitur ex sonitu per percussionem ventris obtento.

Item imaginariae praegnationes (2) non raro notantur in feminis. Quod contingit saepius apud mulieres quae vehementer desiderant vel timent fieri matres (v. g. quae proximae sunt menopausae; — innuptae valde nervosae et hystericae; — quae primos liberos amiserunt vel, orbatae primo marito, putant se esse debere fœcundas cum altero viro). Cogitatio matemitatis eas tam turbat ut cito in firmissimam persuasionem veniant se debere esse

(1) Antoneixi, *o. c.*, t. I, n. 249.
(2) Antonelli, *o. c.*, t. I, n. 250.

praegnantes, etsi menstrua regulariter experiantur (1), ac omni studio quaerunt medicum suadere de hac supposita praegnatione, imo observant ubera augeri, vomitus apparere, nausea se laborare, desideria praegnantium experiri.

VIII. Anomaliae quae notantur aliquando in corpore hominis, et horrorem saepe gignunt, vocantur monstra, praesertim quando in foetu species corporis humani totaliter aut notabiliter est deformata (2). Corpus humanum enim non semper praebet omnia regularia organa, anatomica et physiologica, quae constituunt hominem vere normalem, et saepe prae se fert plures, maioris vel minoris momenti, irregularitates, monstruositates, deviationes a typo normali quae necessario inducunt non parvas mutationes physiologicas.

Distinguuntur in *simplicia* et *duplicia seu geminata,* prout nascuntur unus vel duo foetus gemini ad invicem adhaerentes, sive aequaliter, sive inaequaliter evoluti.

Causae plures sunt : aliae *praecedentes* fecunditatem, v. g. status anatomicus aut physiologicus morbosus parentum (debilitationes, alcoolismus, haereditas), item status seu conditiones physicae ovuli vel zoospermatis vel utriusque; aliae *consequentes,* ut actio nervosi systematis qucd ob causas morales commotum potest adducere mutationes in circulatione fœtus et in contractionibus uteri; —pressiones mechanicae externae, — morbi fœtus et membranarum, — evolutio plurium fœtuum, — funiculum umbilicale quod potest plures partes corporis circumdare et coarctare, — particulares deviationes et mutationes evolutionis in fœtu.

(1) Etiam imaginatione potest menstruum deesse; tunc expectandum est tempus, ad auferendum omne dubium, quo possint pulsationes cordis foetus audiri, i. e. ad 5um mensem.

(2) Antonelli, *o. c.,* t. I, n. 263 et 307. Anomaliae possunt afficere unum vel plura organa, et esse leves vel graves. Cfr. infra II, Qu. 5.

IX. Operationes et incisiones chirurgicae quae frequentius fiunt tempore praegnationis aut partus, multiplicis sunt generis :

1) aliae ad extrahendum foetum aptae sine laesione fœtus et matris sunt omnes illae per manus aut instrumenta habitae, quae partum efficere valent, sive producendo contractiones uterinas *per compressionem,* ut aiunt, fricando scii, convenienter manus super abdomen, sive extrahendo fœtum per apposita instrumenta (forceps, retroceps, verlostang) aut per media mecanica ad augendam vim instrumentorum apta. Quae operationes non modo licitae sed et praeceptae sunt, quia ad hoc tantum fiunt ut adiuvetur opus naturae ad perficiendum partum ;

2) aliae vero laedunt organa matris, non fœtus;

3) aliae occidunt ipsum fœtum et embryotomiae (τομή , sectio, abscissio) nomine colliguntur;

4) aliae, scii, procuratio abortus ac partus artificialis in matrem agunt simul et in fœtum.

De quanim omnium liceitate nunc venit dicendum.

Quaestio Secunda

DE ACTIONIBUS VITAE HOMINIS AUT INTEGRITATI NOCIVIS

Principia theologica

I. Ad quaestiones praedictas recte solvendas, recolere oportet quaedam principia theologiae moralis, scii, unum ex generali doctrina de actibus humanis, et alia plura specialia ex materiis particularibus de iustitia et de charitate.

II. Ex doctrina de actibus humanis scimus licitum esse ponere causam quae producit simul effectum bonum et effectum malum, si adsint quatuor conditiones :

1) si actio *in se* (i. e. seclusis circumstantiis) non sit mala, sed honesta vel saltem indifferens;

2) effectus bonus saltem aeque immediate ex causa sequatur ac malus, seu non mediante malo ; secus enim esset operari seu efficere bonum per malum, et ideo malum aliquomodo velle ut medium ad bonum, cum tamen non sint facienda mala ut eveniant bona ;

3) effectus malus non intendatur sed solus bonus, secus enim malus effectus esset in se voluntarius vel saltem volitus ;

4) ratio adsit ponendi causam et quidem proportionate gravis, i. e. ut bonum procuratum superet vel adaequet et ita compenset malum.

E contra est illicitum, si actio sit in se mala vel solum effectum malum immediatum habeat, etiamsi ulterius ex ea procuretur et ab agente intendatur effectus bonus valde maior. Quamvis enim ad moralitatem interioris actus voluntatis diiudicandam, ante omnia oporteat respicere *intentionem,* ad diiudicandam tamen moralitatem actus exterioris non tam videndum est ad quid ultimo terminetur vel quid ab agente intendatur, sed imprimis *quid immediate fiat,* et si id sit malum vel si solum effectum malum immediate producat, etiamsi ulterius tendat vel ordinetur ad aliquod bonum maximum, semper intrinsece malum manebit.

III. Ex doctrina de iustitia scimus non hominem dominium corporis et vitae humanae habere, sed solum huius auctorem, Deum; unde de .vita (propria aut aliena) non potest homo directe 'disponere nisi secundum quod fuerit ei a Deo concessum. Iamvero

1) Deus id concessit *ob bonum publicum,* sed soli auctoritati publicae sive a) in bello iusto *ab illa agendo,* sive b) ad puniendos *ab illa* malefactores, et forsan c) *ob bonum privaimm* singulis hominibus *ad tuendam vitam contra iniustam aggressionem,* quamvis id potius videatur et melius dicatur indirecta occisio (1) : haec enim solum permittitur quia ex actione aeque immediate sequitur effectus bonus compensatorius scii, defensio vel praeservatio invasi;

2) Nullum ius concessit Deus in vitam innocentis, quae proinde nullo in casu directe auferri potest, quia semper est graviter iniustum;

3) Indirecta occisio licita esse potest, si sequatur ex actione legitima quae aeque immediate producit effectum bonum maiorem vel saltem aequalem : id scii, non est directe occidere sed se exponere periculo occidendi.

A fortiori proximus habet ius ad salutem animae, et iniustum est illam impedire.

EX. doctrina de charitate scimus nos teneri magis diligere proximum quoad animam et salutem quam corpus proprium et vitam corporalem; — item magis quoad vitam corporis quam bona temporalia propria, non autem quam vitam nostram. Quamvis licite eam possimus exponere, non quia magis amamus vitam alienam, sed propter bonum virtutis quod est spirituale bonum animae et sic praestat vitae corporali. Hinc :

1) In extremo periculo salutis proximi, sub gravi tenemur ei succurrere cum certo vitae periculo dummodo probabilis sit spes eum iuvandi nec gravius malum timeatur.

2) In gravi periculo salutis proximi, sub gravi succurrendum est ei cum aliquo detrimento in bonis temporalibus sat magno, sed non cum periculo vitae, nisi quis teneatur ex iustitia ratione officii.

(i) Ita explicat S. Thomas, II-II, Qu. 64, a. 7.

3) In extremo periculo vitae proximi, sub gravi tenemur ei succurrere cum notabili detrimento proprio temporali, non autem mediis extraordinariis nec cum periculo vitae propriae.

4) Quamvis non teneamur, licite tamen possumus, charitate id suadente, exponere vitam nostram in gravi periculo salutis alienae, quia haec plus valet quam vita nostra; item in gravi periculo vitae alienae, propter bonum virtutis (gratitudinis, amicitiae, honoris Dei, boni publici), non quia magis aestimamus vitam alienam quam nostram, sed quia praeferri potest bonum virtutis, quod est spirituale, bono vitae propriae quod est corporale.

Hisce principiis muniti, nunc solutionem quaestionum aggredimur.

Quaestio Tertia

DE INCISIONIBUS QUAE LAEDUNT MATREM

I. Incisiones quae laedunt organa non foetus sed matris sunt.

a) sectio caesarea (keizersnede, ita vocata quia sic natus est lulius dictus Caesar i.e. caesus) seu hysterotomia (baarmoedersnede) : consistit in incisione ventris et uteri materni ad extrahendum foetum vivum qui ob arctitudinem matris aut alias causas ut mortem, irreductibilem uteri retroversionem (onherstelbare omkanteling van de baarmoeder), placentam praeviam (1). via naturali edi nequit; (2)

(1) Placenta dicitur *praevia,* cum adhaeret super os internum uteri aut prope hoc os. Hoc evenit, cum ovuhim descendit usque ad os uteri, ibique evolvitur caduca serotina et dein placenta.

(2) Modum faciendi operationem caesaream invenies apud quosdam theologos ut Dens, Theol. Mechlin., Aertnijs, et apud Antonelli, o. *c.,* t. I, n. 446.

b) symphyseotomia (1) (schaamboogdoorsnijding) qua scinditur cartilago (symphysis) quae coniungit duo ossa pubis. Quae operatio fit si impossibilitas partus oritur ex angustia pelvis (bassin, bekkcn), modo tamen arctitudo non sit nimia : ita enim latitudo pelvis augetur ut foetus facilius per eam transire possit;

c) pubiotomia (schaambeendoorsnijding) qua ad eumdem finem secatur unum aut ambo ossa pubis;

d) operationes unitae (2) (vereenigde behandelingen) : est symphyseotomia cum partu praematuro artificiali; sic vitatur operatio caesarea, et mater post paucos dies sanatur.

II. Operationes praedictae non sunt illicitae, nisi fiant in talibus adiunctis in quibus propter debilitatem matris, imperitiam operantis, aut certum periculum infectionis appareant occisivae matris et occisioni aequivaleant. Ait enim S. Thomas (III, Qu. 68, a. 11, ad 3) : « Non sunt facienda mala ut eveniant bona (Rom. IV, 8), et ideo non debet homo occidere matrem (aut infantem) ut baptizet puerum »; unde sectio caeserea est illicita si mortem matris aut infantis quasi necessario secum trahat.

Attamen de facto fere semper est licita, *si fœtus sit vitalis,* (3) et nullo alio modo partus obtineri possit. Olim

(1) Est operatio quam primus adhibuit Dr Sigault (anno 1768); est periculosior quam caesarea : in hac utique sectio est profundior, in illa autem durior; at, in casu particulari, potest tutior aestimari.

(2) Sunt Đ' lacohicci, anno 1867.

(3) Dicitur : « *si foetus sit vitalis* », nam, ut notat De Smet *(De Sacramentis,* n. 316) : « Si infans periclitatur ante partum maturum (7 mens.), ex eo quod mater praegnans usque ad mortem aegrotetur, adeoque timendum sit ne proles cum ipsa moriatur, regulariter est expectanda mors matris, et hac defuncta, exsecandus est foetus e sinu materno... Et quidem : a) vix potest esse quaestio de Baptismo conferendo in utero, tum quia ante partum maturum difficilius penetretur uterus, tum quia ad rite sacramentum ministrandum perforandae essent membranae foetum involventes, quae perforatio incluetabiliter secum duceret

saepe magnum periculum afferebat et medium erat extraordinarium ; hodie propter progressum artis chirurgicae, si fiat a perito, saepe non est valde periculosa nec medium est ita extraordinarium, sed periculum mortis pro matre plerumque includit sat remotum, praesertim si adhibeantur cautiones mediis antisepticis ; — ab imperito autem, v.g. a sacerdote, viva matre fieri non potest. Idem a fortiori est dicendum de incisione minus periculosa (quam vocant operationem caesaream vaginalem) (1) qua scilicet apertura vaginae (moederscheede) extendatur, quae est via naturalis qua infans nascitur.

III. Etiam tenetur mater (per se sub gravi) operationem, etiam sectionis Caesareae, pati si 1) naturaliter parere non possit; 2) iudicio periti non possit infans aliter baptizari; et 3) salus matris et infantis ope sectionis prudenter sperari possit, nam non potest occidi mater nec ipse foetus ut hic, antequam decedat, baptizetur.

Hinc requiritur a) ut foetus sit vitalis (ordinario 7 mensium), secus occideretur, b) mater sit robusta, c) et peritus chirurgus. Tunc enim, ex lege charitatis, debet (sub gravi) praeferre mater salutem aeternam proximi, scii, infantis, bono temporali et vitae.

Unde generatim obligatio matris non existit, quia a) saepius foetus supervivit matri defunctae vel seria adest spes quod supervivat; b) generatim ope instrumenti in utero baptizari potest; c) ad propriam vitam, et a fortiori ad vitam foetus servandam, probabiliter non tenetur mater re-(*i)

effusionem liquoris amnii et foetus immaturi eiectioncm; eiectio autem foetus nondum vitalis constitueret abortum, et videtur graviter illicitum. (Vide tamen infra, II. q. 3, η. IV.) b) Regulariter locus non erit sectioni Caesareae, utpote, quae, supposita matris debilitate, esset mortifera in casu ».

(i) Est operatio IT!* Hubert, qui in Universitate Lovaniensi erat professor. Haec iit, si non ex angustia pelvis, sed ex partium carnearum occlusione aut perversa dispositione, quae aliter vinci nequit, nativitas impediatur.

currere ad medium, quod forsan sit vel saltem adhuc reputetur extraordinarium.

Pro praxi, etiam casu quo teneatur ad incisionem patiendam, generatim prudentia vetat matrem in bona fide versantem monere de gravi obligatione, ob periculum ne forte, negando consensum, moriatur in statu peccati. Ad sectionem tamen hortari eam debent sacerdos, item medicus et propinqui. Medicus obligatur ad illam faciendam, si ab ipso petatur, et tenetur hortari matrem ut illam patiatur, quia ex iustitia debet adhibere media tutiora ad servandam vitam matris et prolis; unde ad hoc officium praestandum, medicum inducat sacerdos.

IV. Muliere praegnante mortua, statim post mortem facienda est operatio caesarea, uti praescribit Rituale Romanum, tit. II, c. I, n. 17 : « Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur ac si vivus fuerit baptizetur ». (Can. 746 § 4; S. Off. 15 febr. 1780). Ut autem vita infantis facilius conservetur, uterus matris defunctae pannis tegendus est, ut calorem retineat; os autem matris aperire, ne infans defectu respirationis pereat, nullius utilitatis est, quia non respirat per matrem.

Ad istam sectionem per se obligantur omnes ex gravi praecepto charitatis, quia omnes tenentur aeternae saluti infantis consulere etiam cum maximis incommodis temporalibus ; et, si fœtus vitalis est, accedit alia ratio conservandi eius vitam temporalem (1). Obligantur autem dummodo 3 adsint conditiones :

(1) « Obligatio, ait De Smet (*De Sacramentis,* n. 313), incipit inde a morte matris moraliter certo cognita, et perseverat usque ad mortem moraliter certam prolis... Quousque autem infantibus vita in utero defunctae matris conservari queat determinari nequit : id multum dependet ab indole morbi ex quo mortua est mater praegnans; sed, non est dubium quod foetus per horam, imo per plures, possit matri supervivere ». In placenta scil., remanet sat magna copia sanguinis, ut ex ea necessaria vitae subsidia assimilare valeat, eo vel maior quod pauca sufficiunt ad tenellam illam vitam sustentandam.

1) mater moraliter certo mortua sit, unde sectio non est facienda nisi post testimonium periti de morte;

2) probabile sit quod fœtus vivat; hinc nullus tenetur ad illam sub graviditatis exordiis (secundo vel tertio mense) quia tunc fœtus fere semper est mortuus, vel saltem valde incertum est an vivens evadet; facienda est tamen quarto mense praesertim si mulier subitanea vel celerrima morte perierit, nisi graves adsint rationes existimandi foetum ante matrem vel cum ipsa esse mortuum;

3) idonei sint et peritiam sufficientem habeant ut sectionem sine fœtus periculo perficere possint; nullus tamen antea tenetur artem seu modurp addiscere, quia ad satisfaciendum praecepto nullus tenetur media adhibere remote scii, quando praeceptum adhuc non urget. Hinc

a) operatio primo incumbit medico, qui inducendus est ad illam faciendam etiamsi dicat prolem iam mortuam, quia hac in re solent levius procedere et ita loqui ne sectionem faciant; et tamen non est dubium quod fœtus per horam, imo per plures possit matri supervivere;

b) quodsi nolit, accedat alius (v. g. obstetrix) ad hoc idoneus; quem de hoc moneat sacerdos, nisi gravissima timeantur incommoda;

c) deficientibus aliis, *non certo* ad hoc tenetur sacerdos, tum propter frequentem imperitiam, tum propter indecentiam, tum praesertim propter periculum scandali et maioris mali ex oblocutionibus, odio et calumniis inimicorum religionis; magis enim vitandum scandalum multorum quam procuranda salus unius infantis (S. Off. 15 feb. 1780; 13 dec. 1899). Hae tamen rationes non valent pro omnibus circumstantiis (v. g. si familia catholica discreta, aut in missionibus, Sinensibus tamen exceptis) ; unde, secundum plures, per se teneretur : hoc, quamvis forsan probabilius sit, tamen non est certum. (1)

(i) Sacerdotem teneri docent multi ut Cangiamila, Debreyne, Th. Mechl., Vering, Konings, Lehmkuhl; negant tamen alii ut Bouvier, Gousset, Marres, Berardi.

V.Casus. Fieri potest quod mulier aut puella illegitime gravida, nemine id sciente, in imminente sit periculo mortis. Iamvero, post 4um praegnationis mensem, fundata adest spes, ex utero matris mortuae, foetum vivum extrahendi. Unde mulieri est gravis obligatio ut rem directe personae cuidam detegat, ut post eius mortem operatio caesarea fieri possit et infans baptizari. Quod praestare potest :

a) Scribendo litteras in quibus declarat se velle ut post eius mortem uterus aperiatur et proles baptizetur, quas litteras subsignatas et occlusas tradat personae fide dignae solum post mortem aperiendas. Sic enim famae suae, in quantum fieri potest, ac saluti prolis providetur.

b) Si scribere non valeat, aut non velit, viva voce rem manifestet personae omnino discretae, quae nonnisi post eius mortem factum revelabit.

c) Ceteris paribus, ad eiusmodi munus prae aliis eligendus est medicus qui fortasse rem sub secreto professionali iam novit, qui aptius famae matris familiaeque providere valet, et qui urgente necessitate statim ad sectionem et baptismum procedere potest; minus apti sunt parentes qui timore infamiae nimio a revelatione forsan abstinebunt.

d) Ipse confessarius nonnisi aegre et loco ultimo onus revelandi in se suscipiat, praesertim si timeat ne exinde sacramentum reddatur odiosum propinquis puellae.

Confessarius autem poenitentem ad hoc inducat suadendo et commendando, non autem tamquam obligatorium imponat, si experiatur id poenitentem certo recusare; tunc enim inutiliter bonam fidem perturbaret, quod de facto non prodesset infanti et matris saluti obesset. Si tamen haec dubitet et de obligatione interroget, confessarius obligationem fateri debet.

VI. Animadversiones. 1) Ad vitandas supradictas incisiones, impediendo conceptionem, saepius fit amputatio, utero-ovarica (operatio Drls Porro) aut *utriusque ovarii,*

quae habetur sine magna haemorrhagia aut suppuratione, et ideo sectioni caesareae dicitur praeferenda. Sed gravis multilatio (1) corporis tantummodo licita est (et quidem supposito consensu matris) ad servandam vitam totius corporis quae ideo aliter servari non potest, quia ipsa pars morbo infecta est, et, ex hoc ipso, etiam praetei' graviditatem, periculum vitae affert; sicut pro brachio et pede. Illicita est si fiat ad nunquam concipiendum; imo etiam (quia non sunt facienda mala ut eveniant bona) ad vitandum periculum novae praegnationis vel novae sectionis caesareae, eo magis quod dubia sit nova praegnatio et periculum adhuc non sit imminens, et operatio caesarea non sit gravissima, praesertim in muliere quae illam iam passa sit, et haec operatio tam gravis sit quam caesarea.

2) Oophorectomia, seu ovosectomia (doorsnijding der eileiders) i. e. resectio (vel ligatio) tubarum oviducti seu canalis ab ovario ducentis ad matricem et ovulum maternum ad eam deferentis, graviter illicita est propter eamdem rationem, utpote gravis mutilatio, nisi in solo casu quo pars gravi aegritudine laboraret et periculum vitae inde constitueret.

3) Idem dicendum est de vasectomia (2) in viro seu resectione vasorum seu canalium deferentium semen ad vesiculas seminales (doorsnijding der zaadleiders), qua semini abrumpitur via ad eiaculationem. Graviter scii, illicita est utpote gravis mutilatio, nisi ratione sanitatis necessaria esset ad bonum corporis, v. g. si pars canalis deferentis esset gangrena infecta; unde non est licita ad ste-

(1) Mutilatio gravis est non solum ratione periculi vel membri dimensionis, sed etiam ratione functionis, v. g. si virtute vel functione magni momenti privat.

(2) De vasectomia utiliter legi possunt *Nouvelle Revue Thcologique* 1910, p. 420; *Revue Ecclésiastique de Liège,* VI, 1910, p. 203; et *Collationes Brugenses,* XVII, 1912, p. 533.

rilitateni aut impotentiam obtinendam (etiamsi forsan posset restitui integritas canalis, quod aliqui affirmant, ac potentia seminandi, quamvis in praxi sit difficile), item ad vitandam prolis multiplicationem vel partum periculosum, imo ad magnam inclinationem vitiosam luxuriae sanandam: membrum enim ex natura sua *immediate* non subordinatur nisi bono corporis, non autem bono animae.

Auctoritas autem publica, cum non habet dominium directum in vitam, libertatem et membra subditorum, non potest ea ab ipsis auferre, nec proinde vasectomiam imponere civibus innocentibus etiam aegrotis ; criminosos ita punire est incongruum, cum non sit punitio apta eo quod operatio sit parum dolorosa; denique hoc medio uti ne noceant aliis vel ne, matrimonium ineundo, morbum haereditate transmittant, non est licitum quia non est utendum malo medio ad bonum finem, et etiam quia non desunt media alia quibus hisce provideri potest v. g. prohibitione legis sub sanctione poenali, reclusione, aut abstinentia matrimonii.

Notari etiam potest matrimonium, in casu vesectomiae perpetuae contractum, esse invalidum propter impedimentum impotentiae; quodsi potentia restitui possit, etiam deberet exigente comparte, sed tunc finis, ab auctoritate intentus iam non obtineretur. — Ceterum bonum corporale non est maximum bonum commune societatis ; ad hoc etiam spectat dignitatem humanam servare, cui omnis species selectionis animalis repugnat.

4) Item illicitum est uti radiis sic dictis X seu a Roentgen, quae intensius maiore cum dosi in ovaria vel testiculos directa, ita sterilitatem possunt producere, non tamen semper efficaciter et cum fructu. Id enim gravis mutilatio censenda est, quippe quae privat functione maioris momenti.

Quaestio Quarta

DE EMBRYOTOMIA SEU DE INCISIONIBUS QUAE LAEDUNT FŒTUM

I. Operationes quae fœtum occidunt et generali nomine embryotomia vocantur (quae est operatio chirurgica qua infans in utero conciditur et concisus per partes extrahitur). consistunt in reductione vel divisione variarum partium fœtus, quae singulae postea paulatim extrahuntur, cum propter nimiam angustiam pelvis vel nimiam magnitudinem capitis, nullo alio modo extractio fœtus est possibilis.

Quae operationes vario modo peraguntur prout fœtus praesentat caput, pelvim aut truncum :

a) craniotomia (verbrijzeling van den schedel), qua perforatur cranium infantis et extrahitur massa cerebralis, quo posito contractiones uterinae minuunt volumen capitis et infans facilius eiicitur aut manu vel instrumento extrahitur; (1)

b) cephalotripsia (samendrukking van het hoofd), qua comprimitur caput infantis donec massa cerebralis et sanguis resistentiam vincit ossium et pellis capitis; (2)

c)cephalotomia (verbrijzeling van het hoofd) qua caput dividitur sensu longitudinis in duas partes;

d) sphenotripsia (σφην, cuneus; wigbeendoorboring) qua perforatur, in pluribus locis, basis capitis;

e) embryulcia, qua separatur caput a trunco (decollatio, onthoofding), vel scinditur pectus aut columna vertebralis per aptos forcipes (embryathlasis, verbrokkeling der vrucht in de moeder), quod locum habet cum fœtus praesentat truncum : tunc enim nequit fieri extractio alio modo et scinditur fœtus in plures partes;

(1) Craniotomia iam cognita erat ab Hippocrate, Cclsio et Medicis Arabicis.

(2) Etiam ab antiqüis erat nota.

f) evisceratio (éventration ; uithaling der ingewanden) qua, post perforationem abdominis aut pectoris, extrahuntur viscera ventris et thoracis; dein, per apta instrumenta, in columnam vertebralem vim mechanicam agentia, flectitur columna vertebralis et fit extractio. Adhibetur quando eiectio, nulla operatione supra indicata, possibilis evadat; et aliter decollatione peracta, reliquum fœtus non potest eiici, quia corpus est ordinario maius, aut iecur et renes sunt nimis evoluti.

II. Embryotoniia sub quacumque forma est intrinsece mala, et omnes praedictae actiones illicitae sunt et iniustae, etiamsi ex una parte infantis saluti provideatur baptizando eum in utero matris, ac ex altera parte nullum sit aliud medium servandi matrem, adeo ut operatione ommissa mater et infans certo perituri sint. Sunt enim semper per se et directe occisivae, cum effectus bonus non procedat aeque immediate, sed solum mediante effectu malo; et ideo mors infantis necessario sit volita ut medium ad salvandam matrem. Ita S. Off. 28 maii 1884 de craniotomia, et 14 augusti 1889 de omni operatione directe occisiva matris vel infantis (1).

(i) Ne mireris S. Off. solum dixisse id *twto doceri non posse,* non autem esse illicitum. Ita enim, quia respondit quaesito : *an tuto doceri potest?* Ceterum postea etiam explicite dixit illicitum *(24* iul. 1895·) — De embryotomia et de abortu conferri possunt : L. Hubert « *De l'avortement médical* », 1852; Capei-LMann « *De Occisione foetus »,* 1875 ; Eschbach *«L'embryotomie au point de vue théologique et moral·»,* 1876: Illustr. Dorn. Waffelaert in « *Nouvelle Revue Théologique,* 'f. XVI et XVII ; E. Hubert. « *Discussio»! sur le féticide* », (Annales de la Société Scientifique 1902-1903) ; VekmeerSCH, « *Discussion sur le féticide médical* », (Annales de la Société Scientifique, 1902-1903); Treub, Van Oppenraay en Vlaming, « *Het levensrecht der ongeboren vrucht ».* 1901 ; Van Gennep. « *Over medischen abortus ».* 1916: Meuleman, « *Het levensrecht der geboren vrucht », 1917;* Daels, *« Het Bakersboek* », 1919; *« Moeder en Kind »;* Salsmans, « *Genees-kundige plichteiricer ».* 1920; *Dictionnaire Apolog. de la Foi cathol.* art. *« Féticide »; Dictionnaire de Théologie Catholique* art. *« Em-*

Obiiciunt (1) : 1° Infans matri est causa mortis, ac proinde iniustus aggressor.

Resp. : a) Non *iniustus,* quia sine ullo actu et voluntate ibi est ut in loco sibi proprio et passive se habet, sed utens iure suo, nonnisi naturali cursu rerum matri fit causa mortis (sicut homo peste infectus potest esse mortis causa) ; non *aggressor,* quia ordinario difficultas partûs provenit ex matre (ob angustiam pelvis), et periculum est ex uteri actione quae, licet non sit voluntaria, est tamen matris. Cum igitur ex voluntate matris fœtus sit, cum expulsio sit actio matris, cum maiores difficultates ex matre, infans non est aggressor, sed potius mater. Sed, etiamsi infans diceretur aggressor, non tamen obiective iniustus.

2° In collisione iurium ius matris est prius et validius ; et ideo infans censetur (imo rationabiliter tenetur) cedere iuri suo.

Resp. : Cum homo sit sui iuris, persona et vita humana ordinantur ad finem proprium, et non subordinantur tamquam medium vitae alterius; et ideo a) numquam licita est directa attentatio contra vitam innocentis, nunquam ius unius ita praevalet ut, ad illius bonum obtinendum, licita evadat occisio innocentis; b) quamvis indirecte possit aliquis cedere iuri vitae suae in quantum se exponit mortis periculo, non tamen potest directe cedere ius ad vitam, cum non sit dominus vitae suae, et nunquam directam sui occisionem permittere queat. Non magis itaque dari potest ius occidendi infantem ad salvandam mulierem, quam occidendi mulierem ad salvandum infantem.

3° Non est occisio, sed sola acceleratio mortis certo secuturae, et exigua abbreviatio vitae.

bryotomie »; Cathol. Encycl., art. « *Abortion* » (Coppens). Item manualia *Theologiae Moralis,* uti Noldin, Tanquerey, Prümmer et Vermeersch.

(1) Cfr. Prümmer, Th. Mor., t. II, n. 134. — Olim quidam theologi ut Ballerini, Avaneini, et Constantini pro liceitate feticidii steterunt.

Resp. : Acceleratio indirecta (ex causa quae alium effectum per se et immediate producit, dum iste per accidens sequatur et mere permittatur) potest esse licita; sed, in se et directe volita mortis acceleratio est vera occisio; directa occisio autem est illicita, etsi sola sit acceleratio mortis certo secuturae, sicut illicitum est occidere vulneratum ut citius a doloribus liberetur.

4° Inter duo mala minus est eligendum; mors autem solius infantis minus est malum quam mors matris et infantis.

Resp.: Evitandum est maius malum, si fieri possit sine actione intrinsece mala; sed illicitum est illud vitare per actionem intrinsece malam; nam non sunt facienda mala ut eveniant bona, nec ad salvandum mundum totum. Finis non justificat media; et ideo non videndum est ad quid actio ultimo terminetur sed imprimis quid immediate agatur. Quod in casu est intrinsece malum, et ideo maius malum (utpote morale) potius vitandum quam malum physicum mortis. — Ceterum, ut et ipsi celebriores medici hodie fatentur, fere semper possibile est matrem salvare, cum rarissime fiat ut embryotomia ad hoc sit medium unicum; nam frequenter ipsa sectio caesarea, vel symphyseotomia, vel operationes unitae sunt possibiles (1).

(i) Ita, v. g. Dr Pinard, prof. Parisiensis : « Devoir sacrifier l'enfant pour sauver la mère, est un cas imaginaire; jamais l'accoucheur ne se trouve devant une si poignante alternative », citatus in *Bull, von den Bond tegen de ontvolking,* 1913; item, Dr E. Hubert, *Le devoir du médecin;* item. Murphy, « *Britisch medical Journal* », 25 aug. 1893; Treub, « *Aertzliche Rundschau* », 1900; item, Dr Guermonprez 'apud Eschbach, p. 389) : « Tuer le fétus sous prétexte de favoriser l'accouchement, c'est méconnaître les ressources certaines de la chirurgie obstétricale moderne; c'est être arriéré », et Dr Franck : « Die wissenschaftlichen Methoden hatten sich so entwickelt, das die Rettung des kindlichcn Lebens auch die beste Methode zur Rettung des mütterlichen Lebens ist » *(Schutsengel oder IVürgengel?,* Kôln, 1922).

III. Animadversiones. 1. Illicita est embryotomia, etiamsi solum probabile sit et verisimile quod foetus adhuc vivat (1), quia se exponere periculo mere probabili occidendi innocentem etiam iustitia vetat.

2. Medicus qui in casu particulari embryotomiam est facturus non est monendus a sacerdote, si non speretur fructus; — at, étiam non sperato fructu, monendus est si frequenter ita agat et scandalum sit fidelibus, aut si non sit in bona fide, ut si sacerdotem de hoc interroget, aut quando silentium sacerdotis aequivaleret approbationi. Mater, si sit in bona fide, ex prudentia *hic et nunc* non moneatur de gravitate suae obligationis ne, consensum negando, moriatur in statu peccati. Idem valet de procuratione abortûs.

3. Casu quo caesaream vel aliquam similem operationem subire mater non velit aut non possit, nihil remanet nisi mortem eius expectare; et tunc facere operationem caesaream ad baptizandum foetum si possibilitas sit quod foetus vivat.

Quaestio Quinta

DE PROCURATIONE ABORTUS.

I. Procuratio abortus (2) (kunstmatige vruchtafdriving) est artificialis ex utero matris eiectio fœtus immaturi qui ita vivere nequit, seu fœtus vitae uterinae capacis et vitae extrauterinae incapacis.

Fructus debet esse vitae uterinae capax; unde a) fœtus mortuus potest eiici : non est abortus sed legitima mulieris exoneratio; b) fœtus ex morbida causa, v. g. per rupturam uteri aut sanguinem in utero immissum, a sua cum utero coniunctione seiunctus potest expelli : est abortus

(1) Non dicimus : quod obtineatur foetus qui vivet et vivere pergat: talis enim formula esset aequivoca et posset male intelligi.

(2) Cfr. Eschbach, *Disp. Phys.-Theol.,* disp. 2, p. 2, c. I, art. 1.

iam habiti sequela et remedium. Per accidens enim ita seiunctus vel occisus in utero manet. Unde, in definitione abortus, eiectio non tam intelligitur de externa eiectione quam de fœtus avulsione et separatione ab utero materno antequam sit vitalis.

Procuratio autem abortus distinguitur duplex (1) :

1) directa, si media adhibeantur quae immediate et per se occidunt fœtum vel expellunt, licet ulterius et mediate effectum bonum procurent;

2) indirecta, si media adhibeantur quae immediate et per se ordinata sunt ad effectum bonum v. g. sanitatem matris, quamvis etiam praeter intentionem aut per accidens possint simul expellere fœtum.

II. Abortus provocatur inductione contractionum in involucris muscularibus uteri, quae fœtum eiicere valeant. Causae id efficere valentes multae sunt; quarum

a) aliquae *in totum corpus directe* agunt, reflexe vero in uterum, ut helleborus, segala cornuta (seigle ergoté, brandige of bedorven rogge), venae sectiones, balnea nimis calida, lavare pedes in aqua frigida aut sale et sinape condita, etc. quibus causatur fibrorum relaxatio, qua fit ut fœtus suo pondere pressus praemature nascatur;

b) aliae tantum locales sunt quae cum fortius et *directe in uterum* actionem habeant, eiectionem certiorem inducunt. Tales sunt incisio amnii aut perforatio membranarum fœtus qua fit ut, subtracto humore in quo fœtus natat, ibi vivere diu nequeat sed necessario eiiciatur; dilatatio intrauterina; occlusio vaginae; vis electrica per uterum transmissa quae fœtum enecet, etc.

c) aliae *indirectae,* uti ventris compressiones, percussiones, vehemens pavor, omnesque causae physicae vel morales quae magnam exaltationem nerveam in muliere

(i) Non semper recte et clare definiuntur abortus directus et indirectus. Inde, aequivocationes et obscuritas ac incertitude in doctrina.

afferunt, ex qua oriuntur contractiones uterinae. Item nonnullae potiones medicae expulsivae, iniectiones subcutaneae morphii, certae iniectiones in vaginam, etiam masturbatio, copula nimis frequens, causae provocantes inflammationem vulvae, delatio vestium uterum nimis arctantium, etc.

III. Abortus directe procuratus, quacumque via obtineatur, est illicitus, utpote intrinsece malus et iniustus; etiamsi fœtus alias certo sit moriturus, nunc autem saluti eius provideatur cum baptizari possit, et nullum aliud sit medium ad salvandam matrem. (1) Ratio est quia nihil immediate producit nisi separationem fœtus a matre et sic mortem directe affert fœtui qui est homo vel via ad hominem; unde est directa occisio hominis vel ipsi aequivalet. Et ideo in casu applicanda sunt principia quae de occisione hominis valent. Abortus scii, fœtum privat officio placentae qua matri adhaeret et nutrimentum sanguinisque purgationem accipit; atque haec duo sunt ad vitam fœtui omnino necessaria; ergo fœtum talibus rebus privare est vere illum occidere, sicut hominem fame interficere. Ita respondit S. Off. 14 Aug. 1889; 24 Jul. 1895 et 4 Mail 1898 (2).

Obiiciunt : Non est occisio sed cessatio a conservatione fœtus qua mater illum e sinu elabi sinat et ita perire per-

ii) Unde, non solus abortus qui solet haberi *criminosus,* ad finem non legitimum procuratus, v. g. ad infamiam aut incommoda gestationis vitanda, est illicitus; verum etiam ille qui dicitur *medicalis.* Medici illum adhibent ad matrem salvandam : i) quando advertunt matrem propter arctitudinem infantem edere non posse, ipsam a sectione Caesarea abhorrere, ac partus accelerationem esse impossibilem (abortus *praeventivus);* 2) quando praevident matrem aegrotam, v. g. phtisi pulmonari, ob ipsam praegnationem valde probabiliter aut certo morituram nisi foetus expellatur; aut alia dc causa ex praesentia foetus vita matris periclitatur, v. g. ob vomitus incoercibilcs (abortus *repressivus).*

(2) Ante decisiones romanas, quidam theologi, ut Ballerini et Lehmkuhl, in quibusdam casibus benignius considerabant abortum.

mittat; mater autem non tenetur prolem cum iactura vitae conservare.

Resp. : Non est mera cessatio seu omissio qua indirecte permittitur seu non impeditur quod fœtus non conservetur (eodem modo ac si in abortu spontaneo natura cessat a fœtu conservando) ; sed est actio positiva mortifera quae conservationem fœtus a natura abrumpit et impedit, et violenta perturbatio conditionis naturalis : est positive agere ut separetur fœtus a matre et sic in statu necessariae mortis ponatur. Unde mors non tantum permittitur sed directe procuratur, et ideo actio est directe occisiva et intrinsece mala.

IV. Abortus indirecte procuratus generatim illicitus est; aliquando tamen potest esse licitus ex causa proportionate gravi. Unde licitus est vel illicitus secundum diversas circumstantias.

A. Illicitus est *vel* 1) si quis intendat ipsam eiectionem fœtus in se, sive ut finem sive ut medium ad procurandum effectum bonum;

vel 2) si non adsit iusta causa proportionata v. g. si aliud medium sufficiens sit ad bonum effectum procurandum, aut si non omnia adhibeantur ad abortum impediendum, aut si effectus bonus non aequivaleat malo;

vel 3) si effectus bonus procuretur mediante malo, i. e. non immediate a medio adhibito, sed ab eiectione fœtus et cessatione praegnationis. Tunc autem non indirectus sed directus fit abortus : abortus esset remedium ex quo proveniret salus matris et directe eligeretur tanquam medium, v. g. ut ipsa praeservaretur vomitu, mediante abortu.

B. Licitus esse potest ex iusta causa, si *simul* verificentur conditiones sequentes :

1) media adhibita sint in se bona vel indifferentia,

2) effectus bonus, et non malus, sit in se volitus,

3) effectus bonus compenset damna effectus mali, unde omnino illicitus est abortus si baptismum infantis impediret vel et iste privaretur rationabili spe suscipiendi hoc sacramentum; et ideo semper necesse est ut meliori modo provideatur baptismo (1),

4) effectus bonus immediate causetur et non mediante effectu malo; unde media per se et directe curent morbum matris aut ab illa avertant periculum, non mediate per abortum,

5) non sit aliud medium obtinendi effectum bonum,

6) cautiones omnes adhibeantur ad impediendum effectum malum in quantum sit possibile, et ideo ne fiat plus quam necesse sit ad salvandam matrem.

Uno verbo : si fiat propter iustam causam bonam proportionatam, et omnis cura adhibeatur ut vitetur abortus quantum fieri possit.

V. Corollaria. Ex praedictis intelligitur :

1° Generatim licitum esse medicamenta adhibere ad salvandam vitam matris necessaria et apta (quae scii, directe et immediate tendunt in morbi curationem etiamsi nulla sit graviditas), quamvis experientia constaret eadem abortum efficere posse, at non necessario sed aliquando et per accidens: vita probabilis vel certa matris aequivalet periculo *probabili* infantis. Huc pertinent potiones, sed in ea quantitate quae ad alios morbos sanandos requiritur, balnea, venae sectiones, iniectiones in vaginam, iniectiones subcutaneae etc. Illicitum tamen est si, adhibito remedio, Baptismus prolis fiat impossibilis, dum alias ipsi matri superviveret et baptizari posset : tenetur enim ma-

ti) Raro tamen accidit ut abortus impediat Baptismum : fere semper enim foetus, in casu perplexo, ante matrem morietur, ita ut baptizari non possit; secus plerumque infans baptizari poterit in utero, vel abortu secuto.

ter vitam aeternam prolis praeferre vitae suae temporali (1);

2° Illicitum esse si malum matris sit grave sed non mortale, nisi medicamentum sit remedium necessarium *et* periculum abortus valde remotum et leve vel fœtus certo moliturus : probabile vel certum bonum notabile matris compensat periculum *possibile* fœtus;

3° Item illicitum esse abortum procurare ad vitandam infamiam vel aliud grave incommodum temporale (prop, damn. 34 Inn. XI) (2), tum quia effectus bonus non proportionatur malo, tum quia mediante malo obtinetur;

4° Item illicitum esse propter quandam veneni infectionem, aut cordis vel pulmonis morbum, aut alias non cessaturum vomitum, quia effectus bonus mediante malo procuratur, scii, cessatione praegnationis. Ceterum hodie tale medium non est necessarium, quia rarissime est unicum;

5° Illicitam esse fractionem membranarum et liquoris amnii evacuationem, quia effectus bonus obtinetur mediante malo scii, nocumento fœtus; etiam, ut videtur, in casu quo uterus gravidus nequeat reponi in abdomine nimis arcto (3). Pro hoc casu quidam unicam exceptionem fecerunt,

(1) < Etiam in morbo lethali non licet praebere matri tale remedium, si adhibito remedio, proles, non solum vita temporali, sed etiam aeterna privatur; contra, non adhibito remedio, certa quidem est mors matris, sed ex alia parte certa est etiam salus prolis, quae matri supervictura baptizari potest : tenetur enim mater vitam aeternam prolis praeferre vitae suae temporali. Ordinarie tamen,, proles ante matrem decedit, adeo ut baptizari non possit, etsi mater perire sinatur >. Noldin, Th. Mor., Π, η. 343> 2.

(2) « Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur >.

(3) Aliter esset dicendum, si punctio, ope siphunculi aut instrumenti iniectionis, fieri posset omnino tenuis, ita ut non necessario fractionem amnii et eiectionem foetus secum traheret. Quod, teste P. Salsmans, eximii quidam medici existimant possibile. Sed *practice* nonne adest periculum ampliandi punctionem et fractionem provocandi? Et tunc illicitum est, quia foetum exponit periculo mortis.

quia, dicebant, periculum non est in praegnatione sed in dilatatione uteri; haec aufertur ita ut uterus reponi possit in loco suo, ac periculum mortis averti, et id ante abortum; non igitur ipsa expulsio eligitur ut medium necessarium ad periculum matris avertendum (1). — Sed contra est : ipsa dilatatio uteri est ex graviditate; aufertur autem mediante ablatione liquoris necessarii ad vitam fœtus; ergo ipse effectus malus videtur praecedere (2). Est autem casus rarissimus;

6° Licitam esse excisionem uteri gravidi qui corruptione inficitur, aut in quo generantur tumores qui aliquando ita crescunt ut inducant periculum vitae matris *(myoma):* periculum enim non est ex praegnatione, et non avertitur huius cessatione, sed ex ipsa excisione uteri quae etiam fieret si nulla esset graviditas; unde effectus bonus sequitur immediate;

7° Licitum esse eiicere foetum mortuum : non enim est abortus, sed legitima purificatio; mors autem non debet praesumi, sed probari;

8° E contra, illicitum esse directe eiicere fœtum verisimiliter vivum sed corruptum, quidquid aliqui dicant; quia est directe accelerare eiusdem mortem; unde effectus bonus sequitur mediante malo. Nec potest fœtus reputari iniustus aggressor, cum nihil velit nec agat, sed mere passive se habeat. Casus tamen est potius fictitius, quia fœtus corruptus ordinarie est mortuus vel brevi moriturus;

9° *Probabiliter* tamen licitum esse peragere purificationem uteri et ablationem omnium quae illi insunt (etiam fœtus si adsit), si imminens sit periculum haemorrhagiae et infectionis simul cum febri pro matre (3), dummodo istud

(1) Ita etiam Ill. Waffelaert post Capellmann; e contra De Smet, Vermeersch et alii.

(2) Etiam in extrema necessitate illicitum est privare alterum bono quo absolute indiget

(3) Est casus quo os uteri late est apertum, et graviditas irreparbiliter est turbata, ita ut abortus brevi sit secuturus.

periculum non unice oriatur ex ipsa graviditate vel fœtus conditione. Operatio enim fieret etiam extra praegnationem, et efficit immediate non solam ablationem fœtus, sed purgationem uteri removendo quidquid contineat, v. g. molam vel involucrum mucosum (vliezige omhulsels).

VI. Animadversiones, 1a « In praxi non semper facile est discernere, num actio quaedam medica sit directa an indirecta occisio fœtus. Sit haec regula : Si ex tali actione aut pharmaco, *directe* attingitur fœtus, dicenda videtur directa procuratio, v. *g.* incisio amnii, quae est hodie maxime usitatus modus procurandi abortum. Sin autem ex tali actione aut pharmaco oritur quidem periculum plus minusve magnum abortus, videtur esse tantum indirecta procuratio ». (Priimmer, Theol. Moralis II, n. 141).

2a. Adest obligatio, imprimis matri, sed et omnibus aliis, sedulo vitandi causas, occasiones et pericula abortus quae frequentissima sunt, primis praesertim a conceptione temporibus, idque non tantum ut fœtus corporaliter et spiritualité!' salvetur, sed ob matrem; quia abortus non caret periculo pro ea. Unde graviter peccant :

a) saltem prava intentione, mulieres quae, se gravidas existimantes, variis modis menstruationem iterum provocant et abortum attentant, v. g. potiones expulsivas aut fœtui nocivas sumendo, pedes in aqua frigida lavando vel sale aut sinape condita, excessive saltando, ventrem comprimendo aut valide percutiendo, etc. ;

b) item quae gravi imprudentia periculum abortûs proximum variis modis ponunt aut diligentia ordinaria non vitant, v. g. durum laborem exercendo, gravia pondera portando aut alleviando, itineribus peditus arripiendis, vectione in curru, aut in via ferrea longiori itinere, vehementi laetitiae, tristitiae vel irae passioni indulgendo, equitando, pedibus movendo machinam ad suendum, excessive

sumendo liquorem spirituosum primis mensibus, etc. (1). Ne igitur in magno hominum concursu, apud militum exercitationes, in theatris, in circis adesse velint;

c) item graviter rei sunt qui percutiunt vel terrificant mulierem praegnantem ita ut abortus sequi possit;

d) item maritus, medicus, obstetrix, qui etiam rogati conantur abortum procurare aut consulunt illa quae verisimiliter illum inducunt, aut media ad hoc afferunt. Speciatim medicus, in curanda foemina gravida, tenetur quantum possibile est vitare ea quae possunt abortum procurare, ac ipsam docere necessarias ad hoc cautiones v. g. quoad itinera, occupationes, usum ciborum, etc. Medico, a quo petitur medicamentum abortivum, illicitum est et indignum fictum et innocuum tribuere, tum quia est deceptio, tum quia ipse partes gerit approbantis et coopérants. Ceteroquin raro taiis modus agendi est efficax, cum facile alia media quaerantur. Potius aversionem suam pro abortu ostendat ac periculum pro matre ; insuper assignet media honesta se subtrahendi infamiae;

e) item pharmacopolis, vendere media abortiva non est licitum, nisi verisimile sit quod quaerantur propter bonum usum, v. g. quia medicus probus ea praescribit.

3a. Fœminae ex delicto gravidae, sicut viri qui fornicati sunt, plerumque caute interrogandi sunt, in confessione, de abortus tentamine.

(i) Notat Genicot (Th. Mor.. I, η. 378): *Quoad factum* « si deficiat prava intentio, non facile sunt de gravi peccato arguendae, quia saepe constare nequit num actiones ponendae gravem influxum in abortum inducendum exercere valent... l'lurcs enim causae, ut violentae animi commotiones, ventris percussio, nimia defatigatio, vectio in curru, etc. saepe nihil efficiunt etiamsi crebro et de industria adhibeantur. E contra. quandoque minimae causae ut modici oneris delatio, balnea nimis calida, etc. abortum inducunt, praesertim in mulieribus valde excitabilibus, quales solent esse oppidanae. » — Verum est; sed conclusio est falsa; se exponere soli periculo probabili abortus iam enim grave peccatum est.

4a. Sicut ovum fœcundum expellere est illicitum, ita et semen ante conceptionem; non tantum pro muliere quae sciens et volens copulam habuit, quia id fini naturali copulae directe adversatur, sed etiam, ut videtur, pro illa quae vi dolo,ve oppressa fuit. Homo enim non habet dominium in semen, et maior est iniuria contra generationem humanam et bonum commune expellere semen a sede sua finali a natura ad hoc destinata, quam procurare pollutionem qua expellitur a sede sua instrumentaria. Potest tamen et debet mulier oppressa se vertere ac omni modo copulam impedire et abrumpere ne semen recipiat, quamvis illud sit effundendum, quia ius et obligationem habet copulam impediendi et effusio seminis soli malitiae viri adscribenda sit. Certum est, ait S. Alphonsus (Th. M. l. IV, n. 394. q. 1.), « esse licitum feminae invasae repellere semen, ne immittatur; non autem eiicere, si iam sit immissum. » (1)

Quidam auctores tamen dicunt in hoc casu, immediate post copulam, antequam conceptio facta fuerit, semen se habere ad modum iniusti aggressoris, quem licitum est repellere. Id verum est durante aggressione, scii, actione copulae, non autem copula finita, quia tunc aggressio cessavit et semen iam est in loco proprio (2) ; copula autem iam finitur ipsa introductione seminis in vaginam (et non ipsa fœcundatione (3), ut adversarii supponunt) quia, semine eiaculato, cessat opus hominis et incipit opus naturae (quod abrumpere est illicitum), quo fit ut semen emissum naturali sua propensione sicut et corporis muliebris attractione profundius organa feminae penetret ad fœcundationem.

(1) Item, l. VI, n. 954, dub. 1; H. A. tr. 18, n. 50. Etiam consuli possunt Lebsius, Marc et Aertnijs.

(2) Alias et licitum foret expellere post conceptionem, quia adhuc esset magis aggressor.

(3) Secus impossibilitas generandi faceret non solum sterilem, sed impotentem, ac matrimonium invalidum redderet.

Illicitum igitui· est quascumque lotiones et iniectiones vaginales facere primis horis post copulam, quia nulla adest ratio illas tunc faciendi; nisi generationem praeveniendi et impediendi causa. Et ceteroquin parva ratio v. g. sanguinis affluxus cum pruritu non sufficit, quia non est proportionata.

VII. Monitum. Tria sunt principia doctrinae moralis catholicae omnino in tuto ponenda : primum, nunquam licitum esse facere malum ad procurandum bonum; — secundum, foetum (et amnion) non esse partem matris, nec proinde ordinari ad bonum matris, eo modo quo pars ordinatur ad bonum totius; sed, contra, potius matrem ordinari ad bonum fœtus ; — tertium, hominem non habere dominium in semen aut in fœtum, nec proinde actionem directe nocivam in illa exercere posse. A quibus principiis qui etiam in minimo recederet, in pravissimas consequentias proiiceretur.

Quaestio Sexta

DE PARTU PRAEMATURO ARTIFICIALI.

I. Acceleratio partus est artificialis ex utero matris eiectio fœtus non plene maturi sed iam vitalis, ita ut extra uterum vivere possit.

Non est illicita si fiat iustis de causis ac eo tempore et modis quibus, ex ordinario contingentibus, matris et fœtus vitae consulatur (S. Off. 4 maii 1898). Ratio est quia ex una parte non est occisio infantis cum iste vivere possit, sed solum adest aliquod periculum pro matre et prole, at non ita imminens; ex altera parte parvum periculum vitae fœtus subire cogitur propter graves rationes compensatorias.

Illicita tamen est si fiat sine ratione sufficiente, cum cursum naturae temerario abrumpere et periculum aliquod incurrere non est licitum nisi ad matrem vel prolem

e maiori periculo praeservandam; infans autem extractus est debilis, et ideo partus non caret aliquo periculo pro ipsius vita. Hinc quo periculum matris sit minus grave, eo maior requiritur probabilitas aut quasi moralis certitudo quod infans vivere perget. Et quo gravius sit periculum pro fœtu ex prolongatione gestationis, tanto facilius potest accelerari partus aut alia operatio institui v. g. sectionis caesareae.

II. In praxi partus artificialis licitus est in triplici casu :

1) quoties praevidetur proles, si ad terminum normalem perveniat, naturaliter nasci non posse ob angustiam matris, quia tunc erit in periculo maiori;

2) quoties grave periculum vitae matris vel prolis instat, nisi accelerato partu fœtus educatur, quia tunc periculum matius avertendum est maius quam periculum cui ex partu accelerato exponitur infans;

3) quoties fœtus praevidetur secus sine Baptismo moriturus, quia praevalet bonum animae.

Expectandum tamen est, quantum fieri potest, inspectis periculo et adiunctis, ita ut vitae infantis, quantum possibile sit, provideatur. Hinc (1)

a) in angustiis pelvis, tempore gravis morbi, cum fœtus sit hydrocephalus, procuratio partus praematuri circa 7 vel 8 mensem licita est, quia hoc tantum modo provideri potest vitae matris et infantis, et diuturnior gestatio exponeret utrumque maiori periculo;

b) item in casu tuberculosis vel phthysis valde gravis pulmonum, si periculum grave mortis adsit utrique : partus enim tendit ad minuendos dolores matris et ad servandum fœtum (2);

(1) Cfr. Antonelli, *o. c.*, t. I, n. 448.

(2) Ita secundum doctrinam hucusque generatim admissam. Nunc autem quidam medici, in casu tuberculosis, praegnationem dicunt non nocivam.

c) si incôrtum sit an foetus possit vivere, expectandum est, nisi mater graviter aegrota expectare non possit ob imminens periculum vitae : tunc enim licita erit acceleratio, dum *vera probabilitas* adsit quod possit foetus vivere, quia nullum aliud medium est providendi vitae utriusque et ad avertendum damnum *certum* matris potest fœtus exponi *probabili* periculo.

III. Etiam obligatur mater, si nulla alia sit via matri et proli consulendi. Non adest obligatio tamen 1) si Baptismus in utero matris conferri possit; 2) si mater sit robusta et velit subire operationem caesaream.

Quaestio Septima.

DE FŒTIBUS ECTOPICIS SEU EXTRAUTERINIS.

I. Praegnatio extrauterina a multis medicis tractatur ut tumor ac proinde statim per laparotomiam extirpanda aestimatur cystis, vel fœtus interimendus fluido electrico aut iniectione morphii. Non recte, quia si fœtus ibi sit, vita eius secundum legem iustitiae, quantum fieri potest, est protegenda. Hinc

1) si mulier prae se ferat tumorem internum cuius natura nosci non potest, opus est, imprimis medicum nihil agere et expectare tempus quo facilius dignoscetur. (1) Quodsi sit fœtus, expectandum est tempus quo sit vitalis ad operationem laparotomiae faciendam (S. Off. 4 maii 1898), secus enim sine ulla causa necessitatis, operatio tenderet in damnum fœtus.

2) Si expectando tempus quo fœtus sit vitalis, valde timeatur periculum vitae matris, et praesentia fœtus nondum noscatur per pulsationem cordis, forsan *probabiliter*

(i) A quinto mense ,ope stcthoscopii, ordinarie percipi potest pulsatio cordis.

licita videri potest laparotomia, quia solum leviter probabilis et valde dubia est praesentia fœtus, et certum periculum matris. Unde cystis forsan potest considerari ut tumor, et tunc non intenditur directe occidere fœtum, sed directe tumorem auferre, ex quo sequitur directe cessatio periculi matris et postea mors infantis, si tamen existât (1).

3) E contra si existentia fœtus etiam sit tantum vere et solide probabilis, illicitum est agere in cystim fluido electrico vel morphinica iniectione, quia hisce operationibus directe et per se sequitur certa mors infantis (et per illam salus matris), et nullum levamen directe praebetur matri etiam si non esset nisi tumor. Insuper Baptismus infantis redditur impossibilis.

4) Si praesentia fœtus vivi sit certa et ruptio cystis sit proxima, adducens mortem utriusque, licita est excisio cystis si adsit spes servandi fœtum quia vitalis vel probabiliter vitalis; secus illicita. In primo casu immediate sequitur effectus bonus : repellere periculum matris, et indirecte potest perire infans; in altero casu directe occiditur infans et mediate avertitur periculum matris. Ita S. Off. 5 maii 1902 de fœtu, non exacto 6° mense, applicans decretum 4 maii 1898.

5) Aliter dici posset si aliquod organum matris foret corruptum vel tumor a fœtu independens et ex eo non formatus matri periculum afferret; ista directe possent auferri etiamsi per accidens simul indirecte secum traherent eiectionem fœtus. Quo casu Baptisma statim esset conferendum foetui cum iste cito moriatur.

II. Corollaria. 1. Itaque idem principium valet de fœtibus ectopicis et de aliis.

(i) Ita v. gr. Genicot et Noldin; item Antonelli, qui id habet eo magis licitum, quod in praegnationibus ectopicis ordinarie foetus moritur priusquam propriam evolutionem assequatur, aut non est capax vivendi cum cystis rumpitur (o. *c.,* t. I, n. 453).

2. Nec fœtus ectopicus considerari potest ut iniustus aggressor; non aggressor, quia nil facit : non enim agit in matrem, sed a matre agitur; non iniustus, quia tramites iuris non praetergreditur. Unde non magis aggressor quam fœtus uterinus qui in lucem edi nequit.

3. Quod principium iam consecratur responsis supra indicatis S. Off.; unde non valemus intelligere quomodo theologi quidam adhuc haesitantes manserint aut locuti sint benignius aut aequivoce. Dixerunt v. g. excisionem solum prohiberi extra praesentem matris necessitatem, aut quando aequivalet directae occisioni; at, generali regula, etiam « cogente necessitate », prohibetur « nisi foetus et matris vitae serio et opportune provideatur », quia alias praecise aequivalet occisioni directae. Alii licitam dixerant, ad salvandam matrem, dummodo spes sit *levissima* salvandi fœtum; sed, quomodo id componitur cum decreto affirmante nullam extractionem licitam esse, « nisi perficiatur tempore et modis quibus, *ex ordinarie contingentibus,* matris ac fœtus vitae consulatur»? Nil mirum itaque si recentius sermo iam ceperit fieri rigorosior.

4. Hinc etiam eaedem regulae ac illae quae valent pro fœtu certo vivente, aequaliter sunt applicandae fœtui probabiliter vivo; nec in casu teneri potest principium ius certum matris praevalere iuri probabili infantis (1), uti posuit Génicot in primis editionibus (Th. M. I, 376), ac repetit Noldin nec approbans nec improbans (Th. M. II, 341)), cui etiam aliquatenus indulget Prammer (Th. M. II. 136). Illicitum nempe est se exponere etiam probabili periculo occidendi; unde in nova editione (decima) operis Patris Génicot id iam deletum fuit ac mutatum.

(i) Principium recte applicatur quando certa conservatio vitae in matre et probabile periculum vitae pro infante aeque immediate, ut duplex effectus, oriuntur ex eadem actione seu positione eiusdem causae ; in praesenti non valet quia periculum inductum vitae infantis esset medium servandi vitam matris, id quo mediante matri consuleretur.

5. Item, in praegnatione extrauterina, propter positionem abnormalem matri nocivam, saccus fœtalis nequit aequiparari organo corrupto aut tumori lethali qui possit auferri, etsi foetum contineat; eodem modo ac de utero morbido diximus. Id quidem docet P. Salsmans, post Lehmkuhl et Antonelli; sed ultimus in altera editione (1906) sententiam mutavit. Et recte, nam si verum esset, fere semper licitum foret ita excidere, quod cum responsis romanis non congruit. Nec saccus fœtalis haberi potest ut tumor vel organum aegrotum matris, sed est aliquid fœtus. Unde id solummodo ut licitum defendi potest, si alii sint veri tumores lethales cum fœtu coniuncti, aut verus tumor qui a fœtu non proveniret sed in quo fœtus forte inveniretur cum involucris suis; ut alii rectius dicunt. (1)

III. Animadversio. In statuendis regulis indicatis, sicut in omnibus anterioribus, altum oportet tenere principium : vitam humanam esse quasi sacram quam directe auferre non licet, et cui, sive sit fœtus, sive sit matris, quantum possibile sit serio est consulendum. Ecclesia, historia testatur, semper tuita est vitam humanam ; et sicut olim contra tyrannicam patrum aut dominorum crudelitatem protexit vitam infantis aut servi, ita nunc vitam fœtus contra crudelem sensualitatem saeculi nostri et laxiores theologos.

(i) Ita Capellmakn-Bergmann, *o. c.,* (ed. i8) ; et in eodem sensu intelligimus ea quae habent Aertnijs-Damen, Th. Mor., I, 583 ; et Prümmer, Th. Mon, II, 146.

11. Quæstiones embryologicæ quæ respectum dicunt ad ministrationem Baptismatis.

Quaestio Prima

DE MATERIA BAPTISMI

Principia theologica.

L Tria requiruntur ad validitatem Baptismi : 1) ministri intentio, saltem virtualis, faciendi quod facit Ecclesia; 2) valida materia et forma simul positae; 3) subiectum capax, ad quod requiritur in adulto intentio saltem habitualis recipiendi sacramentum. Quod si unum ex his dubie adsit vel adfuerit, Baptismus, sicut in casu necessitatis conferendus, ita et renovandus est : *sub conditione.*

Circa quae, nulla, relate ad praesentes de embryologia quaestiones, occurrit specialis difficultas, nisi tamen pro *materia* sacramenti, de qua proinde speciatim dicemus. Ut autem expositio sit completior et ex omni parte perfectior, ac tota synthesis conspiciatur doctrinae theologicae, simulque casuum solutio in omnibus pateat, addimus etiam principia tenenda de *forma* sacramenti.

II. Materia remota ad valorem requisita est aqua naturalis seu elementarie in statu liquido (ut constat ex Jn. III, 5, et Act. Ap. VIII, 36; ex ritualibus; ex Conc. Lat. IV, Flor, et Trid. id definiente sess. 7, can. 2), i. e. omne quod usu et nomine aquae venit apud homines. Talis est aqua fluminum, pluviae, putei, fontis, stagnorum, cisternarum, balnei, paludis, lacuum, maris, sive amara sit aut venenata sive dulcis, sive calida et fervens sive frigida et gelida, sive benedicta sit sive non sit. Item aqua resoluta ex nive, gelu, grandine, rore, nebulis, vaporibus condensatis vel fluens ex lapidibus (sudor pavimenti), foliis, aut parietibus nimboso vel hiberno tempore; item aqua arte chemica aut *distillatione* alterius elementi *obtenta,* si ab elementis extraneis sit pura; item aqua mixta cum materia extranea in parva quantitate, modo non tantum chemice sed *etiam secundum communem aestimationem* aqua sit certo praedominans et adhuc vocetur aqua, v. g. aqua turbida aut parum lutosa, mineralis, sulphurea, ferruginea, etc.

Hinc 1) materia invalida sunt : vinum, oleum, ius carnis vel adipis, humores corporis animalis aut humani : lac, sanguis, urina, saliva, lacrymae, sudor, pituita, liquor amnii, sputum, phlegmata, etc.; — succus ex arboribus, fnictibus (pomis, piris, cerasis), floribus, herbis, radicibus, granis *expressus;* — nix, glacies, grando, pruina, vapor et alia non resoluta quia non sunt apta ad ablutionem; — aqua valde permixta ita ut plus habeat de aliena substantia quam de aqua, vel non sit amplius apta ablutioni v. g. lutum, atramentum, cerevisia valde bona, bonum caffeum, bona thea, bonum iusculum, lixivium. Haec enim omnia non sunt aqua; vel si sunt, secundum communem aestimationem non habent usum nec nomen aquae.

2) Materia dubia sunt iusculum tenue, lixivium non nimis crassum, parva cerevisia, aqua theana vel caffeana

ordinaria, parvum atramentum, aqua ex sale resoluta, aqua artificialis *distillatione extracta* ex floribus vel herbis v. g. rosacea, violacea, etc. aut *fluens* ex vite vel arboribus.

III. Materia proxima valida est ablutio baptizandi a baptizante, secus enim non verificaretur sensus formae, et ceteroquin ita habet universalis traditio. Dicitur :

1) *Ablutio,* ad quam requiritur quod aqua corpus immediate et physice tangat et successive fluat ac decurrat per aliquam eius partem, ita ut censeatur lotum vel ablutum. Ad quod tamen parva quantitas sufficit; nec est necesse ut sordes corporales abstergantur : baptismatis enim ablutio ad solam emundationem spiritualem ordinatur. Fieri potest vel a) motu baptizandi in aqua, vel b) motu aquae in baptizandum; scii.

a) per immersionem, ad quam requiritur ut quis *in vel sub aqua moveatur* (unde invalidus esset Baptismus si quis teneretur immotus in aqua immota), et probabiliter iuxta quosdam etiam ut ex aqua extrahatur. Hinc dubie valida est ablutio occisiva qua aliquis *proiiceret* infantem in fluvium ; insuper est graviter illicita quia non sunt facienda mala ut eveniant bona : ipsa autem *protectio* iam de se mala est utpote tendens directe ad solam occisionem, nec immediate habet effectum bonum sicut ablutio, sed tantum mediate et per accidens, quia de facto terminatur potius ad aquam et ablutionem quam ad aliquid aliud. Ablutio scii, in casu est effectus proiectionis quae, etiam si non fieret in aquam, nihilominus mortem causaret (1). — Est tamen licitum *abluere* aqua gelida (alia deficiente) etiamsi timeretur mors aliquantulum acceleranda, quia haec actio per se et immediate tendit ad ablutionem et sanctificationem, non ad occisionem; unde

(i) Cfr. Billuart. *de Bapt.,* art. 3, § III.

mors eveniret per accidens et excellentiori bono compensaretur vitae aeternae;

b) etiam per infusionem et per aspersionem (quamvis hic ultimus modus sit in praxi periculosus), ad quas requiritur aliquis *motus aquae;* unde materia invalida est solus tactus aquae sine fluxu (gutta vel sudarium madidum manens in fronte), facile dubia est ablutio una vel altera gutta aut per modum unctionis peracta (S. Off. 14 dec. 1898), valida si quis *motu* digiti vel sudarii madefacti ablueret partem corporis.

2) Ablutio *baptizandi* i. e. a) *totius* corporis vel *partis praecipuae,* scii, capitis « in quo vigent omnes sensus interiores et exteriores » (S Th. Ill, q. 66, a. 7, ad 3). Validus est Baptismus si fiat super caput ulcerosa crusta opertum quia crusta non est nisi cutis infantis ex morbo foede deturpata, et alias homo cuius totum caput variolis obductum esset, nec ablui nec baptizari posset; — dubius est Baptismus si ablutio fiat in aliis membris (quam capite), quia in nullo est integritas vitae sicut in capite; et eo magis dubius quo fiat in membro minus notabili et a capite remotiori; unde probabilius est validus si fiat in corde, pectore, collo, scapulis, humeris, magis dubius in brachiis vel cruris, valde dubius in pede, manu, digito;

b) *ipsius* corporis, quod debet physice et immediate tangi. Hinc dubitatur de valore Baptismi collati in capillis etiam capitis quia non certo sunt partes corporis (1);

(i) Quodsi caput sit crinibus coopertum, debet sacerdos, dum dextra manu aquam fundit super verticem capitis, sinistra crines discriminare vel curare ut aqua per tempora capitis decurrat vel, quod in praxi est facilius, conferre Baptismum in> fronte quia in vertice esse abluendum nullibi praescribitur. (Cfr. Noldin, Th. M., III, n. 60) — Quidam, ut Lugo et Génicot, existimant Baptismum collatum in capillis esse aeque certum ac in cuti, nam si crines animalis lavantur, animal dicitur ablutum. Responderi tamen potest verum esse de animali quod aliter lavari non potest, non de homine qui natura sua crines ubique non habet et ideo immediate valet ablui.

magis dubius est si in barba vel unguibus; valde dubius si in funiculo umbilicali aut in una ex duabus membranis quae immediate involvunt infantem in utero matris quaeque nascuntur ex ovo (quamvis enim sint originis fœtalis, non tamen sunt pars permanens infantis sed potius involucrum aut instrumentum transitorium); fere certo invalidus si in tertia membrana exteriore fœtum involvente, quia haec oritur ex substantia matris; invalidus si in vestibus vel corpore matris fiat (S. Off. 21 maii 1671).

3) Ablutio *a baptizante :* si enim fieret a baptizato, vel a tertio, vel a sola causa naturali, v. g. dum puer labitur in aquam, falsa forent verba : *ego* te baptizo. Valet Baptismus si quis tenet infantem sub aqua cadente sine alterius ope vel ab altero iam effusa, quia tenens est sola causa ablutionis; quodsi alter intendat vel sciat se infundere aquam in infantem, Baptismus est dubius quia dubitatur an ille qui tenet vel ille cuius ope aqua descendit sit causa ablutionis.

IV. Ad liceitatem requiritur aqua pura et specialiter *consecrata;* et in Ecclesia latina ablutio facienda est per infusionem trinam (per modum crucis). Mortaliter peccat contra reverentiam sacramenti ille qui *sine necessitate* adhibet aquam impuram, sordidam, turbidam, — vel qui in Baptismo *solemni* non utitur aqua consecrata, aut modum ablutionis usualis mutat vel trinam infusionem non facit; quodsi in casu necessitatis desit aqua consecrata, adhibeatur benedicta, secus naturalis (S. Off. 22 iun. 1883); extra casum necessitatis nova est benedicenda (17 apr. 1839).

In Baptismo *mere privato* (etiam a diacono *non* commisso) *melius* est uti aqua benedicta, — vel si baptizans sit sacerdos, etiam aqua consecrata.

Quaestio Secunda

DE FORMA BAPTISMI

Principia theologica.

I. Forma Baptismi est : *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (sine Amen, ut decrevit S. R. C. 9 iun. 1853). Constat ex Mt. XXVI, 28; ex Liturgiis; et ex Conciliis Lat. IV, Flor., et Trid. sess. 7, can. 4.

Ad cuius valorem exprimenda sunt quinque :

1) persona baptizantis,
2) actus baptizandi in alterum exercitus,
3) persona baptizati,
4) unitas divinae essentiae,
5) trinitas personarum sub nominibus distinctis et, probabiliter, propriis. (1)

II. Exprimenda est imprimis persona baptizantis sive explicite, ut in forma latina, sive implicite saltem, ut in forma graeca : *Baptizatur N. servus Christi, in nomine...,*

(i) A modo loquendi recepto recedit cl. De Smet *(De Sacr.* n. 233), dicens ad validitatem formae sufficere duo, nempe mentionem actionis baptismatis et invocationem *distinctam* SS. Trinitatis : non postulatur *mentio personae ministrantis (ego)* cum minister ipsa sacramentali operatione satis designatur; nec *mentio personae subiecti (te)* quia in ipsa actione baptizandi certam personam afficiente, sufficienter determinatur subiectum, unde S. Off. validam decrevit, formam Armenorum in qua talis mentio desideratur : Baptizat (vel: baptizet) nunc manus mea in nomine... — Respondemus, cum S. Thoma (III, qu. 66, 5, ad i), requiri saltem mentionem implicitam aequivalentem, non solum ex parte materiae sed et ex parte formae; unde et in praedicta forma Armenorum, verba : *nunc, manu mea* sufficienter indicant subiectum quod manus hic et nunc abluit.

in qua vox : *baptizatur* (1), ex adiunctis idem valet ac baptizatur a me, baptizatur hoc meo ministerio (S. Thomas, III. q. 66, a. 5, et ad 1.). Hinc omissio pronominis *ego* non invalidaret Baptismum in lingua latina; in linguis modernis autem videndum an adsit intentio recte pronuntiandi formam et an actio ministri sufficienter ex adiunctis indicetur; unde in praxi saepe erit invalidus Baptismus vel dubius (2).

III. Exprimendus quoque est actus baptizandi, secus forma materiam non determinaret, cum infusio aquae ad varios fines posset fieri (S. Thomas, III, q. 66. a. 5, ad 2; cfr. prop. 27 damn, ab Alex. VIII) (3) ; et quidem actus in praesenti exercitus, secus tempus praesens : *baptizo* non velificaretur.

Valet Baptismus si quis utatur voce omnino synonyma : ego te abluo, lavo, mergo, tingo, intingo; — non valet si exprimatur sola voluntas baptizandi : ego volo tibi ministrare sacramentum Baptismi (S. Off. 23 iun. 1840), vel si actio praesens non exprimatur : baptizatus est in nomine (S. C. de Prop. F. 27 martii 1631), vel si modus ablutionis non significetur sed alius modus vel solus effectus : ego te mundo, purgo, ungo, tibi ministro sacramentum remissionis peccatorum, etc.; — dubius est si de hoc dubitetur : ego te christianizo seu reddo Christianum (kerstenen flan-

(1) Non : *baptizetur,* ut phires dixerunt, sed id ex confusione ortum est propter similitudinem eum βαπτιζῖται.

(2) Ita S. C. C. II febr. 1797 validam declaravit ex intentione profeientis sufficienter clara, formam : < Enfante, te baptise en nom... » (Aertnijs, Th. M., II, n. 33, 2").

(3) « Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus : In nomine Patris... praetermissis : Ego te baptizo ». — Item Alex. III, c. I, III. 42 : « Si quis puerum in aqua immerserit in nomine P... et non dixerit : ego te baptizo iru nomine..., non est puer baptizatus ».

drice, christen anglice, karstin, krstin slavice, krstiti slavonice) (1).

IV. Exprimi etiam debet persona baptizati, quia forma circa certam personam versari debet : exprimitur per verbum *te* vel aliud aequivalens (S. C. de Prop. F. 5 iul. 1631), uti : baptizatur Paulus, meus hic, aut talis (N.) servus Christi, baptizo dominationem (maiestatem) vestram, baptizo vos (si sint plures).

V. Unitas divinae essentiae exprimitur verbis : *in nomine;* hinc invalidus foret Baptismus si quis diceret : in nominibus, vel simpliciter : in... aut cum Patre..., aut ex parte Patris...; — vel : in nomine Patris et Filii, et gratia Spiritus Sancti; — vel : in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto; — dubius si : in virtute, maiestate, auctoritate Patris..., vel : in uno Deo Patre, Filio Spiritu sancto, —vel : nomine sine in (2). Hisce in casibus vel non sufficienter essentia Dei aut eius unitas exprimitur, vel saltem id incertum est.

Ambiguae sunt formae : cum nomine; in nomen (op den naam) ; Patris maioris, Filius minoris; in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti ; vel : ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus sancti ; unde earum validitas pendet ex intentione proferentis, et sic intelli-

(1) Per se significat effectum Baptismi, sed ex usu loquendi vox in quibusdam linguis significat actionem sacramentalem scii, ablutionem sacramentalem : baptizo. Ita pro lingua slavonica uti scimus ex approbatione ritualis slavonici (anno 1894).

(2) Hanc ultimam aliqui dicerent ambiguam, propter decretum S. C. C. 12 sept. 1801, allegatum a *N. Revue Théorl.*. XX (1868) p. 113. At animadvertit Lehmkühl (Th. M.. Π. η. 64, nota I) ita esse ex usu linguae italae vel etruscae, quo consueverunt saepe supprimere litteram i ante m et n, ita ut n'nome omnino sit : in nome; quare minime constat id etiam valere in latina aliave lingua.

genda sunt decreta romana quae loquuntur de primo et ultimo casu (S. Off. 23 maii 1720; 24 maii 1823 : *cum* nomine; S. C. C. 4 maii 1641; S. Off. 11 ian. 1882 : in nomine ter repetito). Item locutiones aliquatenus corruptae, ut in nomine Patris et Filiae, in nomine Patrias et Filias, et forma : in nomine Dei Patris, et Dei Filii et Dei Spiritus sancti, quam tamen aliqui ut dubiam habent. Similiter forma cui additur : et B. M. V., vel: in nomine B. M. V., quia ex intentione pendet an ipsi B. Virgini idem nomen tribuatur ac Deo; quodsi quis diceret : in nomine B. M. V. et Patris..., esset ad minus dubia, si non invalida.

VI. Trinitas personarum est exprimenda a) *sub nominibus distinctis;* hinc invalidus est Baptismus collatus in nomine lesu, Dei, Dei unius et trini, S.S. Trinitatis, trium personarum, in nomine Paternitatis, Filiationis et Spirationis, in nomine matris, filii... Omissio prioris verbi *et* non reddit formam invalidam (S. C. C. 12 sept. 1801) ; duplicis *et,* non repetito verbo : in nomine, reddit dubiam ; secundi verbi *et* reddit ambiguam, unde validitas pendet ex intentione proferentis (S. C. C. 12 maii 1753), at secundum alios tunc est dubia (1) ;

b) probabiliter etiam sub nominibus *propriis,* unde dubius erit Baptismus collatus in nomine genitoris vel ingeniti, geniti et procedentis, spirati vel doni ; — creatoris, redemptoris et sanctificatoris; — omnipotentis, sapientis et boni; — Patris, Christi lesu et Spiritus Sancti; — lae, 2ae, 3ae personae SS. Trinitatis; — Patris et Filii et Spiritus omittendo : sancti.

VII. Animadversiones. 1) Forma pronuntianda est *simul* cum infusione aquae, non solum fere seu moraliter,

(i) Dc sensu ultimi decreti non omnino concordant, cfr. Lehmkuhl, *l. c.* nota 2.

sed etiam probabiliter physice simul; quod in praxi omnino est tenendum quia in dubio *de valore* sacramenti faciendum est id quod est tutius, (cfr. tr. de Sacr. in genere).

2) Ad liceitatem requiritur ut forma adhibeatur ut in rituali. Parva mutatio, transpositio, additio vel omissio, quae sensum relinquit, per se est peccatum veniale; notabilis mutatio etiam relinquens sensum est peccatum grave, v. g. si sacerdos latinus uteretur forma graeca (Rit. Rom., n. 9).

Quaestio Tertia

DE BAPTIZANDIS NONNATIS IN UTERO MATRIS.

I. In quaestione utrum Baptismus valide conferatur infanti qui ex utero materno nondum natus est, duplex datur theologorum opinio :

Prima sententia fere omnium veterum (S. Augustini, S. Isidori, S. Thomae, etc.) negat, tum quia nullus potest renasci antequam natus sit (Jn. III, 5), tum quia baptizandus debet esse membrum distinctum societatis humanae, ac proinde non sufficit abluere matrem; ipse autem infans in utero est clausus, ut ait Rituale romanum (tir. 2, c. 1, n. 16. Cfr. S. Th. in IV Sent. d. 6, q. 1, a. 1; et III, q. 68, a. 11). Haec ratio tamen non valet quia supponit (et in hac suppositione loquitur Rituale) infantem non posse directe et immediate attingi, quod hodie falsum est : attingi enim valet instrumento; — prima autem ratio non habet nisi tenuem probabilitatem : homo enim iam dicitur

natus in utero, ut leg. Mt. I, 20 : « Quod in ea *natum* est de Spiritu sancto est. »

Unde secunda sententia, quae est paucorum antiquorum et fere omnium recentiorum, recte affirmat : qui enim contraxit peccatum originale et homo est viator, capax est Baptismi (C. Trid. sess. 5, can. 4), dummodo attingi valeat.

II. Circa talem Baptismum triplex fieri potest hypothesis. (1) Vel 1) nequit attingi pars infantis, sed tantum velamina quibus cooperitur; vel 2) ruptis aut artificiose perforatis velaminibus, manu aut instrumento potest attingi pars infantis in utero; vel 3) ablui potest membrum aliquod emissum, reliquo corpore nondum nato.

In tertio casu a) si infans emiserit caput, Baptismus confertur valide et sine ulla conditione, nec postea est repetendus ,secundum rituale (tit. 2, c. 1, n. 16; cfr. can. 746, § 2) (2) : homo enim iam censetur natus quia nata est pars praecipua; — b) si aliud membrum (quam caput) emiserit, Baptismus est dubius, attamen *in necessitate* tentandus sub conditione : *si es capax,* vel *si possum,* sed post perfectam nativitatem est repetendus sub conditione : *si nondum es baptizatus* (can. 746, § 3) (3) ; — c) si mem-

(1) De baptizandis nonnatis in utero, sicut et de baptizandis ioetibus abortivis, ac monstris, consuli utiliter possunt : De Smet, *De SacrlB in genere. Rapt" et Conf* et *Collationes Brug.,* t VIII (1903); —item. *Revue Reel, (le Liège,* t. Ill (1907-08), η. 2; t. V, (1909-10) η. 2; — Capeij.mann, Eschbach et Antonelli in *op. cit.;* —manualia uti Tanquerey; Noldin; I'ruemmer; Vermehrsch; — item Salsmans, *Geneeskundige Pliehtemeer.*

(2) « Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub conditione baptizandus, » can. 746, § 2.

(3) « Si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub conditionie; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub conditione baptizandus », can. 746, § 3.

bro quodam emisso et Baptismate in isto collato, mortis periculum perseveret, et aliud membrum nobilius vel capiti propinquius emittatur, rursus baptizetur sub conditione : *si nondum es baptizatus.*

In secundo casu, Baptismus valde probabiliter est validus, attamen cum non sit omnino certus, conferatur sub conditione : *si es capax;* fieri debet in capite si sit possibile, et semper post perfectam nativitatem repetendus est sub conditione : *si nondum es baptizatus,* ut docent Benedictus XIV et S. C. Cone. 12 iul. 1794 et 16 mart. 1897; cfr. can. 746, § 5) (1). Ratio est tum quia Baptismus est in se aliquatenus dubius, tum quia valde difficile est scire an quis caput sufficientur attigerit. Unde Baptismo in utero collato, si membrum postea emittatur nobilius (quam illud quod fuit ablutum) et periculum mortis perseveret, rursus conferatur sub conditione, sicut dictum est pro casu praecedenti.

In primo casu : Baptismus est valde dubius; est tamen tentandus sub conditione *si possum vel si es capax,* deficiente modo meliori. At casus est rarissimus, nam fere semper possunt velamina infantis disrumpi et ipse infans attingi.

III. Casus in quibus in utero matris ministrandus est Baptismus, recensentur sequentes :

1) quando mater ita afflicta est morbo ut probabiliter in utero moriatur infans, v. g. in casu morbi contagiosi, vel si tempore partus scindatur vagina aut uterus, vel gravis sit haemorrhagia quae magnum periculum affert vitae matris;

2) quando partus est laboriosior et timendum est ne labori fœtus succumbat v. g. ob asphixiam in retardato

(i) « Fœtus, in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet », can. 746, § 5.

et lento exitu, ob praesentationem abnormalem, ob hydrocephaliam vel nimiam angustiam pelvis;

3) quando ob dubium de morte matris diutius differenda est sectio caesarea; aut, matre certo mortua, timetur fœtum ante finem operationis esse periturum;

4) in quibusdam abortuum periculis, quando abortus iam inceptus est inevitabilis factus et probabile est fœtum ante eiectionem esse moriturum v. g. si praemature segretur placenta aut amittatur liquor amnii, ant si timeatur ne vomitus incoercibiles, vel vehementes haemorrhagiae secum ferant abortum.

Non tamen sic ministrandus est Baptismus, nisi omnimoda adsit neccessitas, secundum can. 746 § 1 : « Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit. »

IV. Notetur scissionem velaminum ope insrumenti facile fieri posse ultimis temporibus gestationis, quando fœtus, saltem probabiliter est vitalis (post 5 aut 6 mensem completum) *instanti periculo mortis ante perfectam nativitatem;* in prioribus autem rarissime (1) propter magnum periculum quod ex velaminum destructione affertur partui, infanti et matri; unde non est tentanda nisi *certo* constet *et* fœtum vivere *et* vitam eiusdem minui : tunc enim ante omnia salvanda esset anima. Nec sufficeret tunc Baptismus in funiculo umbilicali, cum ipse infans attingi valeret.

Dicet forsan aliquis scissionem membranarum primis mensibus aequivalere directae occisioni, quae nunquam li-

(i) Addit Antonelli : Rarissime hoc tempore nosci queat an foetus certo vivat. Scissio membranarum et fluxus liquidi amniotici augerent difficultatem partus et exponerent foetum et matrem gravibus periculis salutis; et cum hoc casu nosci nequeat an aliqua pars abluta sit aqua, non videtur expedire, *ob dubium effectum spiritualem,* acceleranda esse pericula corporalia (t. II, η. i6).

cita est, nec ad Baptismum conferendum. Res autem sic sustineri potest : ipsa *perforatio* membranarum, hoc in casu, est actio quae aufert elementum necessarium ad vitam temporalem, scii, liquorem amnii cuius causât effusionem, sed *aeque immediate* confert elementum necessarium ad vitam spiritualem : possibilitatem attingendi infantem et conferendi Baptismum. Aliis verbis : aufert extremam necessitatem spiritualem, mempe membranam quae est obstaculum Baptismi, sed id secum trahit et simul ponit infantem in extrema necessitate temporali, ex consequenti amissione liquoris (1). — Nec adest paritas cum salute matris procuranda, quia huius possibilitas non obtinetur nisi mediante nocumento infantis, scii, *ipsa effusione* liquoris.

V. Modus ministrandi Baptismum in utero matris. Confertur, praevie disruptis velaminibus si sit possibile, ope alicuius instrumenti irrigatori! v. g. syphunculi (seringue) pleni aqua vel cum aliqua spongia, sed altera manu inquirendum est an aqua partem infantis attingat (2) ; — hisce autem deficientibus confertur sola manu madefacta, quamvis iste modus facile sit dubius (S. Off. 14

(1) Dictum fuit : auferre elementum neccessarium ad vitam temporalem. si hoc non significat occidere, iam de valore terminorum desperandum est. — Resp.: significat occidere; sed quid inde? actio occisiva est licita ob rationem proportionate gravem, si aeque immediate producit salutem aeternam, ut v. g. esse potest in Baptismate collato in aqua gelida (vide supra p. 52). At quia actio occidendi, sicut et salvandi, potest esse mediata aut immediata, in casu autem non agitur de actione immediate occisiva, sicut nec de actione immediate sanctificativa et salvativa, ideo, claritatis gratia, praetulimus scribere : auferre elementum neccessarium ad vitam temporalem, est licitum si compensatur collatione elementi necessarii ad vitam spiritualem, dummodo id aeque immediate, non mediante effectu malo, obtineatur.

(2) Quod in ordinariis casibus facile erit, cum praesentatio capitis habeatur *ad minus* 90 %.

dec. 1898). Adhibeatur aqua calida, quia frigida noceret matri; imo quando ex aqua pura *verum* mortis periculum in matre timendum est, misceri potest cum hydrargyro bichlorato corrosivo (HgCl 2; eau sublimée, met sublimaat vermengd water), soluta una parte huius chlorati in mille partibus aquae (1), uti respondit S. Off. 21 aug. 1901.

Ministerium ordinario a medico, vel, ipso deficiente, ab obstetrice servandum est quae a medico vel a parocho est educanda.

De Baptismo sic collato monendus est parochus.

Quaestio Quarta

DE BAPTIZANDIS FCETIBUS IMMATURIS.

I. Magna agitatur inter eruditos, philosophos ac theologos quaestio, de momento quo fœtus animatur anima rationali (2). Aristoteles (3) et fere omnes scriptores Medii Aevi, cum S. Thoma (4), docuere animationem fœtus masculini circiter (5) post 40 dies, feminini post 80 ab instan-

(1) Praeter mixtionem praedictam, quae medium praebet antisepticum. aqua pura omnino sit oportet, ne parturienti morbi inserantur.

(a) Conferri possunt Capeu.Mann. Eschbach et Antonelli in op. cit.; De Smet in *Coll. Brug.,* t. VIII; *Revue Reel, de Liège,* 1907-08, t. III, η. 2; *Diet, de Thiol, cath.,* article *Animation.* (Chollet).

(3) *De Generatione Animalium,* l. 11. c. 4.

(4) In *II Sent.,* d. 18, q. 2, a. 3; Q. D. *de Pot.,* q. 3, a. 9, ad. 9; *Contra Gentes,* l. II, c. 87, 88 et 89; *Sum. Th.* I, q. 118 et 119.

(5) Non una tamen omnium, hac in re, est sententia. Hinc, ait S. Alph. (Th. M., l. 3, n. 394), « Lessius..., censet ex Hippocrate, masculum ad summum animari die 30, vel 35, vel 40, vel 45; feminam vero die 35, vel 40, vel 45, aut 50. Et idem sentiunt Lugo et Bonacina ac Filiucci... Attamen Busembaum... Elbel... et Salm. ctttn S. Th., Azor,

ti conceptionis. Ratio ipsorum est, quia nulla forma recipitur in materia, nisi haec ad formam recipiendam sufficienter praeparata et proxime sit disposita; initio autem conceptionis, materiam sufficienter esse praeparatam ad recipiendam animam rationalem, et ad constituendum hominem quis dicet? Coeterum, in fœtu observantur primo sola phaenomena nutritionis et augmenti, deinde apparet vita sensitiva, et haec denique ita ordinatur ut rationali vitae inservire possit; unde prius videtur adesse anima vegetativa, deinde sensitiva, postremo rationalis. Quae argumenta sunt probabilia (1).

E contra recentiores (2) fere omnes (3) docent animationem fieri in instanti conceptionis. Ratio est quia entia non sunt multiplicanda sine necessitate; atqui anima ratio-

Sylv. et communi... dicunt masculum formari, et animari spatio 40 dierum, feminam autem 80... Imo S. Thom. d. 3, q. 5, a. 2 sic. ait : Maris conceptio non perficitur nisi usque ad 49 diem, ut Phil, in IX de an. dicit : feminae autem usque ad 90; sed in compositione corporis masculi ridetur Augustinus superaddere sex dies... »

(1) Mittimus argumenta theologica, quae cx utraque parte afferantur, tum quia non sunt probantia, tum quia ad quaestionem per se scientificam et philosophicam minus pertinent Exponuntur in *Diet, de Theol. cath.* a. c.

(2) Primus qui id asseruit, ridetur fuisse (anno 1620) Dr Thomas Fienus, medicus et professor Lovaniensis, statuens animationem die tertio a conceptione; quem secuti sunt medicus Robin (Devione, 1632), Hieronymus Florentinius in celebri dissertatione : *De Hominibus dubie baptizandis* (Lugd. 1658) a S. C. Indicis approbata, et Canciamila *(Embryologia Sacra,* Palerm. 1758). Inter modernos conferri possunt Fredault *(.Cours d'Anthropologie,* Paris 1863), Farces *(La Vie et l'évolution des espèces),* et Milne Edwards *(Rapport sur les progrès de la Physiologie).*

(3) Mon omnes tamen id admittunt. Philosophi enim uti Liberatore, Cornoldi, Sanseverino; medici ut Santi et Liverani id negant Quibus nuper accesserunt Em. Card. Mercier *(Psychologie,* 3e p., ch. II). Dr T. Lenssen *(Quelques considérations sur la nature de la vie et de la mort* in perodico *Echo religieux de Belgique,* 1902), et P. Vermeersch in sua Th. M.

nalis omnia praestare potest, quae praestat anima vegetativa vel sensitiva; ergo nulla adest ratio admittendi animarum successionem. Cœterum experientia constat : a) foetum *ab initio conceptionis* vivere et ideo animatum esse; — b) ipsum regulariter et sine intermisione sese evolvere, et quidem ita ut evolutio naturaliter terminetur ad hominem : ab initio enim omnia ita sunt disposita, ut hominem *necessario* producant; — c) fœtum ab initio iam omnia habere necessaria ut sit homo : constat enim unum et idem esse ens quod concipitur, evolvitur et denique nascitur. Accedit quod nullum assignari valet momentum quo anima infunderetur. (1) Unde moderni animationem immediatam quasi certam habent. (2)

Hisce ultimis temporibus, rursus facta est res magis dubia. Constat enim, et semen viri in ipso vivere vita propria et independent!, et ideo animari non quidem anima

(1)Hacc argumenta non sunt apodictica. Primum non probat, quia si anima ab instanti conceptionis infunderetur, et sibi ipsi corpus suum construeret, esset exceptio *unica* huic universali legi : nullam infundi formam, nisi materia ad illam recipiendam sit proxime disposita. Alterum, ex experientia petitum, probat tantum, ab initio adesse in embryone *quoddam* principium vitae et *virtutem* sufficientem producendi hominem, vel saltem embryonem in talibus poni circumstantiis ut in hominem necessario evolvatur; non autem quod ab initio iam sit homo.— A sententia autem Aristotelis et S. Thomae multi recesserunt, *praesertim* ex oppositione ad Scholasticorum systema de materia et forma, eo quod ipsorum intclligentiam transcendit, unde animarum in fœtu successionem ut aliquid incredibile habent et absurdum; — item ex falsis experientiis, quibus constare putabant, foetum omnia organa homini essentialia, in parvis utique dimensionibus, iam ab initio habere. At haec nullum adhuc hodie movent.

(2)Ita Capellmann, *Medicina Pastoralis,* de abortu. ; Eschbach, *Disp. Phys, theol.* disp. 3, cap. 2, prop. 2 et 4 ; Antonelli. I, n. 255, nota ; Surbled, *la Morale dans ses rapports avec la Médecine,* t. II ; Gury-Ballerini, Th. M., I, n. 402; Lehmkuhl, Th. M., II, n. 74; Aertnijs, Th. M„ I, n. 192; Genicot, Th. M., I, n. 374; Tanquerey, Th. M., suppl. ad Mate., n. 63, et alii. Melius Noldin, Th. M., II, n. 69 : « Fere communis sententia..., sed probabilitatem non excedit. » Item Salsmans et Pruemmer.

viri des principio vitali proprio (1), et simiiter ovum feminae vivere in ipsa ; et utrumque elementum non semper statim post copulam uniri. Quando autem uniuntur, non tanta nec tam radicalis fit mutatio, ut compositum dicatur tunc iam vivere anima rationali : cum enim antea principio vitali proprio utrumque elementum separatum vivebat, simili principio et nunc vivere unitum, videtur affirmandum. Anima ergo rationalis probabiliter infundetur tantum, quando fœtus radicalem omnino mutationem subit, et externam acquirit speciem hominis; quod fit versus finem tertii mensis : tunc utique adest ratio cui dicatur animari anima rationali (2). Differentia tamen inter masculos et feminas, quam antiqui adstruebant, falsis quibusdam experimentis innixi, certissime est reiicienda : hoc enim tempore, nondum discerni valet ipsa differentia sexus. « Generationis enim organa, testatur Eschbach (o. c. 3, c. 2, prop. 4), apud fœtum, nonnisi

(1) « Le spermatozoïde (élément mâle)... a une vie propre distincte de celle des spermatozoïdes voisins et de celle du générateur, pusqu'il peut continuer à se mouvoir séparément des autres spermatozoïdes, et en dehors du générateur... L'ovule mûr (élément femelle) a une vie à part comme le spermatozoïde... Dès avant la fécondation, il y a dans chaque élément générateur une vie individuelle, donc un principe de vie. une âme... » Ita Chollet, prof. Insul., in *Diet, de Théol. cath.,* art. *Animation.* Id iam fatetur S. Thomas (T, q. iig, a. 2), semen non animari anima viri, « quia... si animaretur,, dum resolvitur et separatur a vivente, amitteret formam totius, et simul cum ea vitam; sicque esset in via ad corruptionem, nec posset proinde esse principium vitae in vivente genito. » Goudtn, *Philosophia,* tom. ITT. *de Anima,* a. 4.

(2) Nec postea assignari valet ullum aliud momentum, quo verisimiliter anima adveniret. Hinc damnata fuit ab Innoc. XI, prop. 25 : « Videtur probabile foetum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere cum paritur, ac consequenter in nullo abortu homicidium committi ». Neque obstat quod tertio mense completo, vita intellectualis exerceri nequeat; id enim nullus probabit, et ceteroquin hoc dato, adest tamen, vita sensitiva non quocumque modo, sed quatenus ordinatur ad vitam rationalem ,ita ut in dispositionibus suis *essentialiter* differat a vita simplicis animalis.

post tertium vel quartum a conceptione mensem, sat discreta apparent, ut decernatur utrum mas sit vel femina, cum antea cuiusnam sexus embryon sit, nullus dicere valeat. »

II. Cum utraque sententia de momento quo fœtus animatur sit probabilis (1), sequitur omnes fœtus viventes esse baptizandos, *absolute* post tertium mensem, ante hoc tempus *sub conditione : si es homo,* vel : *si es capax.* Charitas enim, etiam cum magnis incommodis temporalibus, stricte obligat omnes ad procurandum salutem alterius; et ideo praecipit ne ex actione vel omissione nostra sequatur etiam probabile periculum alterius salutis. Sicut enim fœtum, probabiliter animatum, illicitum est occidere, ita illicitum est sine Baptismo abiicere ; sed ante omnia *certo* salvanda est anima.

Fœtus igitur abortivi certo vivunt, vel probabiliter tantum, vel certo sunt mortui. Si certo vivunt, baptizari debent, absolute si formam hominis gerunt i. e. post tertium mensem, ante hoc tempus, sub conditione : si es homo. — Si probabiliter vel dubie vivunt, baptizentur sub conditione : si es homo. — Si certo mortui sunt, non sunt baptizandi.

III. Signa certa mortis sunt (2) : 1) Si ovum discissum nascitur primis mensibus, quod non raro accidit : tunc enim fœtus est deperditus vel absorptus, et certo mortuus;

2) Si antequam expellatur, diu remanserit in utero a

(O « Dans l'état actuel de la question, il semble qu'il n'y ait, ni dans la sainte Ecriture, ni dans la tradition, ni dans les documents pontificaux, ni dans la théologie, ni dans la philosophie, ni dans la biologie, aucun argument décisif en faveur de l'une des deux animations. » Ita Chollet, in *Did. de Thtol. eath.,* a. c.

(2) Indicantur apud Capellmann, *0. c.,* de Baptismo; et apud De Smet. Dantur quoque alia signa pro medicis.

placenta, vel cum placenta ab ipsa matre disiunctus, certo mortuus prodit et corruptus;

3) Si ova abortiva efficiunt massam, quam *molam* (1) vocant; de quo casu iam scribit Hieronymus Florentinius (2) : « Si involucrum illud effusum appareat membrana circumdatum quae sit subalbi coloris, similis intestinis, figurae ovalis, et quae digito tacta mollescat et cedat, signum est fœtum esse, non molam:si vero... sit caro informis, nigris venis et sanguineis intexta, scabra, dura aut vario colore infecta, tunc mola indicabitur, non fœtus » (3) ;

4) Si putrefactio ovi vel fœtus habeatur non incipiens tantum, sed bene apparens, cuius signa sunt maculae et fœtor;

5) Si adsit corrupta et putrida profluvies, corruptio liquorum amnii, sanguinis, etc. quae, imminente *fere obortu,* ex utero fluunt;

6) *Generatim* pro fœtibus septimi et octavi mensis : si fiat effusio liquoris amnii *pluribus diebus* ante partum,

/j) *Mola* est fructus conceptionis vitiatus, idque ita ut plerumque ne vestigium quidem foetus reperiatur: qui fructus iners sane nec debet nec potest baptizari.

(2) In diss. *de Hominibus dubie baptizandis.*

(3) Ad praedictorum intelligentiam notetur cum Antonelli, t II, n. 22-23 ı < Primis 4 mensibus non semper abortus sequitur causam, quae illum producit, et in involucris foetus nonnulli processus accedunt qui ad abortum lente disponunt, quibus fit ut ovulum minuatur et foetus pereat, saepe in membranis et praesertim in caduca serotina lacerantur vasa sanguinis, quae valde augent magnitudinem ovi, quod tunc efficit *molam sanguineam,* vel plus minus profunde illud immutat; cum vero hae haemorrhagiae membranarum factae fuerint iam a longo tempore et membranae appareant decoloratae, tunc habentur *molae carneae;* — aliquando in membrana amniotica deest embryon, qui post mortem macerationem passus fuit : aliquando inveniuntur tantum eius parva vestigia; aliquando demum embryon perfecte conservatus remanet. — Cum scii, abortus sequitur causam abortus ipsius, ovulum est perfecte conservatum ».

aut maxima sanguinis profluvies *multis horis* ante partum, ut in placenta praevia (1).

Deficientibus illis signis, semper baptizandum est ovum, si sit recens, non decoloratum vel putridum; et fœtus, si sit albus, et non gilvus vel subfuscus.

IV. Signa certa vitae sunt : 1) pulsatio cordis (quod initio prope caput est positum), quae iam observari potest ordinario post 5 vel 6 hebdomadas (2) ;

2) motus qui in musculis observari possunt, aliquando iam a tertio mense, ordinario autem non ante quintum mensem completum, quo tempore musculi iam sunt perfecte exculti ;

3) pulsatio funiculi umbilicalis quae tactu percipitur.

V. Quibusdam visum fuit valde difficile Baptismum conferre embryoni, tum propter parvas ipsius dimensiones, tum propter periculum mortis quod, ruptis membranis quibus involvitur, ex aqua frigida vel ex contactu aëris embryoni immineret (3). lamvero, quamvis initio sit valde parvus, facile tamen cognosci potest : post mensem (et aliquando post 3 hebdomadas) habet longitudinem 1 centimetri, si extendatur; post 6 hebdomadas, usque ad 17-25 millimetr. longitudinis; ad finem tertii mensis, 7-9 centimetr. Tales autem fructus consultum est baptizari per immersionem et quia sunt valde parvi et quia ita facile in liquore amnii natant ut incertum sit utrum aqua baptismal! attingantur; accedit quod secundum aliquos possent occidi contactu aëris.

(1) Quid sit placenta praevia, vide supra, p. 22, nota I.

(2) Imo Antonelli (II, 28) : Probabilius in foetu cor pulsare incipit ante tertiam hebdomadam praegnationis; si non facile est advertere hascc pulsationes, sufficit notare an pulsationes sint in funiculo umbilicali ».

(3) Periculum tamen negat Capellmann, *l. c.*

Baptismus fit sequenti modo : sub aqua tepida velamina disrumpantur, hisce disruptis statim forma Baptismi pronuntietur : si es homo, ego..., dum materia ovi effluat; et ut sacramentum certo validum omnino sit, fœtus etiam statim extrahatur.

Nec probari potest modus quem multi docuerunt auctores (1), fœtum scii, prius esse baptizandum in membranis sub conditione : si possum vel si es capax; et iterum ruptis velaminibus, sub conditione : si non es baptizatus. Neutrum enim Baptisma est certum : non primum quia non fit in fœtum; nec secundum quia, ut isti dicunt, forsan aëre occiditur fœtus.

VI. Quoad causas et signa abortus casualis notetur :

A. Abortus locum habet (2)

1) mortuo fœtu, ut saepe fit primis mensibus praegnationis, cum insufficiens evadat eius nutritio ob nimiam evolutionem membranarum fœtalium, aut ob gravem haemorrhagiam provenientem ex utero vel ex aliis organis; — aliquando vero fœtus moritur causa morbi, ex infectione matris, qui illum interimit, aut (et hoc frequentissime) causa syphilidis, a patre transmissa, quin noceat matri, dum immediate organa essentialia vitae fœtus mortaliter afficit.

2) Alia causa, satis frequens, abortûs, habetur in nonnullis morbis intestini recti, in inflammationibus uteri aut vulvae, et praesertim in metrite, quae contractiones vehementes-uterinas, fœtum eiicientes, inducunt quarto vel quinto mense praegnationis; tunc autem fœtus ordinario prodit sanus sed moribundus.

(1) Adhuc hodie ita dicunt : Theoi. Mechl.; Eschbach; Mourreau et Lavaud *(Le médecin chrétien);* olim docuerunt Cangtamila et De Breyne.

(2) Antonelli I, 11. 419, et II, n. 20.

3) Item morbi, quos febris, deficientia oxygenii in sanguine, aut anemia acuta comitantur, aut praedispositio (ex haereditate vel morbosa irritabilitate) ad abortum, quo fit ut quaedam mulieres, ob quasdam parvas impressiones quae aliis feminis minime nocent, abortum patiantur, ut nonnulli parvi labores et minimae excitationes, levis agitatio spiritus, etc.

4) Imo *aliquando* excitationes quae fiunt in nonnullis nervis, quae, via reflexa, transmittuntur ad nervos uterinos, contractiones inducendo, uti sunt excitationes in vaginam aut super vulvam et ubera.

5) Denique plures anomaliae genitalium internorum (uteri retroflexio, tumores, cicatrices quae impediunt uteri augmentum), anomaliae ovi et eius membranarum, laesiones et operationes in genitalibus, fortes emotiones, pavor, vomitus incoercibiles, in quibus aliquando expellitur fœtus cum morte certa matris.

B. Quoad signa (1) abortus notetur : Tempore expulsionis ovi uterus contrahitur, vasa sanguinea lacerantur cum haemorrhagia quae aufert ovum. Haemorrhagia igitur signum *evidentissimum* est abortus primis 3 vel 4 mensibus.

Abortus primo tempore praegnationis valde frequens est; in pluriparis frequentius habetur quam in primiparis. Primis hebdomadis formam prae se fert dolorosae et abundantis menstruationis absque gravibus symptomatibus; quo fit ut mulieres eam patiantur, quin medicum advocent et quin advertant abortum ipsum. Secundo et tertio mense symptomata graviora sunt (2). Post quartum mensem, regulariter, haemorrhagia non habetur ante abortum, si excipias casum, quo separetur placenta,

(1) Antonelli, II. n. 24-27.

(2) Matres vel obstetrices doceant praegnantes de decursu abortus tum ad Baptismum ministrandum, tum ad removendas malas, quae oriri possint, consequentias.

vel habeatur placenta *praevia.* Foetus hoc tempore eduntur vivi, vel macerationem iam passi, mortui vel in statu moriendi. Saepe ovum emittitur cum placenta et membranis illud involventibus.

VII. Monita practica. — Consilia danda medicis, obstetricibus et coniugibus.

1) Examinanda sunt quae mulier *gravida* profudit in abortu vel fluxu sanguinis, etiam primis mensibus, ut si foetus detegatur baptizetur. Nec ideo sequitur sectionem caesaream hoc tempore semper esse faciendam : illa obligatio magis urget quam sectionis caesareae. Ex una enim parte minor requiritur probabilitas vitae in fœtu ut ipsi Baptismus conditionate ministretur quam ut mater defuncta incidatur, quod medium est non omnino ordinarium nec omnibus obvium ; et ex altera parte adest fundata spes foetum vivum inveniendi in casu abortûs, dum deest illa spes quando agitur de secanda matre primis mensibus : facilius scii, conservatur vita in embryone, a matre sana et bene valente divulso, quam in fœtu ex utero matris mortuae exsecando. Notari enim potest fœtus minimos paucis diebus post eiectionem aliquando viventes inventos.

2) Cum tamen, ante 6 menses, diu vivere non soleant, cito sunt baptizandi. Neque enim terendum est tempus in inquirendis signis vitae, sed si ovum apparet recens et fœtus albus statim est baptizandus.

3) Ante finem tertii mensis, signa vitae solent esse incerta, et difficulter observantur propter embryonis parvitatem (1) ; unde de facto, in praxi, coincidit tempus quo fœtus certe sit homo et quo vita cum certitudine observari possit. Et ideo Codex luris canonici tanquam *generali* norma practica, quae valet *ordinario et in pluribus,* statu-

(i) « Rarius contingit ante mensem tertium finitum vitam observari in embryone, saltem absque involucris suis e sinu materno eiecto ; sic autem eiici solet 5nde ab incepto tertio mense >. De Smet, *De Sacr.,* n. 319.

ere potuit (can. 747) : « Curandum ut omnes fœtus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant, baptizentur absolute; si dubie, sub conditione ». *Regulariter* scii., nisi quid certo obstet, ita est faciendum. Codex loquitur secundum ordinario contigentia et rarissimas potest negligere exceptiones (1).

4) Sciant medici, obstetrices, coniuges, modum baptizandi, quid baptizare debeant et quandonam sub conditione.

5) In partu periculoso aquam naturalem tepidam ad manum habeant; *sub gravi* tenentur aut manus suas, quantum fieri potest, purgare a sanguine, pituita, fœcibus, quia secus facile aqua redderetur impura, *aut* aquam puram mediante vasculo infundere.

6) Pronuntient, *dum* aqua *fluat* (ad quod non sufficit ut solum intingant pollicem), *formam* integram, moris *non interpositis;* et cum debita intentione, sub *nulla conditione de futuro,* v. *g.* : si infans poterit nasci vel ecclesiam adire, etc. Id quoque faciant, si possibile, coram 2 testibus, vel saltem uno (can. 742) ; et de re facta moneant parochum.

7) De hisce ut instruantur curare est parochi, et quidem sub gravi (can. 743). Optimum est si medicus catholicus vel, ipso deficiente, parochus doceat obstetrices et istae vel parentes doceant iuniores matres et uxores. Ad hoc jtiles esse possunt : *Instructions sur la manière de baptiser les enfants nouveaux-nés. Onderwijzingen aangaande het doopsel der nieuwgeboren kinderen.* (Mechliniae, 1851), quae inveniuntur in appendice ad tract, *de Sacramentis Theol. Mechl.,* at aliquatenus sunt obsoletae; — item *Instructio ad Clerum de erudiendis obstetricibus,* episcoporum Austriae, 7 April. 1894, quae legi potest

(i) Codex sententiam < minime doctrinaliter proponit, sed mere tradit practicam normam ». Ita Vermeersch, Th. M., III, n. 239.

apud De Smet, de *Sacris*, vel in *Nouv. Revue Théol. française* 1900, p. 95 ; — item Salsmans, *Geneeskundige Plichtenleer* (pro excultis) ; — item *Baptême d'urgence pour raisons médicales. Doopsel in den nood en rol van den geneesheer* (Act. cath., Bruxellis, 1922), opusculum tamen non undequaque probandum (1).

Instructio *sponsorum* a sacerdote *saepius* non fit sine magnis incommodis, aliquando confessarius post matrimonium initum eos potest instruere, si *occasio* detur : sit tamen prudens.

VIII. Animadversio de sepultura. « Quicumque fœtus, si fuerit baptizatus sive in utero sive extra uterum, sive absolute sive conditionate, in loco sacro sepeliatur; in loco vero profano, si absque Baptismo mortuus prodierit; fœtus autem ex matre defuncta extractus et Baptismate suscepto mortuus, in sinu matris reponatur ut cum ea sepeliatur ». Ita De Smet, de Sacris n. 323. Cfr. Rit. Rom. tit VI. c. 2, n. 7.

(i) Praetermisso inopportuno excursu de casu moribundi adulti sensibus destituti qui gratis et *improbabiliter* omnino affirmatur baptizari posse cum sola intentione sese salvandi; plura traduntur non satis recta, quae nimiam accusant cupidinem minuendi obligationes. Notamus assertiones : i) in crinibus collatum Baptisma esse fere certum ; 2) placentam esse originis foetalis; 3) in praxi *nunquam* adesse matri obligationem subeundi sectionem caesaream; 4) foetum posse matri mortuae supervivere solum *per semihoram* vel alifluanto plus, dum tamen etiam per plures horas fieri possit; 5) consilium datum consanguineis et obstetricibus *generatim* abstinendi a sectione caesarea post mortem matris. Laudabilis forsan est *intentio* pacem reddendi conscientiis; sed ne fiat cum detrimento veritatis et amputatione divinae legis.

Quaestio Quinta

DE BAPTIZANDIS MONSTRIS.

I. Monstrum est fœtus in quo species corporis humani totaliter aut notabiliter est deformata; fœtus deformis a muliere editus qui pro varia deformitate vario nomine nuncupatur.

Quoad monstra simplicia, tres solum occurrunt casus : monstrum enim vel est acardiacum i. e. sine capite et pectore, vel caput habet humanum, vel caput ferinum. « Caput sine pectore aut pectus sine capite non inveniuntur » (1).

1) Si est *acardiacum* i. e. constat solo ventre et pedibus sine capite et pectore (si, quod raro accidit, cor adsit, est rudimentale et atrophicum), non est baptizandum; a fortiori si sit *mola* seu massa carnea informis. Ratio est quia certe non est homo, utpote organis ad vitam humanam omnino necessariis carens (2).

2) Si habet caput *humanum* aut humano propius, *absolute* est baptizandum, etiam si sit *hemicephalus* vel *caranium,* quia adest caput (3).

3) Si habet caput *ferinum,* tunc baptizandum est *sub*

(1) Capei.i.mann, *O. C.,* p. III.

(2) *Acardiacum* regulariter cum alio fcctu bene evoluto invenitur, mortuumque semper editur, post foetum bene formatum. Sed nec in utero est baptizandum.

,3) *Hemicephalus* dicitur quia in eo facies magis evoluta et cranium cum cerebro plus tninusvc diminutum; *Acranium* quia caput *depressum,* ita ut olim capita *felis* aut *chcloniae* dicerentur. — *Simplicia* itaque, scii, *acrania, cyclopia,* (cum uno oculo in medio frontis), *polydactylia* (cum pluribus digitis), *amcla* (sine brachiis et pedibus), *phocomela* (cum membris brevibus sicut phocae), *sympodia* (cum cruribus cohaerentibus 'n unum truncum), *hydrocephalia* (cum capite enormi aquam continente) sunt absolute baptizanda. Monstra *amorpha* et *anorma* (massae informes vel rotundae) multo *probabilius* sunt simplices massae carneae, sed quia habent aliquid ossium capitis, cerebri et trunci, ideo non est omnino certum.

conditione : si es homo. Rituale dicit t. II, c. I, n. 19 : « Monstrum quod humanam speciem non prae se fert, baptizari non debet »; sed id scriptum est tempore quo putabatui' monstra ex congressu mulieris cum brutis oriri posse, dum hodie constet id esse impossibile (1) et monstra formari ex causa morbida vel ex accidentali concursu causarum vel ex vehementi matris imaginatione aut terrore. Unde multi recentiores aiunt omnia monstra esse absolute baptizanda, quia omnis fœtus vivus est homo; sed hoc dicunt ex praeiudicata eorum opinione de animatione fœtus ab initio conceptionis. At etiam probabile est fœtum animari solum circa finem tertii mensis, quando acquirit externam speciem hominis; sed ante tertium mensem deformari forsan potest, ita ut nunquam ad praedictum stadium externae speciei humanae deveniat. Insuper ubi deformatur fœtus tempore quo iam animatur anima rationali, num repugnat ut haec anima corpus ineptum derelinquat et ipsi anima bruti succedat?

II. Quoad monstra geminata (duplicia vel multiplicia) (2), vel certum est unum aut plura adesse individua, vel erit dubium.

1) In *dubio* utrum monstrum sit unus an plures homines, quia habet duo pectora et caput unum, vel duo capita et unum pectus, vel duo capita et pectora fere non distincta. unum caput absolute baptizetur; alterum caput aut, isto deficiente, pectus quod capiti non videtur respondere, vel utrumque si nullum respondeat capiti, sub conditione: si non es baptizatus (Rit. rom. n. 21).

2) In aliis casibus *perspicuum* est vel quod sit unus homo tantum, vel quod sint duo (aut plures) distincti;

(1) « Hodie nemo est qui tenet mulierem cum fera congredientem, feram aut quemcumque fœtum gigrære posse ». Ita Dr. Leroux, in *Revue Eccl. de Liège,* 1909-10, p. 107.

(2) Tricephalia cum 3 capitibus sunt rarissima; item triplicia; sed frequentius triplicia parasitaria.

v. g. si duo distincta sint capita et pectora ita ut sola trunci pars inferior sit communis, indubie duo censentur individua, adeoque singula seorsim sunt baptizanda, ut praescribit Rit. rom. η. 20; e contra, si unum habeatur caput unumque pectus, et sola membra inferiora multiplicentur, unicum reputetur vitae centrum, unumque individuum semel dumtaxat abluendum (1).

III. Animadversiones. 1) *Generali formula* ait Codex iuris, can. 748 : « Monstra et ostenta semper baptizentur saltem sub conditione; in dubio autem unusve an plures

(i) Distingui solent : A. Duplicia aequalia seu *dicephalia,* quae habent duo capita plus minusve distincta :

1) *thoracopago* (haereo) habent *2* capita et 2 pectora iuncta,

2) *diprosopa* (bis-facies) habent unum pectus et unutn caput sed duas facies,

3) *ischiopaga* habent duo capita opposita et duo corpora coniuncta per ossa pelvis, sed umbilicum unicum,

4) *craniopago,* quae habent cerebrum et corpus duplex, ita quod adhaereant per verticem capitis, aut per occipitium, aut per ossa frontalia,

5) *Pyf/opaga,* >n quibus duo adhaerent per extremitatem columnae vertebralis, nates, os sacrum et coccygem ;

B. Duplicia *inaequalia,* scii. :

1) *synccphalia,* quae habent 2 pectora et 1 caput, inter quae *cephalathoracopagus* in quo duo coniuncta inveniantur ab umbilico ad verticem capitis. Rarissime adsunt duo capita cum duplici facie *(ianiccps)* ; ordinario una est factes completa, et vestigium alterius, sed cerebrum adest duplex, duplex quoque columna vertebralis, ita ut in medio pectoris coniungantur ;

2) *parasitaria,* v. g. : a) *epigastria,* quae ordinario habent solum pelvim et extremitates inferiores; aliquando tamen baptizanda, si adsit collum vel et caput;

b) *engastria,* quae sunt parasitae in ventre alterius;

c) *papiracea,* in quibus unus foetus comprimit alterum iam mortuum;

d) *epipygia,* quae alteri adhaerent in regione sacri et possunt habere intestina et extremitates;

e) *epignathia,* quae adhaerent super maxillam ut foetalis tumor. Patet omnia haec parasitaria non esse baptizanda.

Notetur antem praedictam enumerationem non esse completam.

sint homines, unus absolute baptizetur, cetera sub conditione. » Quod valet per se et regulariter.

2) In casu multiplicis monstri, si periculum mortis immineat tempusque non suppetat ut singula separatin'! baptizentur, poterit minister, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare dicendo : ego vos baptizo, in nomine, etc. Quod tamen extra periculum imminens non est licitum, cum tunc semper forma pro unoquoque sit repetenda (Rit. n. 20).

3) Obstetrix tacere debet de monstris, ne familiae displicentia causetur. Nec parentibus id imputet etiam sub levi culpa.

IV. Perpetuo amentes qui nunquam habuerunt usum rationis, statim baptizari possunt sicut infantes ; qui usum rationis habuerunt, baptizari possunt dummodo hanc intentionem habuerint saltem implicitam. Illi qui non in perpetuum sunt amentes, baptizari debent in lucido intervallo, nisi in casu extremae necessitatis (can. 754).

Quaestio Sexta

DE REBAPTIZANDIS SUB CONDITIONE.

I. Potest et debet Baptismus repeti sub conditione, quoties adest aliquod dubium positivum, serium et prudens (in rationibus alicuius gravitatis, non in scrupulis fundatum), non spernendum, de eius valore, v. g. ut semper fit ouando Baptismus in utero fuit collatus, capite nondum emisso (can. 746 § 2 et 5) ; secus iterari non potest sine peccato gravi. In primo casu enim lex charitatis procurandi salutem aeternam praevalet legi religionis quae v^tat sacramentum exponere nullitati; in secundo casu, sacrilegium est sacramentum ministrare incapaci.

Quae principia, propter practicum in sacro ministerio rei momentum, non solo Baptismati a persona laïca, in ne-

ÆÎtate ex eventu embryologico aut ob aliud periculum, ministrato; sed, ut plenius patefiant, universim omnibus variis aliis casibus occurrentibus, placeat applicare.

II Secundum principia enuntiata per se non sunt rebaptizandi pueri ab obstetricibus, medicis, laïcis baptizati; at in praxi saepius sunt rebaptizandi, quia suspicio quaedam adest generatim, nisi testimonium baptizatoris testimonio testium excultorum confirmetur, etiam unius omnino fide digni, aut nisi ipse sit omnino fide dignus. Ubi ergo persona omnino seria, etiam mera obstetrix ; quae sit fide digna, circumspecta, et in ritu baptizandi instructa, asseret infantem a se rite baptizatum esse, non esset cur de valore Baptismi serio dubitaretur; non facile tamen fidendum declarationibus obstetricum quia non audent fateri se male baptizasse ne amittant fiduciam parentum, vel quia agitationis causa aut aliquando et ebrietatis sui compotes hoc momento non fuerunt.

De tali Baptismo est instituendum examen, nisi quis certus sit se ad certitudinem pervenire non posse, vel cognoscat modum agendi baptizatoris esse dubium, vel parochus qui rem examinavit aut alius fide dignus testetur Baptismata collata habenda esse dubia, etc. In quo examine interrogandum :

a) quis baptizaverit et in quibusnam adiunctis : si enim Baptismum contulit persona quae anxia, perturbata et perplexa esse solet, vel si Baptismus collatus fuit a prudenti, at in adiunctis difficilioribus, in quibus ob repentini casus periculum omnia festinanter et perturbate agenda erant, facilius est dubitandi locus;

b) quam formam pronuntiaverit, et an vocaliter pronuntiaverit, et non solum mente;

c) quam et quantam aquam et ubi effuderit;

d) num simul formam protulerit et abluerit;

e) quam intentionem habuerit (1).

III. Sub conditione baptizandi sunt pueri expositi, etiamsi apponatur schedula attestans ipsorum Baptisma, nisi certa notitia habeatur personae a qua schedula scripta sit, vel nisi indicet quisnam baptizaverit. Unde can. 749 : « Infantes expositi et inventi, nisi re diligenter investigata, de eorum Baptismate constet, sub conditione baptizentur ».

IV. Qui inter Christianos est educatus et non habet testimonium Baptismatis, scriptum vel orale, *generatim,* censeri potest et praesumitur baptizatus in regione ubi omnes omnino baptizantur. Si tamen serium dubium (ex positivis indiciis)propter aliquam circumstantiam oritur, v. g. quia parentes indifferentes vel négligentes, vel vagabundam aut omnino turbatam duxerint vitem tempore nativitatis, etc., baptizetur sub conditione.

V. Examen instituendum est, episcopo consulto, de Baptismo collate ab haeretico vel schismatico.

Quodsi 1) iudicatus fuerit validus, non renovatur sed recipitur abiuratio seu professio fidei coram 2 testibus, et datur absolutio a censuris in foro externo ab episcopo vel a clerico ad hoc specialiter delegato, et ministratur sacramentum Poenitentiae.

2) Si Baptismus fuerit invalidus, rursus conferatur absolute (2), et nulla fit abiuratio, nec fit confessio, nec datur absolutio.

(1) Praecipue examen erit de materia et forma, quia recta intentio praesumitur, nisi specialis sit ratio dubitandi.

(2) Ita in ordine ad receptionem in Ecclesiam ; nam ut notat Noldin, Th. M., III, n. 75, in casu matrimonii mixti Baptismus non repetitur sub conditione, si quis in haeresi manere vellet : in ordine ad matrimonium enim non requiritur certitudo de valore Baptismi suscepti (S. Off. 13 april, 1878).

3) Si Baptismus dubius sit, vel si nulla inquisitio instituі aut circa valorem sacramenti nihil resciri possit, est praesumendus dubius et iterandus sub conditione. (S. Off. 20 nov. 1878). Quo casu hic ordo est servandus :

a) abiuratio seu professio fidei, cum absolutione a censuris in foro externo (pro puberibus) ;

b) auditio peccatorum, et excitatio ad contritionem;

c) Baptismus conditionatus ;

d) confessio summatim iterata et absolutio conditionata (Instr. S. Off. 20 iul. 1859 et 2 dec. 1874).

VI. Epilogus. Haec sunt certissima principia tutissimaque praesidia, quae sacramentorum ministris ante oculos ponit et inculcat mater nostra, Ecclesia. In decursu saeculorum, ut moralitatis et iustitiae vindex, tuita est vitam humanam; at multo magis de hominum vita aeterna, indefectibiliter, ut optima mater, se ostendit sollicitam. Cuius doctrinae memores, salutiferisque principiis innixi, omnis etiam parvissimae Dei creaturae saluti invigiles, quantum ipsorum est laborabunt sacerdotes in aedificationem corporis Christi et efflorescentiam regni Dei.

Appendix.

DE CONCEPTIONE POST STUPRUM IMPEDITA.

Doctrinam supra expositam de illicita expulsione seminis a femina violata (1), iam tradidimus scribendo « *Quaestiones de Castitate et Luxuria.* » (2)

Cuius opusculi laudem *Ephemerides Theologicae Lovanienses* (lan. 1927) magna cum benevolentia pronuntiare voluerunt, simul tamen restrictionem ponentes quoad doctrinam indicatam, quam vocant obscuriorem et quam valde dubiam videntur habere.

Ut autem obscuritas et dubium, quantum fieri possit, de medio tollantur, animadversiones criticas cl. recensons sequentibus considerationibus illustrare nobis liceat.

Inter alia quaerit

1) an expulsio seminis durante actione copulae sit possibilis,

2) an aequiparanda sint ovulum fecundatum et semen ante fecundationem,

3) an probanda sit formula : « semen iam est in pacifica possessione loci proprii », quae sapit anthropomorphismum qui in praesenti non est ad rem,

4) an modus exercendi onanismum, impediendo conceptionem per enecationem spermatis, sit peccatum contra iustitiam? Cum enim nondum adsit persona humana, non adest ius, nec proinde violatio iuris nec iniustitia.

Respondemus : 1) cl. professorem forsitan in legendo

(1) Vide I, q. V, art. 4, pag. 43-44.

(2) Q. 3- a. 2, an. 2, pag. 38-39·

passum esse distractionem; non diximus licitum durante copula semen *expellere,* sed scripsimus *repellere;*

2) aequiparanda esse ovulum fecundatum et semen, quia utrumque, magis vel minus proxime, est via ad hominem. Sane eiicere embryonem aut ovulum fecundatum non solum illicitum est quia *probabiliter* iam est animatum anima rationali. Etiam ab illis qui animationem tardiorem admiserunt, id habitum fuit illicitum, quia impeditivum generationis humanae. Et idem principium videtur valere de semine, quod est *homo in potentia,* ut ait S. Thomas, Q. D. de Malo 15, a. 2 (1) ;

3) omnino decet vitare anthropomorphismum et uti modis loquendi propriis; sed ita responsum dedimus illis qui semen habent ut iniustum aggressorem, quod magis est anthropomorphicum ;

4) iustitia est ad alterum; id autem a cl. professore intelligitur : ad alterum individuum humanum. At

a) adest quoque iniuria erga societatem humanam, imo iustititia legalis prima est inter species iustitiae. Omnis autem luxuria est contra bonum commune societatis humanae, et hac ratione est mortale peccatum;

b) esse iniuria potest non solum erga alterum hominem, sed etiam erga Deum. Ipse nobis dedit dominium in cunctas res exteriores; non autem in vitam humanam, nec in corpus nostrum, sed solum usum (secundum naturam rei et ad mentem Creatoris) ; unde suicidium est peccatum contra iustitiam. Hac ratione etiam luxuria continet iniustitiam erga Deum. « Ex eo, ait S. Thomas (II-II, q. 153, a. 3, ad 2), quod aliquis inordinate suo corpore utitur per luxuriam, *iniuriam* facit Deo, qui est principalis dominus corporis nostri ». Nam « ordo naturae est ab ipso Deo. Et ideo in peccatis contra naturam, in quibus ipse ordo natu-

(i) Imo addit S. Doctor : « inordinatio circa emissionem seminis est circa vitam humanam *in potentia propinqua* ».

rae violatur, fit iniuria ipsi Deo ordinatori » (ib. q. 154, a. 12, ad. 1).

Si autem ius et dominium in vitam aut in corpus humanum non habemus, nec habemus in foetum qui est via ad humanum corpus et vitam, nec in semen quod nihil aliud est ac principium vitae.

Unde omnis actus quo de illis disponimus est iniustitia erga Creatorem et societatem humanam (1).

Ephemerides Lovanienses modum nostrum loquendi et argumentandi magis impugnarunt, quam ipsam thesim de illicita expulsione seminis a femina violata, cum recenter declaraverint (oct. 1927, p. 653) constare ex iis quae dixerimus id esse peccatum contra naturam. Ulterius autem progressa sunt *Collectanea Mcehliniensia (* maii 1927) : « Cum moralistis optimae notae, aiunt, dicendum est mulierem oppressam posse semen ante conceptionem expellere. Quod si applicanda esset huic casui ratio ab auctore allata : *opus naturae abrumpere est illicitum,* nec posset mulier se agitare, causando ita effusionem seminis, nec unquam liceret abrumpere copulam, nam et tunc opus naturae est inceptum ».

R. Sedulo distinguendum est opus naturae, quod sine cooperatione hominis et independenter a libera voluntate perficitur, et opus voluntarium hominis : hoc ultimum, quatenus est malum, est impediendum, quantum possibile est, et cessandum, et si est bonum, licite potest abrumpi propter rationem proportionate gravem ; illud autem abrumpere et impedire est peccatum contra naturam. lamvero copula carnalis non est opus naturae, sed opus voluntarium hominis; finita autem copula incipit opus naturae, quo semen in vagina receptum propriis viribus se

(i) Eadem doctrina exponitur in opusculo generatim, etiam a cl. recensore, sine restrictione laudato : Duynstee, C. SS. R., *De Leer der Kuischheid.*

moveat ut corpus mulieris magis penetret. Ergo copula finita intervenire ad impediendum opus naturae est illicitum ; — sed opus hominis, nempe copulam, si sit stupratoria, interrumpere aut impedire ne semen recipiatur est licitum; et etiam coniugalem abrumpere licitum est propter rationem proportionate gravem. Aut si tunc opus naturae iam dicatur inceptum, ita tamen non abrumpitur quatenus est opus naturae, cum semen receptum non expellatur ; sed quatenus est opus voluntarium hominis, ne ipsa copula continuetur. Et sic omnia logice concordant.

Et quamvis in casu aliqui auctores licitum esse semen expellere dixerint *probabile,* eo quod existimaverint semen considerari posse ad modum iniusti aggressoris; quia tamen haec ratio nullius est valons, etiam probabilitas eorum sententiae evanescit.

En quod nobis videtur verum. Semen itaque, totum quantum est, unice existit propter generationem ; ergo illicitus est quicumque usus seminis ad alium finem et generationis impeditivus.

Et sicut omne mendacium non solum intrinsece sed et *essentialiter* est malum quia contra naturam sermonis, qui non existit nisi ad exprimendos mentis conceptus; ita omnis emissio seminis generationis impeditiva, quia est contra naturam seminis quod non est nisi ad generationem.

Et inde intelligitur cur omnis directa expulsio seminis, extra illam quae fit in copula carnali, quocumque modo et quacumque de causa procuretur, ac proinde omnis quoque fecundatio artificialis proprie dicta, sit essentialiter illicita, quia actio quantum est *de se, ex natura sua et ex modo quo fit,* ita proiicit semen ut generatio naturaliter impediatur; licet per accidens, ex *alia actione consequenti,* huic defectui obviari possit et semen ad generationem ordinari et ita *artificiali modo* ad istam conferre.

Principium in tota sua universalitate et sine ulla limitatione ponit S. Thomas, l. III, c. Gent, c. 122 : « Est bo-

num uniuscuiusque quod finem suum consequatur; malum autem eius est quod a debito fine divertat. Sicut autem in toto, ita et in partibus considerari oportet, ut scii, unaquaeque pars hominis, et quilibet actus eius finem debitum sortiatur. Semen autem, etsi sit superfluum quantum ad individui conservationem, est tamen necessarium quantum ad propagationem speciei; alia vero superflua, ut egestio, urina, sudor et similia, ad nihil necessaria sunt; unde ad bonum hominis pertinet solum quod emittantur, non solum autem hoc requiritur in semine, sed ut emittatur ad generationis utilitatem, ad quem coitus ordinatur... Ex quo patet quod contra hominis bonum est *omnis emissio seminis tali modo quod generatio sequi non possit; et si ex proposito hoc agatur, oportet esse peccatum.* Dico autem modum ex quo generatio *sequi non potest secundum se,* sicut *omnis seminis emissio sine naturali coniunctione maris et feminae;* propter quod huiusmodi peccata contra naturam dicuntur ».

INDEX.

QUAESTIONES PASTORALES

QUAESTIONES
DE
EMBRYOLOGIA
ET DE
STERILISATIONE

EIUSDEM AUCTORIS.

QUAESTIONES PASTORALES.

I. Quaestiones de Castitate et Luxuria, editio quarta, 130 p.

II. Quaestiones de Embryologia et de Ministratione Baptismatis, A. Series prima, editio altera, 88 p.

III. Quaestiones de Variis Poenitentium Categoriis, editio altera. 187 p.

IV. Quaestiones de Poenitentiae Ministro eiusque Officiis, editio altera, 137 p.

V. Quaestiones de Partibus Poenitentiae et Dispositionibus Poenitentis, 172 p.

VI. Quaestiones de Variis Peccatis in Sacramentali Confessione Medendis, 155 p.

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS.

I. De Principiis, editio altera, 1 vol. in-8° 786 p.

II. De Virtutibus moralibus, editio altera, 1 vol. in-8” 1029 p.

III. De Sacramentis, editio altera, 1 vol. in-8° 1024 p.

Ius proprietatis auctor sibi vindicat.

LA PENSEE CATHOLIQUE
association sans but lucratif
est une œuvre d'enseignement
religieux, moral et social.

Quæstiones Pastorales

========= ip.s ——

QUÆSTIONES
DE
EMBRYOLOGIA
ET DE
STERILISATIONE

QUAS IN UTILITATEM CLERI

RESOLVIT

Pater fr. Ben. H. MERKELBACH O. P.

S. *Theol. Mag. et D*r.

B. SERIES ALTERA.

MYRON PLEKON

La Pensée Catholique, Liège (Belgique) 38 Quai Mativa
PARIS (6e) : Maison Casterman, 66, Rue Bonaparte
AMSTERDAM : N. V. De R. K. Boek-Centrale
PADERBORN : Verlag Ferdinand Schôningh
TORINO-ROMA : Casa éditrice Marietti
LONDON, W. C. 1: B. HERDER
MONTREAL : Granger Frères
MADRID : Editorial Voluntad
MCMXXXVII

Nihil obstat :
Bruxellis, 5 Aprilis 1937
Fr. B. M. Bonte, S. Th. L.
Lovanii. 3 Aprilis 1937
Fr. H. M. Bisschop, S. Th. L.

Imprimi potest :
Fr. J. M. Massaux
Provincialis S. Rosae
Bruxellis, 8 Aprilis 1937

Imprimatur :
Leodii 10 Aprilis 1937
G. Simenon, Vic. Gen.

BENEVOLO LECTORI.

Edidimus, aliquot abhinc annis, « Quaestiones de Embryologia et de Ministratione Baptismatis »; quarum altera editio prodiit anno 1928. Ab hoc tempore novae quaedam quaestiones exortae sunt; aliae vero diversimode propositae, novis considerationibus illustratae, profundius investigatae fuerunt ac novis argumentis munitae. Praeterea quaestio de sterilisatione, quae est materia quadantenus connexa, speciale momentum obtinuit. Unde non ingratum videtur, si de istis omnibus iudicium modeste proferamus, atque opportuna monita, in ordine ad praxim pastoralis ministerii. Quare hoc novum scripsimus opusculum sub titulo : « Quaestiones de Embryologia et de Sterilisatione : series altera ».

Cum autem inutile sit, saltem in pluribus, iam dicta repetere, ea quae in praecedenti explicuimus opusculo supponimus in praesenti libello, sed plura addimus, ita quod prius opusculum sit alterius necessarium fundamentum, et hoc alterum habeatur tamquam necessarium complementum prioris : sic ut nec unum sine altero perfecte intelligi possit.

Quapropter, optime confrater, pari benignitate utrumque digneris accipere.

AUCTOR.

De Embryologia

I. Embryologia est scientia satis recens

Anno 1600 scripsit Fabricius ab Aquapendente librum *De formato foetu,* et quatuor annis postea, alium *De formatione foetus.*

Anno 1651 statuit Harvey principium: Omne vivum ex vivo, sed putabat ovum in pariete uteri formari sub actione spermatis. Scripsit opus *De Generatione animalium exercitationes,* in quo describit embryon 2 dierum incubationis.

Anno 1672, Regnerus de Graaf in mammiferis invenit ova, ut ait, seu potius vesiculas ea continentes. Hinc principium : Omne vivum ex ovo, exponit in libro *De mulierum organis generationi inservientibus.*

Van Leeuwenhoeck (vel forsan ipsius discipulus L. Hamm) anno 1677 invenit nemaspermata : semen virile non est merus liquor sed filamenta continet mobilia.

Cangiamila, anno 1745 italice, anno 1758 latine et extensius, celebre edidit opus : *Embryologia sacra;* anno 1755 scripsit Wolff de *Theoria generationis.*

Anno 1827 von Baer invenit ovulum humanum, et in opere De *ovo animalium et hominis genesi,* describit ovum, vitellum, membranam vitellinam. Semen constat quasi animalculis, quae ad instar animalium capite constant et cauda ac se movent : haec vocat zoospermata seu spermatozoida.

Prévost et Dumas, anno 1824, demonstrant interventum

1 Cfr. Miller, *Embryology,* ed. 4°, New-York, 1921.

nemaspermatum in fecundatione. Circa idem tempus, vesicula germinativa inventa fuit a Coste et Purkinje (1834), et macula germinativa a Wagner (1836).

Ab anno 1840. plures ut Pander, Kôlliker, Reichert applicant theoriam cellulariam. Ipse Kôlliker et Virchow (anno 1855) ponunt principium : Omnis cellula ex cellula, omnis nucleus ex nucleo. Anno 1841 Kôlliker originem invenit zoospermatum, ex transformatione scii, cellulae testicularis, sed putat esse cellulas incompletas; anno 1865 Schweigger et Le Valette asserunt esse cellulas completas.

Anno 1843 Barry invenit sperma in ovulo, non ut agens in distans, sicut putabat de Graaf; anno 1879 Fol detexit eius penetrationem in ovulum, anno 1861 Gegenbauer ostendit ovulum esse veram cellulam.

Ita omnia elementa essentialia foetui efformando iam sunt scientifice nota.

lamvero embryologia investigat formationem embryonis, et omnes phases quas in sua evolutione foetus percurrit usque ad perfectam nativitatem.

II. Quaestiones morales et pastorales de embryologia pertinent per se ad materiam iustitiae, per accidens quandoque ad materiam castitatis : per se scii, ad quintum decalogi praeceptum; per accidens, v. g. quando fit operatio ad impediendam conceptionem seu generationem, etiam ad sextum.

Ut autem intelligi valeant, oportet habere notiones scientiae physiologicae sufficientes, de modo quo foetus formatur et evolvitur in utero materno, ibi vivit et ex eo enascitur. Quas breviter exposuimus in opusculo *Quaestiones de Embryologia et de Ministratione Baptismatis,* I, q. 1.

Ad quaestiones autem solvendas, oportet recurrere ad quaedam principia theologica, quae in memoriam revocavimus in dicto opusculo, I. q. 2.

Operationes et incisiones aliae fiunt tempore praegnationis aut partûs, atque proprie et immediate ipsam respiciunt embryologiam; aliae anteriore tempore fiunt ad praegnationem et partum impediendum, quae uno nomine vocari possunt sterilisationes. Hinc dicemus :

I. De operationibus tempore praegnationis aut partûs, speciatim :

1) De sectione caesarea aliisque incisionibus quae laedunt matrem;

2) De embryotomia seu de incisionibus quae laedunt foetum;

3) De procuratione abortûs, quae agit in matrem simul et foetum;

4) De operationibus circa foetus ectopicos.

II. De Sterilisatione, speciatim :

1) De moralitate sterilisationis privatae;

2) De moralitate sterilisationis potestate publica imponendae;

3) De cooperatione ad sterilisationem.

Quibus accedet appendix de sterilisatorum matrimonio.

I. DE OPERATIONIBUS TEMPORE PRAEGNATIONIS AUT PARTUS.

QUAESTIO PRIMA.

De Sectione Caesarea aliisque incisionibus quae laedunt matrem.

I. Plures sunt operationes quae matrem laedunt in hunc finem, ut foetus edi possit, vivere et baptizari, quas indicavimus in praecedenti opusculo A, *De Embryologia* I, q. 3, η. I, et quarum notissima est Sectio caesarea. Quae potest fieri viva matre, vel matre mortua, et de ea quaeritur an sit licita, vel et obligatoria.

II. Viva matre, sectio caesarea :

1° Per se *licita* est, si foetus sit vitalis, et nullo alio modo partus obtineri possit; — nisi ob debilitatem matris vel alias circumstantias, v. g. propter infectionem aut operatoris imperitiam, sit occisiva matris; ut exposuimus in dicto opusculo A. q. 3, η. II. Quod etiam valet de operationibus similibus.

2° Est etiam *obligatoria,* ita ut mater eam subire teneatur, si salus matris et infantis ope sectionis prudenter sperari possit; et quidem

a) non ad servandam vitam foetûs, quia nemo tenetur exponere vitam propriam pro vita alterius;

b) *forsan* vero ad servandam vitam propriam, quia hodie, ob progressum artis chirurgicae, talis operatio plerumque non potest censeri medium valde extraordinarium;

c) sed certo ad baptismum conferendum infanti, qui aliter baptizari non posset : unusquisque enim tenetur praeferre salutem aeternam proximi vitae suae temporali, et exponere vitam suam pro salute aeterna proximi.

Raro tamen in praxi obligatur mater, quia saepius potest

* Primum quem *de Embryologia ct de Ministratione Baptismatis* scripsimus libellum, in posterum citamus sub nomine : opusculum A; dum praesens libellus *de Embryologia ct de Sterilisatione* venit sub nomine : opusculum B.

infans aliter baptizari, aut saltem adest seria spes illum aliter baptizandi. Quae late exposuimus in opusc. A. q. 3, η. III.

Principia clara sunt, sed nihilominus quamdam obtenebrationem sunt passa.

Quidam scripserunt : practice numquam esse obligationem pro matre viva : non quidem ad vitam temporalem foetûs; nec etiam ad baptismum et salutem aeternam, quia secus deberet *certum* esse aliter salvari non posse, et ita *certo* salvari. Ita laxius dixerunt nonnulli theologi : Génicot, Th. M., II. η. 144; Noldin, Th. M., II, η. 344; Cappello, *De Sacramentis,* I, η. 165, et quidam alii; unde negant obligationem aut saltem dubitant de ea in praxi.

At a) non requiritur hac in re certitudo absoluta, sed sufficit esse moraliter certum; b) etiam non requiritur ut operatione certo salvetur infans, sed ut adsit seria probabilitas, probabilis spes eum salvandi. Ita secundum regulas tradi solitas in tractatu de charitate, ubi de auxilio ferendo in extrema necessitate spirituali. Hinc P. Schmitt id emendavit in recenti editione 20" operis Noldin; et P. Salsmans, in 12" editione operis Génicot, restrictionem ponit addens : in casu quodam extraordinario urgeri debet sententia plurium opinantium esse obligationem pro matre, ubi scii, nulla alia probabilitas esset baptismi conferendi.

Etiam in aliquot libellis seu tractatibus indolis practici, lingua vernacula conscriptis, quae in nostris quoque regionibus circumferuntur, quandoque proponitur sententia laxior medicis et obstetricibus, atque spargitur in populum, scii, practice non esse aut fere numquam esse caesaream operationem obligatoriam; et quidem insistendo huic uni puncto et de aliis silendo, ac si de facto nulla esset obligatio. Ita facile oriuntur errores. Revera non est silendum, quia sunt casus in quibus adest vera obligatio; et nunc diceretur medicis, obstetricibus aliisque de ea non esse curandum eamque practice non existere ! Sane non extendendae obligationes, non imponendae incertae, sed nec minuendae obligationes aut negandae. Agitur de re gravissimi momenti, nempe de salute aeterna proximi. Magnum sane malum privari visione Dei beatifica per aeternitatem.

Ergo, dicunt, est matribus sectio imponenda ? Consulenda certo; sed prudentia suadet generatim ne illam imponamus, nisi tamen matres dubitando interrogent de sua obligatione : tunc debemus fateri veritatem. At aliud est - dicere matri : adest obligatio, quod prudenter tacemus; aliud dicere medicis,

obstetricibus aliisque : non est obligatio, quod veritati contrarium est.

III. Mortua matre, sectio caesarea facienda est quamprimum, ex praescripto Ritualis, quod per saecula proclamavit, tit. II, c. 1 : « Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur ac si vivus fuerit bapizetur ». Consonat can. 746, § 4.

A. *Obligatio urget* dummodo tres adsint conditiones :

1° mater moraliter certo mortua fuerit;

2° probabile sit quod foetus vivat, ut generatim est quarto mense incepto, praesertim si mater subito aut celeriter mortua fuerit, nisi graves adsint rationes existimandi foetum ante matrem aut simul cum ipsa periisse;

3° et quis idoneus sit ac peritiam sufficientem habeat ut sectionem sine foetus periculo facere possit.

B. Obligatio a) *incipit* a momento, moraliter certo, mortis matris, et b) *perdurat* usque ad mortem moraliter certam infantis. Cum autem difficillimum sit habere certitudinem absolutam mortis, non merae possibilitates vitae sunt attendendae, aut tenues probabilitates, sed agendum secundum prudentem et verisimilem aestimationem ex signis communibus; certum tamen est quod foetus non solum per semihoram, verum etiam per horam, imo per plures, raro tamen per dies, possit matri supervivere, ob circulationem sanguinis a circulatione matris independentem.

C. Obligatio per *se urget omnes,* ex praecepto charitatis, qua omnes tenemur de salute aeterna infantis curare, etiam cum maximo incommodo; et si foetus sit vitalis, etiam tenemur de vita temporali curare : imprimis urget medicum, tunc obstetricem vel alium peritum; maritus vero, proximi, sacerdos debent petere sectionem et alios inducere ut illam faciant.

Per *accidens obligatio non urget :*

1) Si quis non habeat sufficientem peritiam; quam ceteroquin nullus antea tenetur acquirere ac artem seu modum addiscere faciendi sectionem, quia ad satisfaciendum praecepto nullus tenetur media adhibere remote, scii, quando praeceptum nondum urget.

2) Si nulla sit probabilitas quod foetus vivat. Hinc obligatio non urget tribus prioribus mensibus graviditatis, quia tunc foetus fere semper mortuus est, vel saltem valde incertum est an vivus evadat.

3) Si maxima mala timenda sint, ut grave scandalum, oblocutiones, odium et calumniae inimicorum religionis, imo persecutiones : magis enim vitandum grave scandalum multorum quam procuranda salus unius infantis. Propter huiusmodi rationes, ac insuper ob indecentiam et frequentem imperitiam *ordinario* non tenetur sacerdos, et in hoc sensu intelligenda sunt decreta S. Officii, 15 feb. 1780, et 13 dec. 1899; regulariter tamen debet alios de obligatione monere eosque ad eam faciendam inducere, nisi graviora timenda sint incommoda.

Non excusat prohibitio legis, aliis praeter medicos facta, etiam sub poena incarcerationis, quia charitas in extrema necessitate spirituali obligat etiam cum tali incommodo; at potest esse ratio tacendi, non iubendi, aut non invitandi. In tali casu sacerdos dicat proximis matris defunctae, ut sectionem a medico petant vel et exigant.

Obtenebrationem quoque subiit, apud nonullos, haec generalis omnium obligatio, imo :

1° Quidam etiam invocant codicem iuris canonici, qui videtur negare obligationem esse penes omnes, cum can. 746, § 4, dixerit : « Si mater praegnans mortua fuerit, foetus *ab iis quos spectat* extractus, si certo vivat baptizetur absolute; si dubie, sub conditione ».

Resp. Est modus loquendi generalis indeterminatus, quam codex eligit, quia non vult in particularitates descendere, et definire quinam de facto teneantur. Per se scii, tenentur omnes, sed per accidens fieri potest quod aliquis non teneatur.

Aiunt : sermo codicis indicat non omnes teneri per se.

Resp. Codex non potest mutare legem naturalem aut charitatis, quae de se ligat omnes, nec evidenter est eius intentio; imo etiam si ipsius intentio esset non urgendi hanc legem in foro externo, ipsa tamen subsisteret in foro conscientiae. At ista non est eius intentio; sensus codicis aeque bene potest esse : non omnes *de facto* teneri, seu rem non spectare omnes *de facto.* Sed modus loquendi est aliquatenus aequivocus, qui ansam praebere potest cuidam haesitationi, vel quaestioni ponendae.

2° Pariter in libellis, quae circumferuntur, et tractatibus practicis, minuitur obligatio, eam reducendo ad circiter semihoram a morte matris, et consilium praebendo consanguineis et obstetricibus *generatim* abstinendi ab operatione. Haec dicta sunt in detrimentum veritatis.

QUAESTIO SECUNDA.

De Embryotomia
seu de incisionibus quae laedunt foetum.

I. Embryotomia generali nomine designat omnes operationes chirurgicas, quae infantem in utero concidunt eumque in partes dividunt ut extrahi possit.

Variis modis diversis operationes istae fieri possunt, quos indicavimus in anteriore opusculo A. De *Embryologia,* I, q. 4, η. I.

Quaerimus in praesenti de earum liceitate.

II. Historia quaestionis de foeticidio. Olim, cum generatim putarent foetum non animari ab initio, facilius quibusdam poterat esse dubium de liceitate laedendi vel eiiciendi foetum nondum animatum anima rationali. Nunc autem difficilius, quia multi tenent ita animari ab initio. Id quidem certum non est sed etiam homicidium probabile est vitandum : ita v. g. qui dubitat num homo vel fera sit id quod se movet in silva, non potest illud laedere vel occidere, quia non potest se exponere periculo occidendi hominem. At etiam, si foetus certo nondum animaretur anima rationali, esset illicitum, quia foetus tunc est homo in potentia propinqua [2], et non animatus ordinatur ad hominem formandum, unde eius eiectio vel occisio est homicidium aequivalens : tendit enim ad privationem vitae humanae et est contra naturam generationis.

Nihilominus, non solum medici, sed etiam quidam theologi putarunt licitum esse in quibusdam casibus foeticidium, quando non est possibile aliter salvare matrem, et praesertim quando secus uterque, ét mater ét foetus, periret. Ad quod defendendum varia adduxerunt argumenta : a) Necessitas taliter agendi ad vitandum maius malum, b) Est enim, in casu quo ex ipsa graviditate sequitur in matre periculum mortis, infans aggressor vitae eius, et quidem materialiter iniustus; ergo sicut licitum est ebrium vel amentem aggredientem occidere, ita et foetum qui sit causa mortis pro matre, c) Eo vel magis quod in conflictu iurium debet prae-

[1] Cfr. Opusc. A. *De Embryologia,* II, q. 4, η. I.

[2] Ita iuxta modum loquendi S. Thomae, Q. *D. de Malo* 15, a. 2.

valere ius validius; ius autem matris ad vitam plus valet quam ius infantis, quia mater est magis necessaria; unde et infans si cognosceret, cederet iure suo, cum ad id rationabiliter teneretur, d) Ceteroquin non est occisio, sed acceleratio mortis, si infans nihilominus moreretur cum matre; non occiditur, sed mater tantum cessat a conservanda prole : non autem tenetur mater conservare foetum cum periculo propriae vitae, e) In casu itaque non est occisio directa, quia non est intenta, sed indirecta, cum solum praeter intentionem sit ex necessitate facta, ad defensionem vitae matris.

Id nonnulli theologi docuerunt, saltem ut probabile : quidam de abortu, etiam pauci de embryotomia, v. g. Ballerini,[1] Avanzini, Constantini, et quidam alii, praesertim in Italia. Sed longe plures contrarium tenuerunt.

S. Officium, de hac re interrogatum, respondit 28-31 maii 1884, liceitatem craniotomiae tuto *doceri* non posse; et 14-19 aug. 1889 illud responsum extendit ad quamcumque operationem directe occisivam foetûs vel matris gestantis. Cum autem tantummodo dixerit « tuto doceri non posse », respondens quaestioni sibi propositae : « an tuto doceri possit ? », id a quibusdam restrictive fuit interpretatum de securitate doctrinae, non de liceitate operationis, quia non dixerit « tuto fieri non posse »;[2] hinc ad quaestionem « utrum huiusmodi operatio *instaurari* tuto possit ? » responsum fuit : *negative,* 24 iul. 1895. et quidem iuxta alia decreta, supra citata.

Nihilominus pergunt medici hoc putare licitum, in casu satis raro quo aliter non posset salvari mater, vel si uterque secus moreretur, mater et infans. Imo, in praxi, nonnulli medici id etiam faciunt, si mater aliter servari posset, sed quia facilius est. Dicunt non esse foeticidium, sed indicationem medicam vel therapeuticam.

Pius XI in encyclica *Casti connubii* 31 dec. 1930 id impugnat, atque refellit quae afferri solent argumenta : « Quod attinet ad *indicationem medicam et therapeuticam* — ut eorum verbis utamur — iam diximus, V. F., quantopere nos misereat matris, cui ex naturae officio gravia imminent sanitatis, imo ipsius vitae pericula : at quae possit umquam causa valere ad ullo modo excusandam directam innocentis .necem ? De hac enim hoc loco agitur. Sive ea matri infertur sive

1 Vide *Adnotationes ad Gary,* I, n. 402-403, ubi varia notat; et *Opus Theologiae Moralis,* II, n. 910 sq.

’ Tuto i. e. sine periculo erroris; at quod exponit errori, aiunt, posset esse probabile et forsan verum.

proli, contra Dei praeceptum est vocemque naturae : Non occides ! [1]. Res enim aeque sacra utriusque vita, cuius opprimendae nulla esse umquam poterit ne publicae quidem auctoritati facultas. Ineptissime autem haec contra innocentes repetitur e iure gladii, quod in solos reos valet; neque ullum viget hic cruentae defensionis ius contra iniustum aggressorem (nam quis innocentem parvulum iniustum aggressorem vocet?); neque ullum adest extremae necessitatis ius quod vocant, quodque usque ad innocentis directam occisionem pervenire possit. In utraque igitur et matris et prolis vita tuenda ac servanda probi expertique medici cum laude enituntur; contra, nobili medicorum nomine et laude indignissimos se ii probarent, quotquot alterutri, per speciem medicandi, vel falsa misericordia moti, ad mortem insidiarentur ».

Et tamen encyclica, quis potuisset coniicere ? ansam praebuit interpretationi contrariae. Ita Dr. Riss in *Miinchener medizinische Wochenschrift,* 1931 : si uterque perire debet et omnia alia media fuerunt adhibita, tunc non est occisio intenta, non occisio directa in sensu encyclicae seu occisio ex malevolentia, quia non ad mortem insidiantur. Similiter Dr. Pestalozza, cel. professor, in *Osservatore Romano* 22 ian. 1931 conscripsit articulum *Dopo 1'enciclica sui matrimonio cristiano : la parole de la scienza,* in quo proferuntur quaedam responsa celebriorum gynecologorum Italiae ad quasdam quaestiones. Inter quos ipse Pestalozza dicit : ex progressu scientiae medicae mox non erit amplius quaestio de abortu medicali; hodie tamen adhuc casus rarissimi sunt in quibus est necessarius, si graviditas necessario et post breve tempus tendit ad mortem matris et foetûs. In hoc casu abortus non cadit sub codice poenali italico, quia non adest dolus, ergo non crimen. Praesumerem ita quoque esse pro conscientia Christiana, quia in casu *non est occisio directa innocentis, sed sola liberatio feminae* a morbo qui etiam infanti mortem afferret. Qui ita ageret, non moveretur, ut ait Pontifex, falsa misericordia, sed profunda convictione scientifica et certitudine saltem salvandi matrem.

Cui respondit P. Dr. Gemelli, rector Universitatis Mediolanensis. in *Osservatore Romano* 28 ian. 1931 : *Dopo 1'enciclica sui matrimonio cristiano. Necessarie precisazioni.* Nihilominus in congressu societatis italianae « di Ostetricia a Ginecologia », Mediolani habito 18-20 oct. 1931, iterum

1 Exod. XX. 13; cfr. Dccr. S. Offic. 4 maii 1898, 24 iul. 1895. 31 maii 1884.

Pestalozza liceitatem operationis in hoc casu defendit, quia non tendit ad directam occisionem innocentis, ut praesumit encyclica, sed finem habet salvandi matrem a gravissimo periculo, quod etiam secum traheret mortem infantis. Huic rursus contradicit Gemelli, et in hoc quidem merito.

III. Embryotomia et omnis operatio directe occisiva infantis est intrinsece mala et iniusta, ita ut nullo in casu, etiam indicationis medicae vel necessitatis, possit esse licita. *Certum* est. Constat :

1° *Ex decretis Ecclesiae* supra citatis, quae praecise sunt de casu quo, operatione omissa, mater et foetus perituri sint, et ea admissa, salvanda sit mater, infante pereunte; — et ex encyclica Pii XI *Casti connubii* quae explicite loquitur de casu indicationis. Nam a) hunc casum excludit omnino, dum ait : quae possit *umquam* causa valere ad ullo modo excusandam directam innocentis necem? b) affirmat agi de *directa* occisione innocentis; c) innititur in decretis S. Officii qui idem statuunt: d) confutat adversariorum argumenta petita ex iure gladii, ex defensione contra iniustum aggressorem, et ex necessitate extrema. Ergo nequit dici Pontificem apponere restrictionem et non damnare operationem in casu necessitatis, cum praecise de eo loquatur. Qui id audent affirmare, uni expressioni insistunt, et negligunt omnia praecedentia totumque contextum. Et licet existiment se non moveri falsa misericordia nec ad mortem insidiari, tamen misericordia illa, quae non est conformis rectae rationi et praeceptis legis naturae, est revera falsa; et quamvis insidiari ad mortem explicite non intendant, nihilominus id realiter faciunt.

2° Etiam *manifesta ratione :* Talis operatio directe laedit foetum, et mediante hoc efficit bonum matris; unde ille- qui eam exercet, necessario vult malum foetûs ut medium salvandi matrem. Id autem est contra principium : Non sunt facienda mala ut eveniant bona; seu intentio boni finis non potest actionem malam reddere bonam. Intrinsece mala scii, est actio, quae malum aut eius periculum intendit ut finem vel medium, actio quae ad nullum finem immediate tendit nisi ad malum. Si actio vel mala est in se vel solum effectum malum immediatum habeat, mala est etsi ulterius ordinetur ad bonum etiam maius. E contra, bona esse potest, si etiam procuret immediate effectum bonum proportionatum. Quod ita graphice proponi potest :

Mala est actio quae causât		*Bona est* actio quae causât
effectum malum	effra. malum.	effra. bon. proport”, scii, meliorem aut maiorem.
effectum bonum vel meliorem.		

Utilitaristae id non intelligunt. Toti sunt in effectu considerando : si idem effectus obtinetur, pro ipsis eadem erit actio moraliter. Alii toti sunt in consideranda intentione : si finis intentus est rectus, non curandum de mediis necessariis ad illum obtinendum. Ita medici plures. — lamvero, ad aestimandam moralitatem actionis, non tam considerandum est quid agens intendat vel quid efficiat, sed quid immediate agatur, et quo medio effectus obtineatur. Quodsi salus obtineatur actione mala vel mediante malo effectu, actio semper manebit illicita.

Dicunt : Ergo pereant homines propter principia [1]. — Resp. principium morale plus valet quam vita physica hominis, sicut bonum morale honestatis et virtutis plus valet quam bonum physicum. Imo si principium in quodam casu relinquatur, logice in multis aliis relinquetur, et tunc multa et maiora mala sequentur pro vita humana, etiam physica.

IV. Obiiciunt : Non est occisio directa sed indirecta. Nam 1° Mors infantis est praeter intentionem.

Resp. *Dist. :* est praeter intentionem seu finem extrinsecum agentis, *transeat;* praeter intentionem seu finem intrinsecum operis, *nego,* nam operatio de se et necessario ad mortem infantis terminatur.

2° Agens non vult hunc finem operis, sed ut merum medium ad alium finem.

Resp. Ad occisionem directam non requiritur ut operans reapse velit mortem ut finem, sufficit illam velle ut medium ad obtinendum alium finem.

3° Quando quis occidit aggressorem, non est directa occisio, quia mors est praeter intentionem, et tamen mors aggressoris est medium servandi vitam. Ergo a pari in casu.

Resp. Secundum S. Thomam, II-II, q. 64, a. 7, occisio aggressoris non est directa, quando non eligitur ut medium

[1] Germanice diceretur : *Das ist Prinzipenreiterei,* quod gallice reddi potest : *être à cheval sur les principes.*

;nl servandam vitam; sed adest actio : repellere aggressorem, cum duplici effectu : servare vitam aggressi, at cum periculo aggressoris. Ceterum ius ita defendendi se limitatur ad aggressionem: in casu autem foeticidii, nulla est aggressio foetûs.

4° Actio quae est causa per se mortis est directa occisio, quae est causa per accidens mortis est indirecta. Sed qui intendit solum servare matrem est causa per accidens mortis infantis. Ergo mors infantis causatur occisione indirecta.

Resp. Est aequivocatio. Dupliciter dicitur causa, et effectus, per se et per accidens : vel respectu intentionis voluntatis, vel ex parte operis. Hinc quamvis effectus, in casu mors, possit dici per accidens secundum intentionem voluntatis, nihilominus per se est quantum ad naturam operis, si opus natum sit illum unum effectum, scii, mortem, primo et per se producere. Id autem necessarium est, et sufficiens, ut occisio sit directa.

Alias obiectiones supra indicatas η. II, confutatas invenies in praecedenti nostro opusculo A. I, q. 4, η. II.

V. Occasio erroris fuit, tum opinio laxa quorumdam theologorum, tum modus parum accuratus loquendi et aequivocus de occisione directa et indirecta, sicut de causalitate directa et per se, indirecta et per accidens, qui ansam praebet errori

1 Ita v. g. Busembaum, apud S. Alphonsum, *Th. M„* l. III, n. 366 : « Non licet seipsum directe *et* ex intentione occidere » ac si duo elementa essent necessaria, etiam ipsa intentio. Item n. 393 : « *Directa intentione* et scienter nunquam licet occidere innocentem...; indirecte et per accidens licet,... dando operam rei licitae et necessariae ac tanti momenti, ut vitae aequivaleat ». Sequuntur explicationes satis rectae, sed definitiones ct propositiones *possunt* non recte intelligi : ita n. 394 : « qui *malitiose* in se vel altero curat abortum, peccat graviter ».

Ad hoc S. Alphonsus ait : Duplex est sententia. Utraque est probabilis, sed secunda (quae tenet directum abortum esse illicitum) est tutior in praxi amplectenda. Et animadvertit : « Ad quid enim sumere pharmacum directe ad expellendum foetum, cum possit et sufficiat indirecte expelli ? » Doctrina est recta, sed modus loquendi suggerit rem pendere ex intentione.

Etiam Billuart, *De lustitia,* diss. 10. a. 3 : « Peccatum est occidere seipsum directe et *ex intentione,...* indirecte, faciendo aut omittendo aliquid unde sequatur mors, licet *non intenta* » potest licite fieri, si adsit iusta et rationabilis causa illud faciendi vel omittendi ». Similiter .i 4: « Nulli... licet innocentem occidere directe *et ex intentione;*

Iuxta P. Vermeersch, triplex est acceptio causae, et effectus, per se et per accidens :

1" ex parte solius intentionis operantis, ut apud Ballerini

indirecte et praeter intentionem quandoque licere... ». Explicat quidem recte, secundum principium de duobus effectibus aeque immediatis, sed definitiones secundum se possunt male intelligi. Item a. 7 : « Procurare abortum *directe et ex intentione,* est peccatum quod nullo bono fine... cohonestari potest... Etiam illicitum est causare abortum indirecte, faciendo scii, id unde praevidetur secuturus, *quamvis non intendatur formaliter,* nisi in raro casu adsit iusta et gravis ratio tale quid agendi », ut « si certum esset quod non adhibito remedio foetum cum matre periturum, et e contra certum aut probabile adhibito remedio matrem salvam iri... quia in his circumstantiis vix in aestimationem venit salus prolis certe perituræ, indeque ius habet mater sibi consulendi ».

Gury, *Th. M.,* I, n. 389 : « Nemini licet se directe i. e. *ex intentione* occidere... Numquam licet ponere actum per se et immediate tendentem ad sui destructionem, nisi actus habeat alium effectum bonum immediatum... Licet concurrere indirecte ad occisionem sui seu ponere actum ex quo praefer *intentionem,* propria mors certo sequatur, modo ex actione sequatur aeque immediate aliquod bonum ». Hic nulla definitio formalis directae et indirectae occisionis; sed satis recte loquitur auctor.

Lehmkuhl, *Th. M.,* ed. 6a. n. 841, nullam definitionem habet, sed ponit quasdam propositiones :

« II. Abortum indirecte tantum causare non est illicitum, si conditio matris exigit.

III. Ex consulto abortum inducere, etiam licere videtur *in praesenti* vitae maternae discrimine, quod per solum foetûs immaturi electionem averti possit : quo in casu vix magis erit *directa* abortus procuratio sensu theologico, quam in naufragio tabulam amico cedere est directa sui ipsius occisio. Eodem modo si eiectio foetûs necessaria esset ad infantis Baptismum, haec *indirecta* occisio, seu potius mortis indirecta acceleratio videretur esse; sed id vix unquam occurrerit ». (At in nova editione, scii. 10". post decretum S. Officii id retractavit, dicens : pro directa occisione haberi debet ac proinde Intensece malum).

Et n. 842 : « Aliis Id non videtur directa occisio, sed medium valde diversum, cum mater solummodo non amplius servet infantem, sed cum, laxatis fibris, ex utero elabi sinat atque etiam perire permittat. Cessare posse a conservando foetu, si sine propriae vitae dispendio eum amplius conservare non possit, cuilibet certum esse debet ».

Cum autem non sola omissione id fiat, sed punctione liquor amnii dimittatur, vel conditio naturalis violenter perturbetur pro foetu, vel ex utero egredi cogatur et vitalem nexum cum materno utero abrumpere, addit : < Sed etiam tunc. Per se foetus ius habet ad illud elementem

et quosdam alios : per se, id est quod est intentum; per accidens, id quod est praeter intentionem. Sed iste sensus, post

vitale. At potestne ius priore iurc vinci vel foetus iuri renuntiare ? Existentia in utero materno est bonum *cxtrinsecum* necessarium foetui. Potest renuntiare. Et si bonum intrinsece conlunctum, tamen quod primo attingitur non est foetus, sed aliquid quod *pari iurc* ad matrem pertinet? »

Et n. 846 : « Directa procuratio abortus *sensu theologico* non habetur. Haec intelligitur de eiectione quae morali sensu sit foetûs occisio; verum foetûs occisionem perperam aliquis dixerit eam operationem, quae potius mortis permissio vocari debet ».

Quomodo autem mera permissio vocari potest actio qua infans vivus invaditur, eodem modo ac si quis lethali vulnere alterum affligit ? Nam disruptio membranarum est infanti lethale vulnus.

Ballerine *Opus theologicum morale,* II, n. 912 :

Abortus est « indirectus..., quando ad morbum matris cavendum ea remedia adhibenda sint, e quibus praeter intentionem id sequatur ». E contra « directus, quando media usurpentur, quae per se non ad medendum matris morbo sed mere ad ipsam... foetu exonerandam diriguntur... Insuper, quando remedium per se non tendit ad morbum matris curandum, sed solum ad partum maturius obtinendum (n. b. foetûs non vitalis), abortus nihilominus *alio sensu* directe aut indirecte quaesitus haberi potest, spectata scii, non materiali ratione accelerandi partum, sed uo/un*tate seu intentione operantis* » ! En perversa notio abortûs directi et indirecti, qua res unice a subiectiva intentione determinatur.

Berardi, *Th. M.,* II, η. 628 : « Suicidium directum est in Inferenda morte sibi *ex intentione* directa »; et η. 661 : « Occisio est directa vel indirecta, secundum quod mors proximi *intenditur* aut *non intenditur »;* et n. 668 : « Abortus est directus *ex intentione;* indirectus *praeter intentionem ».*

Noldin, *Th. M.,* II, n. 337 : « Homicidium aliud est directum et aliud indirectum, prout in se vel solum in causa intenditur ex qua saltem probabiliter secuturum praevidetur »; et n. 342 : « Procuratio abortus est directa... si media adhibentur *eo fine ut foetus expellatur;* indirecta dicitur si media adhibentur *in alium finem v.* g. ad sanitatem matris procurandam, ex quibus tunc praeter intentionem etiam abortus secuturus praevidetur ».

Marc, *Th. M..* I, η. 741 : « Abortus procuratur directus, si *ex proposito,* ex quacumque operatione, foetus immaturus expellitur; indirectus vero, si ponitur causa de se in matrem agens, sed ex qua oriri potest detrimentum pro foetu ».

Tres ultimi auctores bonam exponunt doctrinam et recte applicant principia; sed definitiones possent male Intelligi. Alii nec definitionem tradunt homicidii directi vel indirecti.

decreta S. Officii, iam est derelictus et derelinquendus. Et sane, sola intentio bona non potest actionem malam reddere bonam, aut directam reddere indirectam. Haec acceptio supponitur in dictis Drs. Pestalozza.

2“ ex iis quae de causa necessario egrediuntur et per se consequuntur, seu ex certitudine et frequentia effectus, quo sensu quandoque locutus est Dr. Gemelli. At non tam certitudo obiectiva consideranda venit quam directio actionis : certitudo vel frequentia, aut probabilitas eventus non afficiunt directionem. Quare iste modus loquendi ansam praebet confusioni : effectus per se non est eo quod certo praevidetur, sed eo quod in causalitate per se continetur, seu ad quod per se primo ordinata est.

3“ ex parte intentionis seu finis operantis simul ac ratione et fine operis: hinc ut effectus sit indirectus et per accidens, requiritur ut nec intentio operantis nec opus de se tendat ad illum effectum. Effectus est directus, v. g. mors, non solum si sit quaesitus propter se, sed etiam si sit quaesitus in se licet non propter se; indirectus si non sit quaesitus nec ut finis, nec ut medium, ita ut nec intentio operantis nec ipsum opus habeat unum effectum immediatum malum. Ita Vermeersch [1].

Sic dici potest. Praeplacet tamen unice considerare naturam et finem operis. Intentio operantis non valet mutare naturam externarum operationum et rerum, nec causalitatem indirectam reddere directam, sicut nec causalitatem directam reddere indirectam. Intentio potest facere quod opus ex bono vel malo affectu fiat: — sed si opus de se tendat immediate ad unum effectum malum, effectus erit per se et directus, nec ulla intentio valet hoc mutare. E contra, si actio habeat duos effectus immediatos, malus erit indirectus vel etiam per accidens dummodo effectus bonus sit praevalens aut proportionatus; nec id mutari potest sola intentione. Intentio scii, mala non potest facere quod actio non occisiva sit occisiva, vel quod occisio indirecta sit directa, aut quod

[1] *De causalitate per se et per accidens, seu directa et indirecta,* in *Periodica.* 1932. Cfr. *N. R. Th..* 1933.

2 Stricte loquendo, idem non sunt effectus indirectus et effectus per accidens. Effectus per se. qui scii, ex ipsa natura causae natus est sequi, necessario et semper, potest esse indirectus, si simul causa alium effectum aeque immediate nata est producere ex natura sua, aut de facto producit. Effectus per accidens est ille quem causa e natura sua non producit, sed qui oriri ex ea potest concurrente alia causa aut circumstantia.

effectus per accidens sequatur per se. Igitur non oportet considerare id quod agens intendit, sed id ad quod actio de se ordinatur, seu ad quod immediate terminatur.

VI. Animadversiones. 1" Craniotomia, quae decreto S. Officii expresse fuit damnata, est illa quae mortem infert. Ultimis temporibus iam loquuntur de operatione simili, qua cranium aliquatenus imminuitur, sed vita servatur. Talis operatio non est necessario illicita, si adsit spes eam perficiendi et nullum aliud medium sit ducendi foetum ad perfectam nativitatem.

2a Embryotomia illicita manet, etiam si probabile tantum sit quod foetus adhuc vivat, quia nec licitum est se exponere periculo mere probabili occidendi innocentem.

3n Foeticidium nec faciendum est ad vitandam operationem caesaream, quae cetroquin non est multo periculosior. Ex comparatis statisticis constat tot fere matres periise foeticidio : hoc enim non est absque periculo pro matre. Operatione caesarea foetus salvati computantur 66, 72, 87 %, et matres 80 %, ita quod ex 200 individuis humanis salvantur 150-170 seu 81 %; — foeticidio 80-90 % scii, e matribus, nam foetus omnes sunt occisi.

Recentius computationes statisticae pro sectione caesarea inveniuntur adhuc favorabiliores; dicit Antonelli 90 % salvari ex matribus, Dr. Frank 87 % ex infantibus et 94 % ex matribus, Schmitt et Marc loquuntur de 98 % ex matribus, Dr. Bergmann ait periculum mortis pro matre esse pro 100 si non adsit infectio, et secus non plus quam 5 %, dum 90-99 % salvantur infantes.

Hinc Antonelli fatetur[1] : « ex analogis statisticis sequitur in operatione embryotomiae tot fere matres petiisse quot in operatione caesarea, infantes vero, ut patet, omnes petiisse ».

Unde embryotomia iam est derelicta; sed nandum derelictus abortus.

1 *Medicina Pastoralis,* ed. 5°, II, p. 65.

QUAESTIO TERTIA.

De Procuratione Abortus.

I. Abortus (ab-oriri) secundum etymologiam indicat id quod impeditur oriri seu nasci. Unde est praematura ex utero materno eiectio foetûs immaturi non vitalis, ex causa naturali vel artificali. In praesenti sermo est de artificali abortûs procuratione, cuius definitio explicatur in opusculo A. I, q. 5, η. I.

Ab Hippocrate notus erat, sed dissuadebatur propter pericula matris: a iure erat prohibitus, sed de facto apud Romanos erat in usu communiter. Hodie facinus illud est late propagatum: est malum ingens, non obstantibus mediis anticonceptionalibus multiplicatis. Moscovae, in imperio Russico, est institutum officiale abortûs, in quo recenter 30.000 mulieres in anno abortui subjiciebantur. In Gallia, secundum computationem statisticam anni 1923, 500.000 sunt abortus per annum, ex quibus 425.000 criminosi; in Germania secundum statisticam 1929, 1.000.000 abortus procurati sunt in uno anno, qui mortem intulerunt 44.000 feminis [*]. Unde Dr. Burkhard dixit plus esse abortus quam nativitates.

Et licet procuratio abortûs puniatur iure civili, non tamen semper omnis; et si fiat interventu medici, etiam criminosus facile effugit poenas.

II. Causae abortus ad haec capita revocari possunt:

1° Membranarum scissio quibus foetus clauditur, seu disruptio ope instrumenti habita qua fit ut, subtracto humore amnii in quo foetus natat, ibi vivere diu nequeat sed necessario eiiciatur, et, si non sit vitalis, licet vivus, necessario moriatur.

2° Vis extrinsecus illata per percussiones aut compressiones, quae vel natum infantem allideret ac vita privaret, ut vis electrica.

3° Succussiones violentae, quae causam habere possunt, tum extrinsecam, tum intrinsecam, v. g. convulsiones.

4° Fibrarum relaxatio, qua fit ut foetus suo pondere pressus, praemature eiiciatur: quae quidem relaxatio, tum naturales causas habere potest, tum arte obtineri, v. g. balneis, medicatis potionibus, etc.

[*] Ita prof. Liepmann in *Schönere Zukunft,* 1929, p. 405.

III. Sententiae diversae fuerunt de liceitate abortûs. Legimus apud S. Alphonsum, Th. M., l. III. n. 394 :

1) Plures dixerunt licitum procurare abortum *directe,* si foetus .non sit animatus. Ita Laymann, Sanchez, Henriquez... et alii, quia cum foetus ille sit pars viscerum matris, non tenetur mater eum servare cum vitae suae discrimine.

2) Alii id negant, ut Lessius, Lugo, Pontius et alii plurimi, quia talis foetus non est pars matris, nec pertinet ad integritatem corporis materni, sed est inchoative distinctum individuum humanum.

At in praxi, ait S. Alphonsus, haec secunda sententia, utpote tutior, est omnino tenenda. Et idem valet si dubium adsit an foetus sit vel ne animatus, eo quod tunc intrinsece malum est innocentem directe periculo necis exponere.

3) Post S. Alphonsum, quidam dixerunt *quandoque* licitam procurafonem abortûs directam, etiam si foetus sit animatus, nempe si aliter baptizari non posset, aut mater non salvari. Ita Ballerini, *Opus Th. Mor.,* II, η. 910 sq.; D'Annibale. *Summula Theol. Mor.,* II, η. 284; Lehmkuhl, *Th. M.,* ed. 7 I, n. 848, etc. Quod etiam invenitur in Gury, *Casus conscientiae,* ed. 1878, in uno casu, n. 402; sed id a curante editionem fuit additum, nam Gury mortuus est anno 1866.

IV. Doctrina catholica est abortum directe procuratum semper esse illicitum et iniustum, etiam si foetus aliter baptizari non posset; quamvis indirecte procuratus potest esse licitus ob causam proportionate gravem. *Certum* est.

Abortum directe procuratum semper esse illicitum, constat :

1° *Ex responsis S. Sedis,* supra relatis, quae explicite sunt de directa procuratione abortûs seu eiectionis foetus immaturi (S. Off. 19 aug. 1889, 24 iul. 1895, 4 maii 1898), et quidem de casu quo nullum aliud sit medium salvandi matrem, et tum mater tum foetus secus perituri sint. Antea, Sixtus V. Const. *Effrenatam 25* oct. 1588, excommunicationem inflixit procurantibus abortum etiam foetus nondum, ut tunc communis opinio tenebat, animati anima rationali; quae poena supponit actionem illam esse graviter peccaminosam. Et quamvis Gregorius XIV hanc poenam abstulerit, non tamen auferre voluit nec etiam potuit intrinsecam malitiam actus; nunc vero inde a Const. *Apostolicae Sedis rursus* censura illa est restituta (cfr. can. 2350).

2° *Ratione :* Directa procuratio abortûs, ad differentiam

indirectae, est actio quae nihil immediate producit nisi separationem foetus a matre, et sic mortem directe affert foetui, qui est homo, vel saltem via ad hominem. Unde est directa hominis occisio, vel huic aequivalét, utpote tendens directe ad privationem vitae humanae; ac proinde idem est de ea dicendum ac de occisione innocentis, quod scii, semper est illicita, intrinsece mala et i.niusta. Nam directe privat foetum officio placentae, qua matri adhaeret et nutrimentum sanguinisque purgationem sumit; ergo hisce illum privare est revera illum occidere, sicut hominem fame interficere aut lethaliter vulnerare, vel sanguine ipsum privare.

Est unum argumentum sed fundamentale et optimum : illicitum est ponere causam quae non producit immediate nisi effectum malum, et mediante malo effectum bonum; siquidem non sunt facienda ut eveniant bona.

Aiunt : Nonnisi cessatio est a conservatione foetûs, qua mater illum e sinu elabi sinit et perire permittit; proinde non est occidere, sed eum amovere a loco, in quo vivere iam non potest, et ponere in alio in quo nec potest. lamvero mater non tenetur foetum conservare cum periculo vitae.

Resp. Nullatenus est cessatio seu omissio, qua indirecte permittitur i. e. non impeditur quod foetus non conservetur (ut in abortu naturali, natura cessat a foetu conservando), sed est actio positiva mortifera : abrumpere conservationem foetûs a matre, violenter perturbare conditionem naturalem foetûs, positive agere ut separetur a matre et in statu necessariae mortis ponatur. Ergo non permittitur mors, sed directe procuratur, et ideo actio est directe occisiva : causam proximam mortis inferre, velut lethale vulnus infligere.

Alia quae afferunt argumenta sunt eadem ac illa quae afferebant pro embryotomia (q. 2. η. II et IV): non esse directam occisionem si non sit intenta sed ex necessitate facta, e duobus malis minus esse eligendum, non esse nisi mortis accelerationem, in iurium conflictu ius matris praevalere, ac in casu foetum esse iniustum aggressorem; sed ut Cangiamila iam dicebat : infans non est invasor iniustus, sed a natura coactus, cuius auctor est Deus; imo, matre ipsa coactus, ut ait Dr. Hubert '.

' Ita apud Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicae,* disp. 3. prop. 6, qui optime de iniusto aggressore tractat. Etiam Creusen, *Le foetus, injuste agresseur ?* in *Miscellanea Vcrmeersch,* I, p. 49: et A. Janssen, *Leergang van bijzondere Moraalphilosophie,* 3e h., a. 3.

Abortum autem indirectum posse in quibusdam casibus licite fieri, sufficienter ostendimus in opusculo A. I, q. 5, η. IV, ubi etiam varia traduntur doctrinae praesentis corollaria, η. V.

V. Occasio erroris, qui apud quosdam nunc quoque perdurat, est obtenebratio doctrinae, cuius causa est tum sententia laxior quorumdam theologorum ante responsa romana, tum terminologia defectuosa, ambigua et diversa, qua utuntur medici et theologi, imo ipsi theologi inter se, ita ut plerumque nec definitio abortûs directi sit recta, aut clare prolata, prout notavimus supra, q. 2, η. V, not. 1.

Hinc aiunt medici : distinctio inter abortum directum et indirectum est mera subtilitas, cui attendere non possumus.

VI. Estne abortus homicidium ? Solutio huius puncti pendet a quaestione : an foetus animetur anima rationali ab initio conceptionis ? Olim communiter negabant, nunc vero generatim affirmant, non tamen propter certa argumenta, de quo vide opusculum A. II, q. 4, η. I.

Stante dubio, abortus habet malitiam homicidii, quia periculo exponit probabili occisionis : nec enim licite potest quis vel se exponere periculo directe occidendi hominem. At etiam si foetus certo non esset animatus anima rationali, ac proinde abortus directus non esset homicidium, nihilominus esset illicitus et intrinsece malus. Etenim : 1) foetus nequit haberi ut viscera matris, sed est individuum a matre distinctum, habens principium vitale proprium; 2) homo non habet dominium directum in vitam et corpus hominis, nec proinde in principium vitae; ergo non in semen humanum, quod est « homo in potentia » ‘, nec a fortiori in ovulum fecundatum, quod est homo in potentia propinquissima.

Hinc Billuart, *de iure et iustitia,* diss. 10, a. 7 : « Procurare abortum foetûs, sive animati sive inanimati, directe et ex intentione, est gravissimum peccatum quod nullo bono fine... cohonestari potest. *Probatur :*

1° Quia si foetus sit animatus, eius abortus est homicidium corporale et spirituale; si nondum sit animatus, quamvis non sit proprie homicidium, ad illud tamen reducitur : sicut enim, inquit Estius, qui impedit ne aliquis lucretur, licet non sit proprie furtum, tamen peccat contra septimum praeceptum et ad furtum reducitur; ita qui futurum hominem impedit,

¹ S. Thomas, Q. D. *de Malo* 15. a. 2.

etsi proprie non occidat, in eodem tamen genere peccat, eo nimirum peccato quod ad homicidium reducitur; unde vocatur a Tertulliano *festinatio homicidii.*

2" Procurare pollutionem directe et ex intentione, numquam est licitum,.., quia est contra finem seminis a natura per se intentum, scii, generationem prolis...; atqui hanc... malitiam importat procuratio abortûs : est contra finem generationis non solum a natura intentum, ut pollutio, sed iam actu attentatum et proxime attingendum ».

VII. Animadversiones. 1a Non est mera subtilitas distinctio inter abortum directum et indirectum, sed est fundata in re, ita ut actio sit valde diversa, prout ea obtinetur aeque immediate duplex effectus, alter bonus, alter malus, vel solum immediate unus malus.

2" In signis abortûs directi ab indirecto dignoscendis, consideranda veniunt :

a) non tam finis operantis, sed magis natura operationis;

b) non ipse exitus operationis, sed ipsa operatio et immediatus eius terminus : quaerendum an operatio immediate foetum vel placentam attingat, aut e contra matrem vel uterum; num fiat data graviditate, vel etiam aliter fieret;

c) non certitudo effectûs nocivi; non quod sit per se vel per accidens; non ordo chronologicus inter effectus seu quisnam praecedat tempore, sed ordo causalitatis ita ut effectus malus sit, aut non sit, causa effectûs boni.

3" Ab abortu proprie dicto sedulo distinguendus est partus praematurus seu acceleratus, qui est eiectio foetûs iam vitalis sed non plene maturi[1] Potest fieri naturaliter, aut artificialiter provocari, antequam praegnatio completa sit. Hinc acceleratio partûs est artificialis ex utero matris expulsio foetûs, non plene maturi sed iam vitalis, ita ut extra sinum matris vivere possit. Unde patet eam non esse illicitam, dummodo fiat ob gravem rationem. De hoc sufficienter diximus in opusc. A. I, q. 6.

4" Abortus, sive directus sive indirectus, speciali ratione illicitus esset habendus, si hac de causa infans impediretur

1 Notat tamen Vermeersch. *Th. M*. II. n. 662, medicis abortum esse potius eiectionem foetus nondum formati; unde latius intelligunt accelerationem partûs, etiam de expulsione foetus immaturi et non vitalis.

.i baptismo, aut privaretur rationabili spe suscipiendi hoc .i< ramentum. In hoc casu, non solum includeret malitiam homicidii corporalis, verum etiam homicidii spiritualis.

5" Est obligatio gravis vitandi causas abortûs, ut notavimus in opusc. A. I, q. 5, η. VI, 2.

6" Item obligatio est vitandi cooperationem ad abortum, sive fiat positivo tentamine et conatu, sive consilio dato, sive mediis ad id allatis; positivi cooperatores incurrunt quoque excommunicationem.

7" In confessione *discrete* interrogandae sunt feminae ex delicto gravidae, sicut viri qui fornicati sunt, an non attentarunt abortum.

VIII. Casus disputati plures adhuc adsunt, an directum constituant abortum an e contra considerari possint tamquam abortus indirectus. Praeter casus de foetibus ectopicis, de quibus in q. seq. sermo erit, praesertim numerantur tres :
1) excisio uteri gravidi et corrupti,
2) punctio amnii,
3) purificatio totius uteri gravidi ad vitandam haemorraghiam.
De quibus speciatim dicendum.

Articulus I.

De Excisione Uteri gravidi corrupti.

I. Occasio disputationis fuit declaratio a Doctore Pestalozza facta in congressu Obstetriciae et Gynecologiae Mediolani habito, de quo supra : Consului theologum bonae notae, magna gaudentem auctoritate, circa casum ablationis uteri gravidi cancro infecti, tertio mense graviditatis. Ipse post maturam considerationem respondit : Licitum est ablationem uteri gravidi cancro infecti perficere, etiam si foetus extra uterum vivere non possit, quia abortus non est nisi indirectus. Ergo, concludebat Pestalozza, a pari licitum est placentam (et consequenter foetum) ab utero separare si ipsa sit causa infectionis et mortis pro matre, vel et pro foetu, et

non sit aliud medium salvandi matrem, quia abortus non erit nisi indirectus.

Cui respondit P. Gemelli se numquam consideravisse excisionem uteri gravidi infecti ut abortum indirectum, nec eam sententiam unquam potuisse admittere, sed excisionem uteri esse abortum omnino directum, utpote certissime mortem foetûs illaturum.

lamvero theologus bonae notae consultus erat P. Vermeersch. Exinde occasio novae et amplioris disputationis.

II. Status quaestionis. Ad casum bene intelligendum, scire oportet esse tumores et operationes duplicis generis. Oportet scii, distinguere tumores benignos et malignos. Primi periculum afferre possunt, sed sola expansione seu excrescentia nimia, unde auferri possunt quin auferatur organum quod afficiunt; alii, maligni, periculum afferunt per infiltrationem et ramificationem in organo et regione vicina, unde non possunt auferri nisi auferatur ipsum organum, vel et gangliones lymphatici vicini.

Primi generis sunt myoma — fibroma — fibromyoma, quae sunt in myometro, raro etiam in endometro et perimetro. Hinc v. g. operatio fibromyotomia, quae aufert seu extirpât tumorem tantum. Olim quandoque necessarium videbatur etiam uterum gravidum auferre myomate affectum; sed hodie id iam falsum est, nam myoma iam auferri potest quin auferatur uterus vel graviditas [1]. Si propter percussionem uteri occasionaliter sequatur abortus, id est omnino raro et per accidens

Alterius generis sunt epitheloma, seu carcinoma, adenocarcinoma et corionepitheloma; quae ob infiltrationem et ramificationem verbo vulgari cancri possunt designari. Non possunt auferri nisi extirpetur ipsum organum, vel et gangliones lymphatici vicini. Quod in casu fit per hysterectomiam, i. e. uteri extirpationem.

lamvero Dr. Gemelli tenet esse illicitum auferre uterum gravidum cancro infectum, et esse abortum directum; imo medici, ait, vix concipere possunt abortum magis directum quam ablationem uteri gravidi, qua certissime et directissime provocatur mors foetûs. Quod si liceret, justificaretur thesis

1 luxta priorem modum agendi locuti sumus in opusc. A. I. q. 5, η. V, 6°, ideoque hoc reformandum est.

’ Gemelli, in *N. 7?. Th*,, 1933, *De l'avortement indirect,* p. 506, 508 et 580.

Dris. Pestalozza, et abortus secundum indicationem medicam seu therapeuticam esset etiam abortus indirectus, quod est contra decreta Ecclesiae et Encyclicam *Casti connubii*

III. Argumenta et responsa. Argumenta principaliora Drs. Gemelli ad haec reduci possunt[2]:

A. Ut abortus sit indirectus, effectus bonus debet aeque certo et aeque immediate sequi ex operatione ac effectus malus. Sed hoc principium in casu nequit applicari. Nam : 1° certa sunt abortus et mors infantis, et non certa est salus matris, quia forsan impossibile erit omnes ramificationes auferre; 2° immediate est illatio abortus et ablatio tumoris, minime vero salus matris.

B. Ideo difficile est concipere abortum magis directum. Nam primo interrumpitur recirculatio sanguinis inter matrem et foetum, quia prius arteriae ligantur et scinduntur. Unde foetus violenter privatur solo medio naturali vitae, et ideo non moritur sed *occiditur.*

C. Nequit dici abortum causari per accidens : quod enim necessario sequitur ex operatione et semper, non potest oriri per accidens.

D. Quod si dicatur uterus per accidens esse gravidus, id negandum est, cum uterus per se et ex natura sua ordinetur ad foetum continendum. Unde si est gravidus, id est omnino per se. Hinc ablatio uteri et ablatio uteri gravidi sunt operationes omnino diversae, non ex accidentali effectu, sed ratione materiae. Uterus non gravidus et gravidus intrinsece differunt.

E. Igitur mors foetûs non solum permittitur, sed est voluntaria secundum suam causam, cum medicus non possit negare se velle operationem facere quae ex natura sua et necessario causât mortem certam foetûs. Quodsi haec operatio licita esset, etiam liceret, in casu gravis hyperemesis ex intoxicatione, foetum eiicere ad desintoxicationem provocandam.

Quibus respondit P. Vermeersch[3]:

Ad A. Non requiritur ut bonus effectus sit aeque certus.

[1] Itaque ad argumentum Dris. Pestalozza ponentis paritatem, hanc concedit Gemelli, sed ideo dicit utrumque prohiberi; unde negat antecedens. E contra, Vermeersch negat paritatem ac proinde consequentiam.

[2] Cfr. *N. R. Th.,* 1933, *De l'avortement indirect,* et *Encore de l'avortement indirect.*

[3] In *N. R. Th.,* 1933, *Avortement direct ou indirect ?*

Id non solet exigi a theologis in explicatione traditional! axiomatis de causa cum duplici effectu. Quod sit directus vel indirectus abortus, non est ex certitudine effectus, sed ex ordine seu directione actionis. Nec requiritur ut effectus bonus aeque immediate sequatur secundum durationem seu ordinem chronologicum, sed sufficit quod non mediante effectu malo procuretur, seu quod sit immediatus secundum directionem actionis, et ordinem causalitatis. Itaque nec certitudo nec duratio consideranda est, sed ordo immediatus ad effectum bonum, vel mediatus, scii, mediante effectu malo.

Ad B. Circulatio sanguinis, sive in foetu, sive in matre, est cuique propria, independens et clausa. Non datur relatio circulationis inter matrem et infantem. Et in casu, arteriae matris ligantur, non arteriae foetûs. Hinc foetus privatur oxygenio et nutrimento: sed non directe attingitur in se et in suis elementis. Nec ordinario moritur statim, sed saepe vivus eiicitur, licet brevi moriturus : si esset vitalis, non diceretur occidi, et tamen eadem esset operatio. Haec itaque non vulnerat foetum, nec influit directe in illum, sed ea fit quod mater nutrimenta non ministret; quod licitum est matri si ipsa sit in periculo.

Ad C. Abortus est per accidens, nam operatio eodem modo fieret si mater non esset gravida. Unde non sequitur per se ex operatione, sed ex concurrentia alterius causae, ex consideratione circumstantiae independentis a voluntate operantis, scii, ex facto graviditatis. Causa per se excisionis uteri est per accidens causa abortûs.

Ad D. Quamvis uterus ex natura sua destinatur ad foetum continendum, non tamen de se et ex natura sua illum continet, quia uterus nec essentialiter, nec universaliter omnis, nec semper continet foetum.

Ad E. Mors foetûs non est volita, nec eligitur ut finis vel medium, sed est active permissa, quia oritur ex concurrentia alterius causae, ob quam adest effectus malus quem voluntas operando impedire non potest nec tenetur.

Nec sequitur, in casu gravis hyperemesis, licitum esse actionem exercere in placentam ad intoxicationem impediendam. Placenta est pars foetûs : vel, quamvis placenta matris et placenta foetus distinguantur, tamen tam intime coniunctae sunt ut impossibile sit unam attingere sine altera, ac proinde immediate laeditur foetus. Nec actione ista producitur desinfectio; sed foetus expellitur et mediante expulsione speratur

obtinenda desintoxicatio. E contra, hysterectomia uterus aufertur, non foetus; hic autem aufertur foetus.

IV. Quid de controversia iudicandum ? Videtur ex expositione argumentorum satis erui opinionem P. Vermeersch esse fundatam, quam ceteroquin ante exortam controversiam fere omnes moralistae tenebant ad minus ut probabilem, qui de hac re scripserunt

Redeamus ad principium. Hysterectomia in mulierem gravidam facta, antequam foetus sit vitalis, est actio habens duplicem effectum : unum bonum, salutem matris; alterum malum, mortem foetûs. Ergo licita esse potest, si quatuor adsint conditiones requisitae ut liceat ponere causam duplicis effectus contrarii '. Hinc :

1° Oportet quod sit ratio proportionate gravis, quae ordinarie adest si actio necessaria sit ad vitam matris; ergo illicita est, si non necessaria sit, vel nulla sit probabilitas salvandi matrem aut notabiliter eius vitam prolongandi (v. g. si cancrum sit inoperabile), a fortiori si operatione impediretur baptismus infantis.

2° Oportet ut recta sit intentio operantis, et ideo quod non intendat nocumentum vel mortem foetûs, sed ista contra suam voluntatem locum habeant ex circumstantiis a sua voluntate independentibus, seu quod agat necessitate coactus.

3° Videtur actio in se non mala, abstrahendo a circumstantia foetûs. Nam auferre membrum corruptum ad salvandam vitam corporis est de se bonum. Et quamvis sit differentia inter hysterectomiam extra graviditatem, et durante graviditate factam, haec differentia est mere accidentalis, quae non est ex parte operationis ipsius, sed ex accidentali circumstantia praesentiae foetûs. Operatio eodem modo peragitur, sive foetus sit, sive non sit. Ergo est substantialiter eadem. Finis scii, intrinsecus operis est organum matris putridum amputare, non autem nocere foetui; hoc per accidens evenit ob fortuitam praesentiam foetûs.

4° Difficultas esse potest quoad quartam conditionem :

1 Ita Lehmkuhl, Prümmer, Génicot-Salsmans, Capellmann-Bergmann, Aertnijs-Damen, Ubach, Schilling, Ferreres, Antonelli, Payen in 7V. 7?. *Th.,* 1899 et 1913, Finney in *Eccl. Review,* 1928, Hürth in *Stiinmen der Zeit,* 1928-29, item in *Scholastik,* 1932.

1 Bene de hac re scripsit A. Janssen in *Eph. Th. Lov.,* 1934 : *L'hystérectomie pendant Ia grossesse.*

an effectus bonus sit immediatus, et non mediante nocumento foetus obtentus. Sed id etiam videtur, ac proinde abortus non est directus sed indirectus.

a) Nam periculum matris non est ex praesentia foetus, sed ex infectione cancri seu ex tumore maligno, qui tumor est a graviditate et a foetu omnino distinctus; periculum in muliere gravida ex utero corrupto est omnino idem ac illud quod ex eadem causa est mulieri non gravidae.

b) Salus matris non obtinetur ab eiectione foetûs, sed ex abscissione uteri, et extirpatione membri corrupti; salus ceteroquin eodem modo obtinetur in muliere non gravida et in muliere gravida.

c) Graviditatem interrumpere et eiicere foetum non potest salvare matrem; si ita fieret et maneret uterus infectus, periculum mortis perduraret.

Ergo effectus bonus non obtinetur mediante malo : separatione, eiectione, morte foetûs, sed directe et immediate procedit ab ipsa actione excidendi uterum. Nec eiectio foetûs consideratur *ut medium* salvandi matrem.

Non obstat a) quod nocumentum foetûs chronologice praecedat ex ligatura arteriarum, qua ab ipso aufertur relatio circulationis cum matre et medium necessarium vitae. — Nam iste modus loquendi est improprius, cum circulatio foetûs sit ipsi propria ac clausa, nec interrumpi possit relatio quae numquam exstitit. — Nec ordo chronologicus est attendendus, sed ordo causalitatis : excisio uteri et salus matris inde obtenta non sunt effectus eiectionis et mortis foetûs; salus matris obtinetur directe et immediate ab excisione uteri, et non mediante morte foetûs. — Ligatio arteriarum non est actio in se completa et totalis, sed phasis introductoria totius operationis. Nec afficit foetum, sed matrem, quamvis exinde fiat quod ista non nutriat foetum; sed nutrire non tenetur cum periculo propriae vitae. At, si salvatur, unice fit ex uteri abscissione.

Praevidetur quidem simul effectus malus; sed certitudo effectus non reddit illum directum : manet indirectus, dum non sit medium obtinendi effectum bonum, sed iste directe et immediate obtineatur.

Dices : si uterus non esset corruptus, et ligarentur arteriae, nonne omnes dicerent esse abortum directum ?

Resp. Utique sed quia tunc non est nisi unus effectus malus.

Sit igitur schema :

Actio qua

ligantur arteriae matris fit possibile eam salvare	non affertur nutrimentum foetui
abscissio uteri	eiectio foetus
salus et vita matris in actu 1° ex eo quod causa mortis ablata.	mors foetus.

Nec obstat b) differentia inter uterum non gravidum, et gravidum in quo foetus continetur : sane non per accidens est ibi foetus. — Resp. Quod uterus foetum contineat, est naturale phenomenon, conforme scii, legi naturae, quatenus uterus est foetui sedes ordinaria et naturalis. Sed praesentia non est essentialis utero. Quod conforme est legi naturae potest esse accidentale. Essentia uteri non requirit praesentiam foetûs. Uterus non est accidentalis foetui, sed foetus est accidentalis utero. Eodem modo, quod vir sit matrimonio iunctus : est factum naturale, et tamen accidentale, nullatenus essentiale, homini. Naturale est sub aliquo respectu, et tamen accidentale sub alio.

Nec obstat c) quod effectus malus sequatur per se, directe et immediate, ac proinde non mediate et per accidens. — Resp. Etiam si sequatur et per se et immediate, nihilominus actio licita est, dummodo aeque immediate producatur effectus bonus proportionatus. Quod si dicatur unius actionis non esse nisi unum effectum immediatum et unum finem proximum operis, resp. *transeat :* quamvis assertum non videatur verum, hoc dato tamen, finis operis in casu et effectus immediatus esset extractio uteri; alii omnes ergo sunt mediati aut accidentales

1 Haec non dicta sunt ob necessitatem causae : cum in eodem sensu iam scripserimus in *Summa Theologiae Moralis,* I, n. 173. Non obstat quod unus actus non habeat nisi unum effectum immediatum, qui est finis operis; finis operis autem est unus non duplex. Etiam hoc dato, principium posset intelligi de ordine physico, ita ut actus habeat unum effectum physicum immediatum, sed nos consideramus tantum effectus spectantes ordinem

V. Quid post controversiam ? Cerani in *Scuola cattolica*[*] sat dubitative loquitur : *si* operatio .non afficit elementa vitalia foetûs, tunc licita erit forsan id clarius *patebit.* E contra multi steterunt pro P. Vermeersch, uti Dr. Austriacus ab ipso consultus, qui eius sententiam probavit; Dr. Van de Loo in *R. K. Artsenblad,* 1933; *Eccles. Review,* 1934; prof. Janssen in *Eph. Th. Lou.,* 1934; P. De Boeck in S. *Luc médical,* 1934; et Payen, *Déontologie médicale d'après le droit naturel.*

Mancini vero novis argumentis subtiliter impugnavit liceitatem operationis, in *Palestro dei Clero,* 20 apr. 1934 : *In questione de isterectomia,* et 1 ian. 1935 : *De Hysterectomia therapeutica utero pleno,* et quidem his considerationibus :

A. Foetus in utero non solum vita personali propria, verum etiam corporaliter (somatice) a matre distinguitur. Sicut filius est aliquid patris, ita a fortiori dicendus aliquid matris. Ideo organa in quibus vivit non solum sunt matris sed etiam foetûs : sunt matris inquantum sunt partes corporis eius; sunt foetûs in quantum natura destinat ea ad vitam foetûs. Ergo nulla actio potest concipi in organa matris, quae directe influunt in foetum, quin et ipsa directum influxum in foetum habeat. Hinc quaestio esse nequit de abortu indirecto

B. In casu, non est dicendum unam esse actionem cum duplici effectu, sed operationem habere effectum unum cum duplici respectu : in quantum respicit matrem potest legitimari; in quantum respicit foetum legitimari non potest. Iste ergo respectus ipsam actionem vitiat et *in se* ac simpliciter malam reddit.

moralem. Sic dici potest esse unam actionem physicam dilatandi, vel contrahendi. vel coarctandi. vel reprimendi, vel excitandi aut multum commovendi, quae tamen diversum effectum habere potest in diverso quod afficit organo, ut in capite vel stomacho, in corde, pulmone aut utero, et ita aeque immediate duos effectus contrarios simul producere, unum bonum, alterum madum. v. g. sanationem et ebrietatem, remotionem periculi matris et electionem foetûs. Qui tamen sunt independentes ab invicem, cum unus non procedat mediante altero.

' *Aborto diretto o indiretto ? Ai margini d'una polemica fra P. Gemelli e P. Vermeersch.* 1934.

- Pariter « commune bonum, uterum esse gestantis et foetûs. me dixisse minime me poenitet, imo dicerem bonum potius foetûs quam gestantis esse uterum, quia geneseos organa ex natura sua sunt ad novas vitas ordinata » ian. 1935. Unde, addit, in ordine exeeutionis saltem, adesse malitiam directam contra vitam foetûs.

C. Quod si dicatur hysterectomia eodem modo fieri in muliere gravida ac in muliere non gravida, id verum est in linea artis chirurgicae, non autem in linea ethica et iuridica : in utero vacuo scii, non adest subiectum iuris, in utero gravido adest tale subiectum cuius iura particularia nequeunt negligi. Uterus enim, cum omnibus quae ipsi circumdant, a natura datus fuit ad vitam infantis, ad quod est medium necessarium

D. Abortus quidem indirecte permittitur, quando operatio non terminatur ad organa essentialia pro vita uterina foetûs, sed ad alia organa quae actione quadam reflexa abortum determinare possunt, quo casu non importat per se violationem iurium foetûs in vitam et in media ad eam necessaria. Sed hoc dici nequit de operatione quae terminatur ad organum quod natura destinavit vitae foetûs : illud reddere ad hoc ineptum nequit esse abortus indirectus.

Ex progressu scii, artis chirurgicae, notio directi et indirecti abortûs est revisioni subiicienda.

E. Frustra distinguitur inter actionem quae afficit placentam et actionem quae eam non afficit. Haec distinctio valere posset, si in abstracto considerentur mater et foetus ut duo entia distincta, non valet si in concreto consideretur vitae eorum coordinatio qualem natura instituit.

F. Hinc theologo petente a medico : an ex tali operatione maneat foetui possibilitas vitae, et medico respondente negative, oportet concludere ad illiceitatem, cum laedatur ius imprescriptibile vitae humanae. Ius est foetui ad functiones normales uteri, ita quod nulli liceat eas functiones atque vitae conditiones reddere impossibiles.

Responderunt P. Vermeersch in *Periodica,* oct. 1934, et praesertim prof. Janssen in *Eph. Th. Lou.,* iul. 1934 et apt. 1935.

Ad A. Nonnisi improprie affirmatur, organa matris esse etiam foetûs. Mater et filius sunt duo entia distincta, non solum ratione personae, sed etiam anatomice et physiologice : uterque habet vitam propriam, membra propria, functiones vitales proprias. Habent duo corpora perfecte distincta, non

1 Foetui non deest ius vivendi, etiam data extrema necessitate matris, nec proinde ius manendi in utero. Unde abortus qui directus est quoad executionem, fit etiam directus in ordine ethico. Manet ius vivendi, quia matri et foetui aequale est ius ex ipsa natura. Ita ian. 1935.

unum corpus. Adest relatio dependentiae et necessitatis ex parte foetûs; sed haec est unio mere extrinseca : contenti ad continentem. Uterus manet matris, sed destinatur foetui, et ideo dici potest pertinere ad foetum uti cibus vel domus sunt hominis; sed non est organum foetûs. Est bonum externum eius, dum bonum est internum matris. Habet foetus quoddam ius utero utendi ad certos et determinatos usus, sed praevalet ius matris, quod respicit bonum eius intrinsecum. Et ideo habet mater maiora iura in uterum quam foetus : usum scii, disponendi de utero, si necessarium sit ad proprium corpus salvandum, quia primo et essentialius subordinatur uterus bono corporis materni cuius est pars intrinseca, sicut omnis pars ordinatur ad bonum totius [1].

Quod si nulla actio detur in uterum, quin et ipsa influxum in foetum habeat, exinde constat esse actionem cum duplici effectu, sed non ideo sequitur hysterectomiam esse abortum directum; nam directe et per se attingit organum corruptum matris, et solum per accidens foetum, ratione specialis circumstantiae, si ibi contineatur. Nec unquam ex eiectione foetûs subvenit salus matris, sed directe ex ipsa natura actionis, ut supra explicatum fuit. Ergo omnes conditiones verificantur actionis cum duplici effectu aeque immediato, atque abortûs indirecti. Ideo, non solum in ordine intentionis, sed et in ordine executionis nulla est malitia directa contra foetûs vitam, quia effectus bonus immediate obtinetur.

Ad B. Parum refert dicatur esse duos effectus, vel unum effectum cum duplici respectu, nam respectus illi sunt essentialiter distincti, et sic duo effectus distincti. Si ponatur effectus unus, non potest esse nisi finis operis, i. e. ablatio uteri; sed id potius est ipsa actio vel eius obiectum materiale. Sed duo sunt effectus ulteriores aeque directe et immediate obtenti; unde unus potest in se intendi sine altero. Actio legitimatur et est bona, quia formaliter intenditur abscissio uteri in quantum est solum medium salvandi matrem. Sub respectu foetûs non legitimatur, unde si non haberet nisi istum effectum, non posset esse licita; sed ita non est de facto, nam habet effectum bonum proportionate gravem.

Ob effectum malum est in se et simpliciter mala, in ordine physico; sed non in ordine morali, si simul aeque immediate

1 Similiter compars ius habet ad usum matrimonii, sed salva consistentia personae, ut habet S. Thomas, Suppi, q. 64, a. 1 et ad 2; et licita est ablatio organi genitalis in viro, si necessaria fuerit ad salutem totius corporis, et tamen semen destinatur speciei.

obtinetur effectus bonus proportionatus et non mediante malo.

Ad C. Actio non differt in muliere gravida ex parte artis chirurgicae : ergo nulla est differentia per se ex obiecto proprio seu quoad substantiam, et ideo ablatio uteri non est actio de se mala. Ex circumstantia praesentiae foetus, adest ethica et iuridica differentia: unde ius foetûs non potest negligi. Quare actio qua laeditur directe est illicita: et ad auferendum uterum gravidum requiritur ratio gravior quam pro utero vacuo. Id non est faciendum nisi impossibile sit aliter facere, ac servare iura foetûs oportet quantum est possibile. Sed ius foetûs non aufert ius matris ad media licita vitae necessaria et ad removendas causas periculi *, ad disponendum de utero suo si necessarium sit ad servandum totum corpus, licet indirecte vel per accidens id etiam simul noceat foetui. In pari necessitate praevalet ius matris in bonum suum intrinsecum, supra ius foetûs ad idem bonum quod sibi est extrinsecum. Foetus habet ius ad uterum, supposito semper indemni iure fundamentali matris disponendi de suo organo ad conservandam vitam propriam : ius ut non privetur actione iniusta.

Ad D. Definitio abortûs indirecti, quam proponit auctor, co.ntrariatur opinioni communiter admissae [1]. Ut sit directus, non sufficit quod terminetur ad organa necessaria foetui et certo sequatur effectus malus; insuper requiritur quod non sit nisi unus effectus immediatus, scii, malus, vel quod effectus bonus, si sit, procuretur mediante malo. Secus si duo sunt effectus immediati, potest intendi unus effectus bonus, et non intendi in se effectus malus.

Ad E. Si inter matrem et foetum est realis distinctio, potest quis attingere unum quin directe attingat alterum. Hinc si attingat placentam, directe foetum attingit, et unus est effectus immediatus; si uterum attingat, directe matrem attingit, non foetum. Placenta est organum foetûs vel organum commune; uterus est organum matris. Si mater disponit de placenta, non disponit de suo organo; e contra si disponit de utero. Et licet sit intima coordinatio inter vitam matris et

* Supponitur periculum non esse a sola praesentia foetûs : tunc non posset auferri.

1 Iterum deprehenditur, ait Vermeersch, eadem abusio vel confusio inter organum matris quo nutritur foetus, et organum quod pertinet ad foetum ut aliquid suum proprium.

vitam foetus, et quidem necessaria, ista tamen non est nisi accidentalis, cum non pertineat nec ad substantiam matris nec ad substantiam foetûs. Et si tollatur, id fieri potest indirecte aut per accidens, dum directe et immediate producitur effectus bonus proportionatus.

Ad F. Certitudo vel incertitude abortûs non facit eum directum vel indirectum. Et licet nulli licitum sit directe, seu actione iniusta, impedire functiones normales uteri et conditiones possibiles vitae foetûs; id tamen licitum est indirecte et actione iusta, ad quam ponendam ius est matri.

Difficultatibus solutis manet conclusio nostra : extirpationem uteri gravidi cancro infecti esse verisimiliter licitam.

VI. Corollarium. Ergo etiam licitum est uterum gravidum excidere, si necesse esset ad tumorem benignum auferendum, in casu determinato quo, ob specialia adiuncta, aliter averti periculum matris non posset.

Articulus II.

De Punctione Amnii.

I. Punctio amnii est perforatio, discissio, fractio, vel et laceratio involucri seu membranarum foetus, etiam illius quae immediate circumdat infantem, scii, amnii; unde liquoris amniotici fluxum et evacuationem per se infert, et sic eiectionem foetus, et mortem, si ipse nondum sit vitalis. Dicimus : *per se;* quia nonnulli auctores, ut Salsmans, aiunt punctionem. ope siphunculi aut instrumenti iniectionis. vel acus ad suendum (stopnaald of breinaald), quandoque fieri omnino tenuem, ita ut totalem emissionem liquoris atque effractionem amnii et eiectionem foetus non necessario secum traheret. Quod, teste P. Salsmans, eximii quidam medici gynecologi putant possibile; quo casu quidam existimarent adesse periculum abortus indirecti, non autem abortum directum.

II. Status quaestionis. Evidens est talem punctionem amnii *de se et generatim* esse illicitam, utpote abortum directum (imo est modus facillimus et usitatissimus procurandi abortum): quia est actio directa in rem infantis, scii, membranam quae ipsius est, non matris; atque immediate nihil facit nisi

nocere soli infanti. Unde effectus bonus, si quis speretur, non obtinetur nisi mediante malo. At quaeritur, utrum semper et in omni casu sit procuratio abortus directa ac proinde illicita ? Ponitur quaestio pro triplici casu :

lus casus est descensus, prolapsus, aut retroflexionis vel incarcerationis uteri retrorsi gravidi, qui secus, i. e. sine voluminis diminutione, reponi .nequeat in abdomine nimis arcto. In hoc casu plures hanc unicam exceptionem admiserunt, et dixerunt punctionem esse licitam, nec esse tunc abortum directum. Ratio est quia periculum non est in praegnatione, sed in dilatatione uteri; quae fractione amnii aufertur, ita ut uterus reponi possit in suo loco et periculum matris averti. Id autem fit ante abortum. Non igiur ipsa expulsio foetus eligitur ut medium necessarium ad periculum matris avertendum. Et ideo in casu, punctio amnii non est occisio directe, licet proxime connexa, quia ante foetus eiectionem, bonus procuratur effectus, scii, imminutio voluminis uteri.

Ita Dr. Capellmann, qui fortiter vindicaverat illiceitatem embryotomiae et abortus directi[1] (etiam contra nonnullos theologos catholicos!), docet in notissimo opere *Medicina Pastoralis*[2], unde facile plures illum, hac in re, secuti sunt, vel ipsi favent : ita Waffelaert, *De Justitia,* l. I, p. 2, sect, post., a. 2, § 2, ,n. 88; Antonelli, Berardi, Cornelisse, *Theol. Prakt. Quartalschrift* 1905, et Génicot.

Casus tamen rarissime contingit; ordinarie alia media

1 *De occisione foetus,* a. 1875.

2 « Si tum omnia alia remedia, quae medicus ad uteri repositionem vel liberationem efficiendam cognoscit, frustra sint adhibita, indirectam abortus procurationem (scii, permissionem) punctione membranarum ac liquoris amnii evacuatione effectam censeo esse licitam. Nam 1) mater versatur in immediato periculo vitae et sine uteri repositione simul cum ovo (scii, cum foetu) peribit; 2) aliud remedium ad salvandam matrem (iuxta hypothesim) iam non est; 3) evacuatio liquoris immediate periculum vitae a matre avertere valet. Hic igitur periculum matris non *ex* graviditate physiologice spectata, sed mere mechanice ex amplificatione uteri oritur. Tollit evacuatio liquoris hoc impedimentum mechanicum, et uterum deminuit, ex qua deminutione immediate possibilitas repositionis atque propulsatio periculi a matre sequitur, priusquam abortus, postea quidem certe eventurus, eveniat; quae omnia ita fiunt, ut abortus sive expulsio embryonis ex utero, ad periculum removendum non sit necessaria » De 5° *praecepto, I.*

adsunt : « repositio uteri nunc alia ratione obtinetur », ait Vermeersch

2us casus similis est hydroamnii acuti, cum volumen aquae sit exaggeratum; in quo casu etiam punctio amnii a pluribus aestimatur licita.

3"s casus est, cum punctio necessaria esset ad baptismum conferendum infanti, qui alias in utero matris periret, dum tamen aliter ibi attingi et baptizari non posset. Casus raro considerandus venit.

Iamvero separatim spectare liceat prius duos priores casus, et deinde tertium, propter diversitatem obiecti et finis : avertendum periculum matris, et baptismus procurandus infanti.

III. Punctio amnii ad periculum a matre avertendum adhibita videtur illicita, utpote abortus directus; excepto casu quo probabile desit periculum eiiciendi foetum, si talis casus detur.

Nam actio directe et immediate est nociva foetui, et tantum mediate et ulterius valet bonum procurare matris. Etenim :

1° Exercetur in elementa quae sunt foetûs : liquor amnii continetur membrana quae ad foetum pertinet, et ideo est foetûs; unde incisio amnii rationem habet vulneris lethalis foetui inflicti. Ita Vermeersch, Th. M. II, n. 627.

2° Actus scindendi vel pungendi assumitur ut medium prout occisivus, i. e. prout liquoris sine quo foetus vivere nequit, quin etiam ipsius foetûs, expulsivus est. Ita Wouters, Th. M. I, p. 511.

3° Dilatatio uteri aufertur et imminutio eius voluminis adducitur mediante ablatione liquoris necessarii ad vitam foetûs; ergo ipse effectus malus causaliter videtur praecedere effectum bonum, et iste nonnisi mediante effectu malo procuratur.

Unde theologi, hac in re, iam magis dubitative ceperunt loqui, et plures etiam liceitatem operationis negare, ut De Smet, *De Sacramentis,* n. 316; Vermeersch, l c.; *N. R. Th.,* 1913; Prümmcr, Th. M. II. n. 141: Wouters, l. c. Imo in recentiore editione operis Capellmann, a medico Bergmann facta sub invigilantia P. Hürth, S. I., totum quod de liceitate huius operationis dicebatur, iam fuit expunctum. Etiam Salsmans, hac in re, cautius loquitur, nam ratio allata. *Casus Conscientiae,* c. 157, et Génicot, *Th. Mor.* I, n. 377, IV :

* *Th. M.*. ed. 2«, II, n. 627.

« immediate obtinetur uteri diminutio ac proinde facultas fit medico reponendi uteri in sedem naturalem; abortus autem nonnisi post hunc bonum effectum », iam derelicta fuit in editione novissima 12" operis Génicot. Nihilominus admittitur « membranae punctio tenuis ad vitam matris necessaria, quae non *moraliter certam* membranae ulteriorem discissionem et abortum inducat »; sed *exinde* potius concludi potest esse abortum directum, cum abortus indirectus, etsi moraliter certus, licitus esse possit.

Diximus tamen : *excepto casu quo probabile desit periculum eiiciendi foetum,* quia, si tunc sequatur abortus, id erit per accidens; sed addimus : *si talis casus detur,* quam possibilitatem nonnulli affirmant. Theoretice illam existere admitti quidem potest; practice vero dubitamus : in praxi enim nonne adest semper grave periculum punctionem ampliandi et fractionem provocandi ? Quo casu, operatio illicita esset, quia illicitum est se exponere etiam *probabili* periculo laedendi vel occidendi proximum. Nec requiritur ad illiceitatem, quod *moraliter certo* abortus sequatur, ut ait Salsmans, l. c., sed sufficit quod probabiliter sequatur, ad hoc quod quis ab operatione abstinere debeat. Nihilominus alii asserunt, etiam practice, quandoque esse possibile punctionem facere sine periculo, praesertim in casu hydroamnii acuti. De quo non valemus iudicare, sed iudicium pertinet ad peritos in arte obstetricali.

Obiciunt : 1° Periculum matris non est ex graviditate physiologice spectata, sed ex amplificatione uteri; unde directe haec tolli potest, quin prius tollatur graviditas.

Resp. Dilatatio uteri est ex graviditate, et .non tollitur nisi mediante ablatione elementi necessarii ad vitam foetûs.

2° Ex uteri diminutione immediate sequitur possibilitas repositionis, non vero abortus, seu expulsio foetûs quae est posterior.

Resp. Periculum mortis pro foetu ex ipsa scissione membranae et effusione liquoris oritur, ex quo tunc ulterius sequitur diminutio uteri et possibilitas repositionis.

3° Propulsatio periculi a matre fit ante abortum, unde ipsa expulsio foetûs non eligitur ut medium necessarium ad periculum matris avertendum.

Resp. Medium necessarium quod eligitur est perforatio membranae et effusio liquoris, ex qua mors foetûs necessario sequitur. Unde licet haec non praecedat chronologice in ordine temporis, necessario tamen praecedit virtualiter secun-

dum ordinem causalitatis. Immediate scii, causatur secundum ordinem causalitatis, et non mediante effectu bono.

4° Non constat liquorem amnii esse elementum vitale foetus, indeque punctionem qua talem esse habendam tamquam vulnus lethale.

Resp. Non constat esse elementum nutritivum foetûs: sed constat foetum non posse vivere nisi in membrana clausa liquorem retinente, ita ut, eo effuso, necessario moriatur. Unde hoc unicum medium vitae a foetu violenter et directe auferre, est idem ac illum lethaliter vulnerare.

5° Non intenditur liquoris effusio ut foetus abortiva, sicut in abortu directo, sed unice tamquam medium ad uteri volumen reducendum. Quo facto mater salvatur, etiam si foetus remaneret.

Resp. Nequit obtineri reductio uteri nisi mediante sectione laesiva eorum quae ad foetum pertinent, nimirum perforatione et effusione abortum inductiva; quae proinde ut talis necessario intenditur saltem implicite. Ut schematice ostendi potest :

	Perforatio amnii
Malum foetûs :	Discissio membranae et effusio liquoris occisiva roetūs
	Diminutio uteri
Bonum matris :	
	Repositio uteri
Malum infantis :	Eiectio et mors foetûs.

IV. Punctio amnii ad baptizandum infantem. Pro casu quo infans aliter baptizari .non possit, videtur primo intuitu idem dicendum ac in casu praecedenti, quia si punctio amnii est abortus directus et directa occisio, nec licita erit ad baptismum ministrandum, cum non sint facienda mala ut eveniant bona. Etiam ad baptizandum, illicitum est occidere. Finis extrinsecus ministrandi baptismum .non mutat naturam operis, nec convertit abortum directum in indirectum, .nec reddit actionem occisivam non occisivam.

Sane; sed quaestio est an in casu non producatur immediate nisi effectus malus, vel e contra immediate iam producatur effectus bonus, et abortus fiat indirectus ?

Iamvero nobis videtur id *probabiliter* sustineri posse. Et

quidem hoc modo : ipsa perforatio membranarum, hoc in casu, est actio quae aufert elementum necessarium ad vitam temporalem, scii, liquorem amnii cuius causât effusionem, sed *aeque immediate* confert elementum necessarium ad vitam spiritualem, possibilitatem attingendi infantem et conferendi baptismum. Aliis verbis : aufert extremam necessitatem spiritualem, nempe perforando membranam quae est obstaculum baptismi, sed id secum trahit et simul ponit infantem in extrema necessitate temporali, ex *consequenti* amissione liquoris. Unde in casu, effectus bonus : possibilitas baptismum conferendi, non obtinetur mediante effectu malo : effusione liquoris, sed aeque obtineretur si liquor non effunderetur.

Non adest paritas cum salute matris procuranda, quia huius possibilitas non obtinetur nisi mediante nocumento infantis, scii, ipsa effusione liquoris. Quod ita schematice proponere liceat :

1. Perforatio amnii	2. Perforatio amnii	
Discissio membranae et effusio liquoris occisiva	Possib8. attingendi foetum	Peric. fractionis et effus". liquoris
Diminutio uteri ac repositio	Baptismus.	Effusio liquoris
Abort8. = eiectio foetûs.		Abort8. = eiectio foetûs.

In primo casu, actio est de se nociva infanti et postea matri proficua; in altero casu, actio simul est nociva infanti et proficua infanti [1].

Ita Capellmann, o. c., *De Baptismo;* Antonelli, o. c., III, n. 386; *Theol. Prakt. Quartalschrift,* 1905; Cornelisse, Th. M. II, 491; Génicot-Salsmans, Th. M. II, η. 148, nota.

V. Animadversiones. Notandum tamen :

1) Scissio velaminum ope instrumenti facile fieri potest ultimis temporibus gestationis, quando foetus, saltem probabiliter, est vitalis, instante periculo mortis ante perfectam nativitatem; in prioribus autem rarissime, propter mag.num

1 Cfr. opusc. A, II, q. 3, η. IV, p. 63, not. 1.

periculum quod ex velaminum destructione affertur partui, infanti et matri; unde non est tentanda .nisi certo constet ét foetum vivere ét vitam eiusdem minui : tunc enim ante omnia salvanda videtur anima et baptismus conferendus

2) Non sufficeret baptismus in funiculo umbilicali, cum ipse infans attingi valeret.

3) De punctione et laceratione facienda iudicet medicus.

Articulus III.

De Purificatione Uteri gravidi.

I. Status quaestionis. Purificatio uteri est ablatio omnium quae illi insunt ad avertendum imminens mulieris periculum; unde simul cum aliis etiam foetus aufertur, si adsit.

Quaeritur utrum in casu quo adsit foetus, praesertim nondum vitalis, huiusmodi operatio sit licita ad salvandam matrem ? lamvero plures possunt esse casus diversi.

1 Ita Capellmann, *l. c.* : « Praematura secundinae destructio, et quae inde sequitur liquoris effusio praematura, fieri non potest, quin ipsi partui magnum impedimentum afferat, infanti periculum augeat, matrem in summum forte discrimen adducat... *Ante quintum praegnationis mensem completum* rarissime certo scire possumus, utrum foetus vivat nec ne. Si immineret abortus ante hoc tempus, equidem omni conatu siphone baptizandi abstinerem. Tum solum eam rationem... inirem, cum mihi certo persuasum esset, *ét foetum vivere, ét vitam eiusdem minui,* idque facerem quamvis praeviderem, praematura liquoris effusione, ipsi partui aliquod impedimentum ablatum iri. Damnum inde matri timendum et accelerata infantis mors non computanda sunt ad huius aeternam salutem necessario procurandam ». Addit Antonelli, o. c.. Ill, n. 385 : « Cum *hoc tempore* nonnisi rarissime nosci queat an foetus certo vivat..., scissio membranarum et fluxus liquidi amniotici augerent difficultatem partus et exponerent foetum et matrem gravibus periculis salutis; et cum, hoc casu, nosci nequeat an aliqua pars abluta sit aqua, *non videtur expedire,* ob dubium effectum spiritualem, acceleranda esse pericula corporalia. Si demum, *etiam ante praedictum tempus,* certo *constare* potest et *foetum vivere eiusque vitam minui,* abscindendae essent membranae ad conferendum baptismum... »

II. Purificatio in casu foetûs mortui. Si foetus iam sit *mortuus :* tunc .non habetur abortus, sed legitima purificatio. Mors autem .non est praesumenda, sed probari debet; unde

a) embryon supponitur vivum, nisi aliter constet morali cum certitudine, et non potest expelli quamdiu *probabiliter* vivat;

b) illicitum est directe eiicere foetum *verisimiliter* vivum sed corruptum, quia esset directe accelerare eius mortem, et ideo bonus effectus sequeretur mediante malo. Nec potest foetus, in hoc casu, reputari iniustus aggressor, cum nihil velit nec agat, sed mere passive sese habeat. Casus tamen ille est potius fictitius, quia foetus corruptus ordinarie est mortuus vel brevi moriturus; unde facile exspectari potest usquedum mortuus sit.

III. Purificatio in casu foetûs iam ab utero disiuncti. Si foetus iam *certo sit a sua cum utero coniuctione separatus,* uti fieri potest ex quadam morbida causa, v. g. per rupturam uteri aut per sanguinem in utero immissum : tunc purificatio uteri non causai abortum, quia abortus iam factus est separatione, et expulsio naturaliter secutura est. Non tamen licitum esset directe et immediate agere in foetum vivum, et illum directe laedere vel occidere.

Si foetus *vivus nondum sit ab utero separatus,* sed mater laboret *haemorrhagia* aut *hydrorhoea* uteri, de hoc duplici casu legimus apud Capellmann-Bergmann, o. c., ed. †9

A. « Non raro, durante graviditate, accidit *haemorrhgia.* In minore quantitate potest esse innocua. Quo casu medicus expectabit et praecipiet quietem in lecto. At, si augetur, haemorrhagia potest matrem notabiliter debilitare; sed etiam tunc saepius potest perduci graviditas ad bonum finem. Olim vagina occludebatur (par tampon de ouate à pansement), sed iste processus ut effectum directum habebat abortum : cessabat fluxus sanguinis, sed occlusio secundario inferebat dolores et expulsionem foetûs. Hodie isti methodo renuntiarunt ob periculum infectionis ex occlusione. Sed iam dilatatur uterus ut iste purificetur. Estne id moraliter licitum ?

Id putamus. Purificatio uteri non est nisi mere localis amotio foetus, qui physiologice iam est essentialiter separatus ab organis maternis ».

Hoc sustineri potest, dummodo 1) abortus vitari nequeat,

† Ita secundum textum germanicum et gallicum.

2) separatio physiologica ab utero non tantum virtualiter, sed iam actualiter sit peracta.

B. « Eodem modo diiudicari potest *hydrorhoea* uteri gravidi. Est status in quo liquor amnii seu aquae amnioticae indesinenter fluunt. Medici distinguunt hydrorhoeam *decidualem* et *amnialem.* In prima fluxus provenit ex interstitio inter duas membranas ovi; in altera provenit ab ipsa membrana proprie et immediate foetum involvente. Differentia microscopio dignosci valet... Hic alter casus solus est periculosus, cum apertura sit involucri ipsius fructûs. Si fluxus aquarum amnioticarum tertio vel quarto mense locum habeat, vel etiam postea, raro graviditas perducitur ad terminum : abortus fit aut partus acceleratus.

Cum effluxus liquoris, vero quodam sensu, iam constituat abortum inchoatum, et foetus eo ipso sit perditus, purificatio uteri peragi potest, dummodo 1) constet foetum physiologice iam disiunctum ab organis maternis; et 2) nullatenus sperari possit continuatio graviditatis usque ad tempus quo foetus sit vitalis seu extra sinum maternum vivere possit; secus medicus id tempus expectare tenetur ».

Ita, dum de his duabus conditionibus vere constet.

IV. Purificatio in casu graviditatis irreparabiliter disturbatae. Est casus quo graviditas videatur irreparabiliter disturbata, et os uteri late apertum sit, et abortus brevi secuturus, atque imminens sit periculum haemorrhagiae et infectionis simul cum magna febri pro matre. Quod periculum praecaveri tantum potest, statim purificando uterum, et simul foetum eiiciendo, qui etiam secus est certo periturus.

De quo casu, ait Salsmans[1] : Bonus effectus directe et immediate non est ex eiectione foetûs, sed ex ipsa purificatione uteri aeque immediate oritur ac ipsa eiectio. Et ceteroquin ista operatio etiam fieret eodem modo extra praegnationem, et non tendit directe in abortum, sed per se tendit ad solam purgationem uteri, removendo quidquid contineat, ut v. g. molam (i. e. massam carneam) vel involucrum mucosum,, per accidens, si adsit, etiam foetum.

Id nobis videtur magis dubium ac casus uteri cancro infecti; attamen, usquedum Ecclesia pronuntiet, hoc non auderemus damnare, sed, salvo meliori iudicio, censemus id teneri posse *ut probabile,* dummodo

1 *Geneeskundige Plichtenleer,* Deontologia medica, n. 179bis.

1° periculum abortus non tantum sit futurum, sed iam hic et nunc adsit,

2° periculum .non unice oriatur ex ipsa graviditate vel foetûs conditione,

3° nulla sit probabilis spes perducendi graviditatem usque ad tempus quo foetus sit vitalis.

QUAESTIO QUARTA.

De Operationibus circa Foetus ectopicos.

I. Praegnatio ectopica seu extrauterina esse potest, cuius naturam et causas indicavimus in opusc. A. I, q. 1, η. VI.

Sub varia forma existit, cuius principaliores sunt[1] :

1° *Tubaria,* quando ovulum fecundatum sistit et evolvitur in tuba seu oviductu; haec dicitur a) *tubaria vera* (quae est frequentior), si in medio ductu evolvitur; b) *tubo-abdominalis,* si iuxta os ductus quod respicit ovarium et abdomen; c) *tubo-uterina,* si iuxta os ductus quod uterum respicit : hoc in casu, post aliquod tempus potest ovulum fecundatum in uterum transire, et tunc praegnatio quae incepit extrauterina, fit in secunda phase uterina.

2° *Ovarica,* quae est rara, quando ovulum fecundatum in ipso ovario sistit et evolvitur.

3° *Abdominalis,* quando ovulum fecundatum in cavitate abdominis sistit ibique evolvitur. Dubitant quidam an ista possibilis sit tamquam primaria, quatenus in abdomine praegnatio incipiat : certo enim potest esse secundaria phasis praegnationis tubariae, ovaricae, vel etiam uterinae, quatenus ovulum fecundatum posteriori tempore, v. g. ob quamdam scissuram, in abdomen recipiatur ibique evolvi pergat.

1 De praegnatione extrauterina, cfr. Antonelli, *Medicina Pastoralis,* I, n. 244-248; Dr. Aussems, *Buitenbaarmoederlijke zwangcrschap;* Dr. Pestalozza, *Trattato di Ostetricia,* II; Bouscaren, *Ethics of ectopic operations,* p. Ill, c. V.

Praegnatio extrauterina plerumque maturitatem non assequitur et ante tempus finem habet; aliquando tamen foetus perfectam evolutionem prosequitur, sive in tuba quae in casu non rumpitur sed valde distenditur, sive in abdomine, at nasci nequit. Tunc potest extrahi laparotomia et sectione caesarea.

Praegnationes ectopicae relative rarae inveniuntur : in proportione 1,2—1,5 %; tamen absolute, numerus earum est sat magnus, et multi casus iam observati fuerunt.

II. Opiniones falsae notandae sunt nonnullorum medicorum. qui aequiparant praegnationem ectopicam organo corrupto et tumori lethali, seu cellulis nocivis; quod etiam docuerunt olim plures theologi. Unde, sicut semper licitum est matri auferre organum corruptum vel tumorem lethalem, ita semper auferre foetum ectopicum, qui semper pro matre constituit mortale periculum.

Sed id certo falsum est :

1° quia organum corruptum est pars quaedam matris et subordinatur bono corporis materni, et similiter tumor lethalis qui afficit directe organum matris; dum foetus ectopicus non est pars matris, sed individuum distinctum, quod non subordinatur bono matris;

2° quia foetus, inde a momento conceptionis, probabiliter est homo, habens iura ad vitam et integritatem aeque ac mater. Unde sicut non licitum est directe laedere vel occidere matrem ad salvandum foetum, ita nec foetum directe laedere, vel occidere ad salvandam matrem;

3° quod ex responso S. Officii patet, 4 maii 1898, ad III : « Estne licita laparotomia, quando agitur de praegnatione extrauterina, seu de ectopicis conceptibus ? » R. « Necessitate cogente, licitam esse laparotomiam ad extrahendos e sinu matris foetus ectopicos, dummodo et foetûs et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune consulatur ».

Ex quo ad minus certo sequitur, foetus ectopicos non posse indiscriminatim considerari ut organum corruptum matris et tumorem lethalem; secus semper licita esset extractio, et nulla limitatio apposita fuisset in responso S. Officii, imo illud posset negligi et esset sine valore in praxi.

Sed extractio non potest fieri, nisi :

1° *necessitate,* non qualicumque sed *cogente,* ita ut aliud medium non adsit et tempus omnino urgeat; — et

2° *dummodo et foetus et matris vitae consulatur,* ubi primo loco ponitur foetus; — et

3° hoc, *quantum fieri potest, serio et opportune : opportune* iuxta circumstantias ipsa natura rei indicatas, tempus scii., modum et locum; *quantum fieri potest serio,* ita ut vera probabilitas adsit, et quam maxima in casu haberi possit, vitam servandi utriusque.

Quod ipsum S. Officium explicavit 5 martii 1902 : « Utrum aliquando liceat e sinu matris extrahere foetus ectopicos (extrauterinos) adhuc immaturos, nondum exacto sexto mense post conceptionem ? » R. « Negative, iuxta decretum 4 maii 1898, vi cuius foetûs et matris vitae quantum fieri potest serio et opportune providendum est; quoad vero tempus, iuxta idem decretum orator meminerit nullam partûs accelerationem licitam esse, nisi perficiatur tempore ac modis quibus ex ordinarie contingentibus matris ac foetûs vitae consulatur ». Quae explicatio sumpta est ex eodem decreto 4 maii 1898, ad I. Si autem fieret acceleratio partûs tempore quo foetus ectopicus non est vitalis, non perficeretur tempore et modo quo ex ordinarie contingentibus foetûs vitae consulatur : ita si fieret sexto mense nondum exacto, nisi quis medium haberet incubationis artificialis.

Responsum istud anni 1902, non apparet speciatim approbatum aut promulgatum; unde quidam auctoritatem eius negant vel in dubium revocant. Non securo tamen. Nam agitur de declaratione iuris naturalis, quae promulgatione non indiget; insuper can. 17 Codicis qui requirit promulgationem interpretationis explicativae legis dubiae nondum erat latus; denique, ut notat Gemelli, non indigebat nova approbatione aut promulgatione, quod erat interpretatio mere litteralis textus decreti 1898, ex verbis ipsius decreti sumptis[1].

Ergo, iuxta decretum, certo illicitum saltem est directe agere ad foetum ectopicum non vitalem eiiciendum, v. g. aperire saccum foetalem et contentum expellere, tubam dilatare et ovum e tuba exprimere, tubam aperire et ovum ex illa excidere, aut alio quocumque modo procurare abortum ipsius directum. Ita iam ex responsis 19 aug. 1889 et 24 iul. 1895; quae responsis 4 maii 1898 et 5 maii 1902 explicite applicantur foetibus ectopicis.

De abortu indirecto decreta non loquuntur expresse; mens

[1] Cfr. *N. R. Th*„ 1933. — Notetur decretum 5 martii 1902 a P. Vermeersch nec fuisse negatum; eumque admittere illicitum esse, et pro foetu ectopico, abortum directum. Cfr. *N. R. Th.,* 1933, p. 610.

autem communis theologorum est illum sub decretis no,n cadere.

III. Conclusiones exinde deduci possunt :

1° Ergo eadem principia valent de foetu ectopico ac de foetu uterino, et ideo omnino tenendum est omnem actionem directe occisivam foetûs ectopici esse illicitam; qualis esset vi electrica vel iniectione morphinica agere in cystim, quia hisce modis « foetus exponeretur directe et per se ad mortem certam et nullum levamen praeberetur matri, si res esset de mero tumore: si vero res esset de foetu in cysti, salus matris proveniret ex directa foetûs occisione
Accedit quod tunc nec foetus baptizari posset.

2° Foetus ectopicus non est iniustus aggressor. *Non aggressor,* nec materialis, ad modum hominis in amentia alterum invadentis : iste enim actum ponit qui tamen ipsi imputari nequit defectu libertatis, e contra foetus proprie non *agit,* sed potius a matre agitur et a viribus naturalibus; unde potius mater dici posset eum aggredi, cum ob defectum matris et ob naturalem concursum circumstantiarum impediatur esse in loco normali et naturali. Mediantibus involucris quidem producit vilositates, quae corpori materno se inserere conantur et nutrimentum eo sumere, sed quia locus naturalis, scii, uterus, ipsi non offertur, et necessarium ipsi est ad vitam evolvendam et conservandam; at hic est conatus mere instinctivus vitae vegetativae. Adhaerentia matri scii, est .naturalis evolutionis: proinde non actio materialiter iniusta. Et ipsum intrinsecum exercitium propriae vitae eiusque conservatio est ius, et nequit dici aggressio, cum no.n sit actio quae habeat solam matrem immediatum terminum. — *Non iniustus,* quia tramites iuris non praetergreditur, nec necessariis ad vitam renuntiare debet
Unde non est magis aggressor quam foetus uterinus qui in lucem edi nequit.

3° Excisio foetûs ectopici immaturi non solum prohibetur extra praesentem matris necessitatem, ut quidam insinuare

’ Antonelli, o. c.. II, n. 111.

1 Cfr. Cdeusen, *Le foetus injuste agresseur?* in *Miscellanea Vermeersch,* I. ubi quaestionem de aggressione expresse ponit de foetu ectopico, eamque negative resolvit.

vellent, aut quando manifeste quaeritur eius directa occisio; sed semper, etiam *cogente necessitate,* nisi *foetûs et matris vitae serio et opportune provideatur,* ut ait S. Officium : alias praecise aequivaleret directae occisioni.

4° Nec ad salvandam matrem licita dicenda est, dummodo spes sit *levissima* salvandi foetum, ut habet Antonelli[1] : id enim componi nequit cum decreto affirmante nullam extractionem licitam esse, « nisi perficiatur eo tempore et modis quibus, *ex ordinarie contingentibus,* matris et foetus vitae consulatur ». Nam quando vitae foetûs ordinarie consulitur, ipsa vita foetûs est verisimilis; ac proinde iam adest spes, non levissima, sed bene fundata et vere probabilis.

5° Eaedem regulae ac illae quae valent pro foetu certo vivente, etiam aequaliter applicandae veniunt foetui probabiliter vivo[2]. Dixerunt aliqui : si non sit medium ad dubium solvendum, teneri potest principium : ius certum matris praevalere iuri probabili infantis. Ita Génicot in primis editionibus Th. M. I, n. 376; Antonelli, l. c.; etiam aliquatenus Noldin, Th. M. II, n. 341. Sed id falsum est : illicitum enim est se exponere etiam probabili periculo occidendi, ut bene notat Vermeersch. Th. M. II, n. 628; sicut venator dubitans utrum animal sit fera vel homo, et illud vulnerando vel occidendo, reus est homicidii.

Unde id in nova editione operis Noldin deletum fuit; similiter P. Salsmans in ultimis editionibus operis Génicot id emendavit, addens : « non agitur de iure mere probabili foetûs, sed de iure certo foetûs probabilis ». Sane, qui in dubio praesentiae foetus vivi extractionem vel excisionem peragit, directe vult extrahere vel excidere ac occidere, si praesens sit. In casu, scii, adest dubium facti, in quo non valet applicari principium probabilismi, sed in quo faciendum est quod est tutius.

Ut iam scripsimus, in opusc. A. I, q. 7, η. II, not. 1, principium invocatum : *ius certum matris praevalere iuri probabili infantis,* recte applicatur, quando certa conservatio vitae in matre et probabile periculum vitae pro infante aeque immediate, ut duplex effectus, oriuntur ex eadem actione seu positione eiusdem causae; in praesenti non valet, quia periculum inductum vitae probabili infantis esset medium servandi vitam matris, id quo mediante matri consuleretur.

1 *Op. c.,* II, n. 112.

2 Decretum tamen S. Officii non loquitur expresse de foetu dubie vivo, sed supponit conceptionem.

IV. Disputationes de quibusdam operationibus adhuc remanent, utrum scii, sint directa eiectio et occisio, an e contra indirecta, qua effectus bonus immediate producatur et non mediante effectu malo. Speciatim tres disputationi subiiciuntur:

1° ablatio sacci foetalis,

2° ablatio tubae seu oviductûs, in quo foetus continetur vel cui adhaeret,

3° ligatio vel rescissio arteriarum, qua effluxus sanguinis foetui afferri prohibetur.

De quibus nunc est dicendum.

Articulus I.

De Ablatione Sacci foetalis.

I. Status quaestionis. Dicunt quidam illicitum esse, aperire saccum foetalem et immediate foetum extrahere aut expellere : id enim est actio directe occisiva et damnatur a S. Officio; sed, aiunt, ob positionem abnormalem matri nocivam, saccus foetalis potest aequiparari organo corrupto aut tumori lethali, qui possit auferri urgente periculo, etsi foetus contineat : eodem modo ac de utero morbido diximus. Unde non directe sed indirecte tantum occiditur foetus.

Ita docuit Lehmkuhl’, sed in hac re est suspectus, quia vult .negare vim decreti S. Officii 5 martii 1902, et quia docuit liceitatem abortus directi, qui indirectus dicebatur unice quia medicus effectum baptismi intendebat. Et in hac re, quantum ad casum foetus ectopici, consentiunt Schmitt, in Noldin, Th. M. II, n. 341; Salsmans, in Génicot, Th. M. I, 377; recenter Davis, *Moral and Pastoral Theology,* II. c. VI, sect. 10, n. 8; item Antonelli in 1" editione *Medicinae Pastoralis,* sed in altera editione et sequentibus sententiam mutavit et in mutata perseveravit.

1 « Non puto decretum illud hoc sensu intellectum pro lege obligante sumi debere, maxime cum desit, ut dixi, omnis Apostolicae Sedis approbatio, minus etiam pro lege universaliter obligante, sed restringendum esse ad eos casus, in quibus excisio illa directae abortus procurationi aequivalet. In casu autem proposito censeo non adesse nisi indirectum abortum » *Th. Mor.,* ed. 12“, I, n. 1011.

II. Indicium. Haec sententia falsa est. Nam :

1° Idem et u.num est, observat Gemelli, extrahere foetum e sacco, vel saccum foetum continentem extrahere, quia a foetu formatur, et naturale est eius involucrum.

2° Unde saccus foetalis non potest haberi ut tumor afficiens matrem, vel ut organum aegrotum matris, sed est aliquid foetûs. Sicut ergo actio directa in placentam illicita est, et directe occisiva, ita etiam actio in saccum foetalem directa.

3° Quod si liceret, fere semper licitum foret excidere conceptus ectopicos, quod cum responsis romanis non congruit. Ceterum dicunt laparotomiam non licitam esse ad illos extrahendos e sinu matris, nisi vitae foetûs serio et opportune consulatur, nec proin ad immaturos extrahendos, nisi tempore et modis quibus ex ordinarie contingentibus foetûs vitae provideatur : quod extractio illa fiat sive e sacco sive cum sacco, pari modo est foetui damnosa, ac pari modo damnata.

4° Periculum in casu ex praegnatione immediate oritur, remedium pro matre quaesitum est ablatio praegnationis. Unde est actio abortiva non indirecta, sed directa, et pariter directa occisio [1].

Deest proinde paritas praegnationis ectopicae cum utero gravido infecto : in hoc casu oritur periculum ex utero matris, non ex foetu, in illo ex foetu, non ex organo matris; in uno casu periculum removetur excisione organi materni, in altero tollendo praegnationem et foetum.

III. Corollarium. Igitur tantummodo licitum esse posset, si alii tumores lethales, organa matris afficientes, cum foetu essent coniuncti, nec possent auferri sine ipso : in hoc casu licitum esset directe auferre, non quidem foetum aut eius involucrum, sed tumores illos connexos, ex quo indirecte sequeretur ablatio foetûs.

Pariter dicendum, si esset tumor lethalis, qui a foetu non proveniret, sed in quo foetus inveniretur cum suis involucris.

Alii scii, ita rectius dicunt [1] : sed an ultimus casus occurrat, dubitari potest.

1 Ita Finney, in *Eccl. Review.* 1928; Gemelli, *N. R. Th.,* 1933; et Bouscaren, *Ethics of ectopic operations.*

1 Ita Capellmann-Bergmann, o. c., de 5° praec., η. 4; et Finney, *Eccl. Review,* 1928.

Articulus II.

De Ablatione Oviductûs foetum continentis.

I. Status quaestionis. Casus proponitur a P. Vermeersch, in 2° ed., 1928, Th. M. II, n. 629 : « Cogente necessitate fas est auferre oviductum, seu partem oviductûs, quae iudicatur cum magno periculo ruptum iri. Id licet, etsi contineat foetum qui simul auferetur. Ratio est quia tunc mere permittitur mors foetûs : directe non eligitur nisi matris mutilatio quae, ad salvandum totum corpus, licita est ».

De hac re ex professo scripsit L. Bouscaren, in opere bene noto *Ethics of ectopic operations,* Chicago, 1933. Ait illicitum quidem esse directe extrahere foetum, aut directe interrumpere praegnationem, at indirecte ob rationem proportionate gravem esse licitum : id vero limitat ad unum casum, excisionem tubae periculose infectae. Conatur ostendere talem operationem esse indirecte occisivam, non directe, ac proinde licitam ob rationem proportionate gravem : cum enim praegnatio tubaria sit casus pathologicus, quo tuba laborat, licitum est illam data necessitate excidere. Periculum enim non ex ovo fecundato, nec ex sacco foetali proxime oritur, quod imminet tubae, sed est ex ipsa tuba iam infecta. Et ideo sicut licitum est uterum infectum extirpate cogente necessitate, ita et tubam. Sic in laudato opere[1], p. 4“, c, 6.

II. Indicium. Id videtur verum, adesse paritatem inter excisionem tubae periculum inferentis et excisionem uteri gravidi cancro infecti: unde eodem modo *probabile* est utramque operationem esse licitam, quia tuba, sicut uterus, est pars matris, quae subordinatur bono matris: attamen licitam esse tantum *in necessitate,* et quidem *cogente,* ut ait S. Officium 4 maii 1898, ita ut

1° non sit aliud medium salvandi matrem: — et

2° si periculum proveniat a statu praesenti seu conditione oviductûs, v. g. quia iam est corruptus; — et

1 Cfr. etiam *Eccl. Review,* 1935: et Werner Moore, *Principles of Ethics,* 1935.

3° dum periculum non solum praevideatur probabiliter obventurum, sed sit moraliter certum et imminens.

In casu eiectio foetûs non est medium salvandi matrem, sed ipsa excisio tubae : foetum eiicere non sufficeret, manente tuba, quia ipsa tuba infecta est et matri periculum infert.

Obiiciunt : Periculum est ex praegnatione, tollitur remotione praegnationis; ergo actio est directe nociva foetui et ipsius occisiva.

Resp. Praegnatio est quidem causa periculi mediata et remota, sed ipse status tubae infectae est causa proxima et immediata periculi. Hoc est mediate ex praegnatione, sed immediate afficit organum matris. Hinc directe et immediate non est praegnatio tollenda, sed mediate et mere consequenter tollitur ex remotione directa et immediata organi vitiati.

III. Applicationes. Auctor praelaudati operis, multo latius quam diximus, sententiam suam applicat in praxi. Ait : extra casum urgentis necessitatis, non quidem semper excisionem tubae faciendam esse statim, sed nec semper esse expectandum. Oportet adsit ratio proportionate gravis; haec est proportionate necessitas matris. Cum enim probabilitas salvandi foetum fere nulla sit, et valde parva comparative ad salutem matris obtinendam, hinc sufficit ad operationem statim faciendam, ut sit *probabilitas notabiliter maior ita securius salvandi matrem.* Ideo :

1° si mulier poni possit sub observatione medicali, expectandum est ab operando;

2° si observationi nequeat subiici, ordinario statim est operatio facienda, quia notabiliter maior est probabilitas ita salvandi matrem;

3® si occasione alius operationis, accidentaliter detegatur praegnatio tubaria, etiam licite fit statim operatio, quando mulieri altera operatio posterior est valde periculosa, ut saepe accidit : hoc casu etiam adest illa probabilitas longe maior sufficiens;

4" casu quo licita sit excisio tubae, etiam licitum est tentare translationem conceptus ectopici de tuba in uterum, cui est inserendus;

5° si tamen foetus iam pervenerit ad 4m vel 5m mensem gestationis, et propius accedat ad tempus quo sit vitalis, expectandum erit cum operatione, nisi *probabilitas iam accedat ad certitudinem moralem,* seu *fere moraliter certum sit,* aliter matrem non posse salvari;

6° si foetus iam sit vitalis, ordinario extrahendus erit operatione caesarea, quae de se etiam est obligatoria, — nec regulariter permitti potest ut foetus moriatur in abdomine matris.

Censemus principium invocatum viam non praebere securam, sed periculis plenam et late apertam laxioribus solutionibus. Imprimis non praebet iudicium firmum et definitivum, cum minor probabilitas pro vita foetûs augeri poterit ex progressu artis chirurgicae et cum capacitate maiore chirurgi; et illa probabilitas notabiliter maior pro matre possit strictius vel latius intelligi, et ab unoquoque fere sicuti velit [1]. Insuper in aestimanda ratione proportionali

a) non solum comparative ponderanda est probalilitas mortis matris et probabilitas vitae infantis, et consideranda conditio favorabilior matri;

b) etiam attendendum est an operatio statim facta multo deteriores non reddat conditiones infantis, ut de facto evenit, cum loco possibilitatis et cuiusdam probabilitatis pro vita, iam habeatur omnimoda et radicalis impossibilitas;

c) item an operatio sit stricte necessaria hic et nunc, secus salus matris etiam forsan aliter obtineri poterit. Nunquam enim audivimus esse licitum causare mortem alterius *per se,* quamvis indirecte, nisi in urgenti necessitate ad servandam vitam propriam (aut bonum moraliter aequivalens) : excisio tubae vero, per *se, necessario et semper,* causât mortem infantis nondum vitalis. Ergo ad eam peragendam requiritur necessitas urgens. Hinc :

1° Ad operationem statim faciendam regulariter exigenda videtur conditio illa, quam auctor requirit tantum pro foetu 4' aut 5l mensis, nempe quod moraliter certum sit matrem aliter salvari non posse. Quae conditio non aderit, nisi necessitas sit proxima.

2° Quod praegnatio ectopica detegatur occasione alius operationis, est circumstantia extrinseca quae ordinario non

1 In terminologia S. Alphonsi, probabilitas inulto seu notabiliter maior aequivalet, in ordinariis adiunctis, certitudini morali. Sed ista non est terminologia auctoris, cum probabilitatem notabiliter maiorem a morali certitudine distinguat, imo a probabilitate quae ad hanc certitudinem accedit. Proinde haec notio probabilitatis notabiliter maioris, ad mentem auctoris, videtur satis extensibilis.

mutat casum essentialiter : maior opportunitas faciendi operationem nondum est cogens necessitas, aut periculum mortis moraliter certum vitandum; nisi simul adesset gravis haemorraghia praegnationem afficiens.

3° Probamus tamen quod auctor dixerit de tentamine insertionis conceptus ectopici in utero : illam attentare licitum est loco alius operationis, dummodo sit seria et magis probabilis spes ita salvandi foetum. Sed haec probabilitas vix haberi poterit, nisi operatio primis conceptionis hebdomadis fiat [1].

4° Item omnino probamus quod dicitur de sectione caesarea facienda ad extrahendum foetum vitalem. Nec legitimari potest consuetudo contraria, quae in quadam regione viget, saltem ut a baptismate privans infantem. In casu praegnationis ectopicae, sectio caesarea non est tam periculosa et mortifera : secundum statisticas sat recentes periculum mortis pro matre non est ultra 22 %, et sunt adhuc statisticae benigniores: ceterum etiam si non fiat operatio, non omne periculum abest pro matre. Tempus magis opportunum sectionis faciendae pro vita foetûs, videtur adesse mense 8 *Yz* gestationis.

IV. Animadversiones. Semper in casu excisionis, est baptismus infanti conferendus. Non tamen licitum est excidere tubam aut extrahere foetum ut baptizari iste possit, quia non est actioni directe occisivae subiiciendus ut baptismum recipiat et aeternam salutem consequatur, cum non sint facienda mala ut eveniant bona, nec malum eligi possit tamquam medium ad finem bonum.

Articulus III.

De Ligatione Arteriarum.

I. Ligatio arteriarum, vel tubae, fieri contingit ad haemorrhagiam matris impediendam. Casu quo haemorrhagia periculosa sit exorta (ut v. g. illa quae indicet rupturam), haec operatio licita videtur, si etiam fieret absente graviditate, et

[1] Cfr. Ferreres, *Casus conscientiae,* I, de 5° praec., cas. 10; Dr. Clément, *Le Droit de l'enfant à naître,* p. 71; et Bouscaren, o. c., p. 4, c. 6.

necessaria sit ad conservandam vitam matris : tunc enim indirecte tantum occiditur foetus, quia privatur oxygenio et nutrimento, et sic perit asphyxia; porro mater non tenetur oxygenium aut nutrimentum ministrare foetui cum periculo vitae suae propriae[1].

Ita, dummodo haemorrhagia sit a) *granis,* quia etiam leves sunt[2], et b) operatio sit *necessaria* ita ut secus periret mater; ac proinde ab ea facienda, expectandum est pro vita infantis quamdiu sit possibile.

II. Corollarium. In duplici itaque casu illa ligatio licite fieri potest ;

1° ut operatio praeparatoria ad excisionem organi corrupti matris immediate sequentem, ita ut ipsa ligatio immediatam mortem foetûs nondum per se actu inferat, sed eius mors sequatur ex ablatione organi materni, sicut diximus, q. 3, a. 1, η. IV;

2° ut operatio de se necessaria et quaesita ad vitam matris salvandam ab haemorrhagia.

CONCLUSIONES.

I. Itaque in praxi :

1° Si mulier prae se ferat tumorem internum, cuius natura nosci non potest, opus est, imprimis medicum nihil agere et expectare tempus quo facilius dignoscatur. Quodsi sit foetus, expectandum est tempus quo sit vitalis ad operationem laparo-

1 Cfr. Bouscaren, *Ethics* of *ectopic operations;* Werner Moore, *Prin~ciples of Ethics:* et *Eccl. Review,* 1935.

’ Ita Antonelli, o. *c*., I, n. 247 : « *Saepe,* in 2° vel 3° mense, membranae foetûs scinduntur et haemorrhagia fit, quae matris mortem per anemiam afferre potest, vel si fluxus sanguinis fit in parvis cavitatibus abdominis, minime ordinarie matris mors sequitur, quia parvae cavitates, cum sanguine repletae sint, pressionem exercent in vasis sanguineis laceratis, quae ulteriorem haemorrhagiam Impediunt, oriuntur tamen tumores a sanguine coagulato... Ruptis membranis, foetus moritur et paulatim resorbetur. — Si membranae scinduntur extra locum, quo inseritur placenta, *plerumque* mors matris non sequitur; et foetus in abdomen transit, ubi perfectam evolutionem consequi potest, aut moritur. Si vero membranae non scinduntur, foetus pariter moritur, et tunc resorbetur, vel plures mutationes particulares patitur, vel suppurationem inducit... ».

tomiae faciendam; secus sine ulla causa necessitatis, operatio tenderet in damnum foetûs.

2° Si praesentia foetûs vivi sit certa et ruptio cystis sit proxima, adducens forsan mortem matris et foetûs, licita est excisio cystis si adsit spes servandi foetum qui certo vel probabiliter est vitalis; secus illicita. In primo casu immediate sequitur effectus bonus : repellere periculum matris, — imo et probabiliter prolis, — quamvis indirecte possit perire infans; in altero casu immediate et directe occiditur infans, et mediate avertitur periculum matris. Ita si fieret excisio nondum exacto sexto mense post conceptionem.

3° Si tamen aliquod organum matris foret corruptum aut infectum, vel tumor a foetu independens, et ex eo non formatus, matri periculum afferret : ista directe possent auferri, etiam si per accidens aut indirecte simul secum traherent ejectionem foetûs. Quo casu baptismus statim esset conferendus foetui, cum iste forsan cito moriatur.

4° E contra, si existentia foetûs etiam sit tantum vere et solide probabilis, illicitum est agere in cystim (ut v. g. ablatione, fluido electrico vel morphinica iniectione), quia hisce operationibus directe et per se sequitur certa mors infantis, et nonnisi per illam salus matris. Insuper baptismus infantis redditur impossibilis.

5° Si expectando tempus quo foetus sit vitalis, valde timeatur periculum vitae matris, et praesentia foetûs nondum noscatur indiciis ordinariis, nec ulla signa positiva seu probabilia adsint eius praesentiae, .nec etiam media dentur ad hoc dubium expellendum : laparotomia *forsitan* videri poterit *probabiliter* licita, quia praesentia foetûs nullo modo est probabilis sed tantum negative dubia, certum vero periculum matris. Non enim tenemur, etiam in his gravibus adiunctis, attendere leves omnino probabilitates, vel meras possibilitates aut hypotheses, sed dubium negativum, utpote in .nullo fundatum, est spernendum [1]. Unde cystis videtur tunc considerari posse ut merus tumor, qui ex alia causa provenit, et sic non intenditur directe nocere foetui, — cuius praesentiae nullum signum habetur .nec haberi potest, — sed directe tumorem auferre, ex quo sequitur immediate cessatio periculi matris, quamvis

1 In hoc sensu intelligenda sunt quae minus clare proposuimus in Opusc. A. I, q. 7, η. I, 2.

indirecte et posterius sequi possit mors infantis, si tamen existât.

II. Quomodo medico sit procedendum [1]. Processus est invigilantia expectativa. Quamdiu cystis, eo quod crescit normaliter et regulariter, vitae signa praebeat, vel quamdiu id probabile sit, expectandum est usque ad terminum normalem 9 mensium, vel usque ad terminum quo foetus certo sit vitalis, ad illum extrahendum. At expectationem comitetur invigilantia qua, in casu praematurae rupturae, medicus intervenire paratus sit. Ad quod mater edoceri poterit de indiciis huius rupturae, vel, melius, in hospitio vel clinica posset observationi subiici. Ita non fieret operatio inutilis, casu quo moritur foetus vel quo resorbetur; simul foetus vitalis conservatur et possibilitas est illum perducendi ad maturitatem; denique periculum reducitur ad minimum, eo quod mater sub invigilantia medici manet aut etiam sub observatione ponitur : nam in casu rupturae, raro fit quod haemorrhagia mortem matris afferat, si tempestive dignoscatur; unde non est necessitas cogens ad haemorrhagiam praecavendam vel impediendam.

III. Animadversiones. 1° Iudicium de opportunitate aut necessitate operationis in concreto pertinet ad medicum, data operationis liceitate; sed iudicium de liceitate operationis, etiam in concreto, ac de necessitate huius operationis ut licita esse possit, ad theologum.

2° In quaestione foetus ectopici, sicut in materia abortûs, principia quamdam obnubilationem sunt passa, tum ob modum minus clarum et minus firmum proponendi doctrinam, tum ob modum sentiendi laxiorem quorumdam theologorum : ex desiderio reducendi obligationes ad minimum, excusandi, vel multa permittendi et libertatem pro posse relinquendi medicis, ita quod horum conscientia in tranquilitate subsistat, doctrinam reticent, aut non urgent, aut aliquatenus dubiam proponunt vel etiam conantur putare. Sed ita fit in detrimentum veritatis et moralitatis. Ceterum iudicium de liceitate et moralitate non est relinquendum medicis; imo ad bonum medicorum pertinet quod res non pendeat ab ipsorum arbitrio, sed, ut resistere valeant sollicitationibus pravis, oportet

[1] Cfr. Capellmann-Bergmann, o. c., 19s ed. gall., p. 54; Dr. Vincent. apud Drm. Clément, *Le droit de l'enfant à naître, p.* 69-71.

opponere possint conscientiam honesti viri et immutabilem prohibitionem legis moralis.

3" Meminerint medici suum munus esse vitam conservare atque sanare, non destruere, atque vitam tam infantis quam matris : quibus par est ius, pariter servandum.

4" In praecedentibus plures solutiones reiecimus, quin formaliter dixerimus eas non esse in praxi tutas. Ne exinde concludas illas non esse certo falsas aut improbabiles, ac proinde in praxim posse deduci, ut quidam putaverit[1]. E contra, eo quod bonas opposuimus rationes, et argumentis contrariis respondimus sufficienter, eo ipso de se evanescit probabilitas solutionis impugnatae, et sequitur eam non esse securam, nec in praxi adhibendam; nisi contrarium expresse notetur.

1 Payen, *o. c.*. ch. XVIII, § 3. n. 4.

IL DE STERILISATIONE

I. Sterilisatio pertinet ad scientiam eugeneticam.

Scientia genetica est scientia experimentalis haereditariae transmissionis et variationis apud viventia, nempe apud vegetalia et animalia, atque legum quae ipsi praesident; quae leges hucusque sunt incertae.

Eugenetica est eadem scientia hominibus applicata : haec altera proinde minus est evoluta quam illa prior.

Fundamentum istius scientiae est investigatio cellulae.

Eugenismus etymologice est bona nativitas. *Eugenetica intendit bonam gentem, fortem et robustum populum.* Finem sibi proponit *meliorem et robustiorem reddendi stirpem* ac speciem humanam, cum plures in praesenti sint causae eam inficientes, praesertim nonnulli morbi, qui continuo augescunt magno cum detrimento familiae et civilis consortii, quales sunt tuberculosis, syphilis, morbi mentales ex quibus dementia, alcoolismus, morphinismus, cocainismus, etc. et multi alii, quorum plures per haereditatem transmittuntur, et proveniunt ex perturbata immutatione organica, ac frequentissimi sunt. Maiora damna societati afferunt tuberculosis et syphilis.

Media ad illa minuenda et extirpanda adhibere sane licitum est, dummodo ipsa media sint licita, non mala.

lamvero plura media adhibita sunt illicita et mala. Alia sunt *indirecta,* quibus utitur *positiva eugenetica,* ut prohibitio legalis omnis matrimonii cum quacumque persona, obligatio producendi testimonium medicale quo constet de sanitate tamquam conditio sine qua non matrimonii; alia *directa,* quibus utitur *eugenetica negativa,* ut sterilisatio, neomalthusianismus, procuratio abortus, etc.[1]

In sequentibus dicemus de sterilisatione.

[1] Hinc Pλυεν. *Déontologie médicale,* ch. XII, art. 4, § 2. de falso Eugenismo sequentia statuit : Le faux Eugénisme empêche de se marier par le certificat prénuptial obligatoire, auquel est subordonnée l'autorisation légale, — il empêche de concevoir par le néo-malthusianisme et par la stérilisation, — il empêche de naître par l'avortement, — il empêche de vivre par l'infanticide, devant lequel certains ne reculent pas après la naissance, — il empêche de survivre en la société par le rejet des lois protectrices des faibles, mais qu'il regarde comme inhumaines et cruelles.

II. **Sterilisatio** *(onvruchtbaarmaking)* significat actionem seu operationem quae aliquid reddit sterile, ita ut nullum fructum producat, v. g. actio impediendi fermentationem. Sic loquuntur de sterilisatione liquidi, v. g. lactis.

In biologia, est actio qua redditur ens vivum infecundum vel incapax reproductionis. In physiologia, est actio quae privat hominem, virum vel feminam, possibilitate procreationis seu quae eum reddit incapacem generationis.

Sterilitas distinguitur duplex : alia est mera sterilitas seu sola incapacitas generandi; alia oritur ex incapacitate copulam exercendi carnalem generationi aptam. A theologis et canonists prior vocatur simpliciter sterilitas seu impossibilitas generandi; altera non solet vocari sterilitas, sed impotentia, quia includit impotentiam coeundi, quae, si sit perpetua, est impedimentum dirimens matrimonium.

A theologis id intelligitur de copula physiologice spectata, seu de actione de se apta generationi, qua scii, semen viri deponitur in vase debito seu in vagina mulieris. Sed a medicis saepe res mere physice consideratur, scii, sola physica possibilitas copulationis, sive semen deponatur sive non; unde vir qui potest copulam instituere, licet semen non emittat nec emittere possit, non est impotens pro medicis. Pro theologis autem est vere impotens, imo iure .naturali, ita ut, si haec dispositio perpetua sit, matrimonium inire non valeat[1].

III. Varii modi sunt perficiendi sterilisationem.

1° *Media biologica* possunt producere temporalem sterilisationem in femina. Ita

a) iniectione cuiusdam elementi spermatis, v. g. hormonum praesertim ariei, quod agit per modum vaccinationis immunem reddentis per tempus 6-8 J4 mensium; at tempus poterit forsan augeri iniectionibus repetitis;

b) item iniectione extracti ex ovariis, aut placenta, aut foetu.

Pariter iniectione substantiae anaphrodisianae forsan in viro obtineri potest sterilitas, vel impotentia, sed ad tempus tantum.

2° *Media physica* pariter. Per radios sic dictos X seu a Roentgen, vel per radios e Radio productos, et in testiculos viri vel in ovaria feminae directos, temporalis vel perpetua

1 Medici non ideo negant doctrinam theologorum, sed utuntur alia terminologia.

sterilitas oriri potest pro dosi : ita destruitur activitas genitalis vel atrophia procuratur testium et ovariorum. At medium non semper est infallibiliter certum. In debili dosi potius habetur excitatio ad ovulationem.

Alia media physica sunt dolorosa et incerta.

3° *Media chirurgica*[1] maxime :

A. Apud virum sunt : a) *castratio* seu ablatio vel extirpatio 2 testiculorum; at huius effectus est nocivus organismo : nocet nempe sanitati et characteri virili, ob absentiam secretionis interioris hormonum.

b) *vasectomia* seu 2 vasorum deferentium, i. e. canalium qui sperma seu semen a testiculis deferunt in penem seu virgam, ligatio vel resecatio, ita quod semen eiaculari nequeat. Operatio est valde simplex, non dolorosa, nec periculosa, nec nociva : durat 5-10 minutis, ita ut vir statim fere seu crastina die iam vacari possit operibus ordinariis. Nec est modificativa charcteris virilis aut sexualis appetitus, nam vir conservat semen perfectum, sed illud eiaculare non valet.

Disputatur an possit remedium afferri sectioni seu resecationi, et communicatio per vasa deferentia rursus restitui, saltem in quibusdam adiunctis. Non tamen est notum exemplum quo possibilitas generationis sit reddita viro.

B. Apud feminam : a) *ovariotomia* vel *hysterectomia* i. e. ablatio 2 ovariorum vel uteri, quae fit via naturali per vaginam (colpotomia), aut per abdomen (laparotomia), quo ultimo casu aliquod periculum affert. Effectus eius sunt nocivi, et mutat characterem mulieris; sed minus nocet quam castratio viro.

b) *fallectomia,* seu *salpingectomia.* i. e. ligatio vel resecatio oviductûs, seu 2 tubarum quae communicationem praebent inter ovaria et uterum; qua impeditur ovulum descendere in uterum et semen virile ad illud pervenire illudque fecundare. Periculum aliquod includit; octo diversis modis fieri potest. Non tamen est semper medium infallibiliter certum : efficacior modus est sectio inter duas ligaturas.

c) *inclusio* uteri vel huius *isolatio;* at non praebet medium semper certum.

Potestne sterilisatio auferri et feminae restitui potestas generandi, casu quo ovaria non sunt ablata ? Resp. Quandoque

1 Cfr. Muret, *De la stérilisation sexuelle.*

restitui potest communicatio inter ovaria et uterum, si simplex fuerit resectio tubarum vel inclusio uteri : quatuor nempe allegantur casus.

Hodiernis temporibus castratio parum in usu venip sed ovariotomia pro feminis saepe fuit in usu versus finem saec. XIX. Nostris diebus tantum *solent* fieri vasectomia et fallectomia.

Sterilisatio itaque est actio qua aufertur organum genitale, vel illud substantialiter laeditur, aut qua impeditur transitus elementi essentialis, scii, seminis aut ovuli, in locum debitum in quo possibilis sit conceptio.

IV. Momentum quaestionis patet ex eo quod non tantum individui quidam privato consilio sterilisationem adhibeant, sed in quibusdam Statibus potestas civilis lege eam introduxerit vel et obligatoriam reddat \

Non in Germania id ortum habuit; iam a 40 annis existit. Anno 1897, in Statu Americae Michigan lex proposita fuit, sed non admissa. Anno 1905, Pensylvania adoptavit legem, sed haec non fuit sancita ab auctoritate Statûs. Anno 1907, lex lata fuit in Indiana et dein in multis Statibus foederatis Americae. Hodie ex 48, 27 habent legem de sterilisatione'. Etiam in Dominio Canadensi, 2 Status, scii. Alberta (1928), et Columbia britannica (1933) habent legem.

In Europa, praeter Germaniam, canton helveticus Waldis (Vaud, Waadt) et Dania legem introduxerunt (1929); recenter etiam Suetia et Norvegia (1934), denique Finnia (1936). Lex proposita fuit in Britannia maiore; et quaedam tendentia propenendi observari potest in Cecoslovachia et Hispania.

Non omnes leges sunt similes : sunt enim plus minusve rigorosae, et se extendunt ad aliquas vel plures categorias;

1 Conferri possunt : Davis, *State Sterilisation of the Unfit;* Landmann, *Human Sterilisation;* Nisot, *La question eugénique dans les divers pays.*

1 Sunt : Indiana, Washington, California, Connecticut, Nevada, Iowa, New Jersey, New York, N. Dakota, Kansas, Michigan, Wisconsin, Nebraska, Oregon, S. Dakota, New Hamsphire, N. Carolina, Alabama. Montana, Delaware, Virginia, Idaho, Utah, Minnesota, Maine, Missisipi, W. Virginia, Arizona, Vermont, Oklahama. Nimirum 30 Status, sed in 2, scil. Nevada et New Jersey, lex non applicatur, et in New York fuit abrogata anno 1920.

quaedam exigunt multo plures conditiones; aliquae tantum de consensu personae sterilisationem permittunt, si consentire valet, vel de consensu suorum; aliae etiam obligationem imponunt.

In Statibus Americae foederatis, iuxta satisticum computum 1 ianuarii 1933, personae sterilisatae ex applicatione legis erant 16.066, — scii. 6.999 viri, et 9.067 feminae, — quarum % pars est Californiae, scii. 8.504 personae. Recenter numerus auctus est usque 8644 viros et 11.419 feminas'. Verum ergo non est, quod plures asserunt, legem in America non applicari. Sterilisatio fere semper procuratur vasectomia et fallectomia; nimirum in 19/20 casibus.

Lex americana ob rationes eugenicas fuit lata principaliter, secundario ob rationes pecuniarias : ut Status minus solvere debeat pro cura infirmorum et amentium'.

1 Ante 1921, erant 3.238 personae sterilisatae, scii. 1.858 viri et 1.380 feminae: 403 ob debilitatem mentalem, 2.700 psychopathicae, et 135 criminosae. Ad 1 ian. 1925 : 6.244 scii., 3.307 viri et 2.937 feminae.

' Ita allegatur Ada Jukes (t 1740), cuius ante annum 1877 noti erant 709 descendentes, quorum 312 erant mendicantes, 76 criminosi inter quos 12 homicidae, 174 meretrices, 196 illegitimi. Novis autem investigationibus factis post annum 1877, de familia Jukes iam notae sunt 2.094 personae. quarum 1.258 anno 1915 adhuc viventes: inter has plus quam dimidia pars laborabat debilitate mentis vel epilepsia, 41 erant ob delictum damnatae, 65 solum erant normales. Pro sustentatione illorum in publicis institutis, solvit Status New-York 2 million dol. — Similiter narrat Dr. Malley 2 meretrices in New-York habuisse per quinque generationes: 709 delinquentes, ex quibus 152 feminae meretrices, pro quibus Status solvit 5.500.000 dol. — Pariter quidam, notus sub nomine Zéro, habuit 303 descendentes, quorum 81 abnormales, 74 in iuvenili aetate defuncti, 62 illegitimi, 36 moribus deperditi, 84 vagi, 24 criminosi, 22 dubii: solum 39 sunt honesti. — Femina quaedam vaga (t 1740), iuxta Piate, habuit descendentes 106 illegitimos. 142 mendicantes, 181 meretrices. 76 criminosos. — Expensae autem annuae pro solis manicomiis in Statibus Foederatis sunt 85.000 dol., et quotannis augentur.

Dr. Pôllmann describit 800 descendentes mulieris alcoolicae, quorum 107 illegitimi fuerunt, 102 mendicantes. 181 meretrices, 75 delinquentes, 7 homicidae, pro quibus omnibus gubernium exsolvit 6.030.000 mc. — Narrat Dr. Vervaeck, de criminoso anno 1720 nato, ipsum reliquisse 2.000 descendentes, quorum 1.500 examini fuerunt subiecti : horum 197 sunt criminosi, 300 mendicantes, et vagi. 440 debiles, ebrii, abnormales, 50 prostitutioni dediti, 213 honesti, 300 in aetate infantili mortui, etc., etc...

Lex gertnanica lata est ob rationes eugenicas : ad meliorationem stirpis. Status invigilare maxime debet conservationi et perfectioni stirpis, et quidem perfectioni biologicae et physicae gentis, quae est conditio perfectionis intellectualis. Quapropter impedienda transmissio haereditaria defectuum. Articulus 1 legis sonat : « Om.nis persona, affectione haereditaria afflicta, potest reddi infecunda per interventionem chirurgicam, si experientia medica verisimiliter praevideatur posteritatem eius haereditate contracturam graves anomalias physicas et morales ». Graves habentur : debilitas mentalis congenita, schizophrenia, amentia manica depressiva, choreomania haereditaria *(Erbsveitstanz, danse de St Guy héréditaire)*, epilepsia haereditaria, caecitas haereditaria. surditas haereditaria, gravis difformitas physica haereditaria, et etiam alcoolismus gravis.

Etiam invocatae fuerunt rationes pecuniariae; expensae pro criminoso sunt 3.50 me. in die, pro surdo-muto 5-6 me. in die, dum operarii habent salarium 2.51 mc. In uno anno aestimantur pxpensae factae pro criminosis et infirmis ex haereditate, 350 million.; alii dicunt eas attingere 1 milliard, mc. Cum Regnum Germanicum hodie sit ex pauperrimis, intendit illas expensas minuere.

Lex illa multis non placet, tum in Germania, tum in diariis internationalibus, quae considerant esse dignitati humanae personae adversum talem legem obligatoriam reddere.

Die 15 ianuarii 1935, scripsit *Vôlkische Beobachter* 410.600 esse sterilisandos in Germania, nimirum 200.000 ob debilitatem mentalem, 80.000 ob schizophreniam, 20.000 ob amentiam manicam depressivam, 600 ob choreomaniam, 60.000 ob epilepsiam haereditariam, 4000 ob caecitatem haereditariam, 16.000 ob surditatem haereditariam, 20.000 ob defectus physicos graves, 10.000 ob alcoolismum gravem.

Multi commoti fuere hisce numeris. Hinc consiliarius ministerialis Gutt declaravit quod omnes cautiones sumeret ne absus essent in applicatione; aitque praedictas computationes esse exaggeratas.

Etiam quaedam concessiones factae sunt catholicis : personae damnatae ad sterilisationem non debent illam subire si in instituto velint manere occluso, ubi sedulo impeditur omnis relatio sexualis. Et medici catholici non obligantur ad designandos infirmos qui ex lege deberent sterilisari.

Sed declarationes istae et concessiones respiciunt quasdam circumstantias in executione legis, non vero principia quibus innititur.

V. Quaestiones tractandae sunt de sterilisationis moralitate :

1° de moralitate sterilisationis privatae,

2° de moralitate sterilisationis publica potestate imponendae,

3° de cooperatione ad sterilisationem.

Quibus iungatur appendix de matrimonio sterilisatorum.

De quibus breviter sumus dicturi.

QUAESTIO PRIMA.

De Moralitate Sterilisationis privatae»

I. Sterilisatio est de genere mutilationis. Est enim actio quae reddit hominem sterilem seu infecundum. Unde est mutilatio tam sub aspectu morali quam sub aspectu medicali et chirurgicali : operatio qua corporis membrum aut organum aufertur vel ineptum redditur ad functionem naturalem, seu quae membrum vel organum, aut eius usum aut functionem organicam supprimit[1], in casu functionem generandi.

Distinguitur mutilatio directa, quae in se intenditur tamquam finis vel medium; et indirecta, quae in se non intenditur nec ut finis nec ut medium. Illa est actio quae ad nihil aliud immediate tendit quam ad mutilandum; haec est actio quae immediate tendit ad aliud, licet etiam mutilatio ex ipsa oriatur. Eodem modo distinguunt occisionem directam et indirectam.

Iamvero evidens est actionem indirecte mutilantem esse licitam, ob rationem proportionate gravem; seu ob bonum maius quod immediate ex ipsa actione sequitur et non mediante mutilatione. Unde quaerimus de liceitate et moralitate mutilationis et sterilisationis directae.

II. Directa sterilisatio non est licita, nisi ad bonum totius

1 Sensu etymologico mutilatio est amputatio seu ablatio membri; sed theologice, laesio gravis etiam dicitur mutilatio, ut si organum subsistit sed naturali sua functione privatur.

corporis. Nullus privatus potest seipsum mutilare nec mutilare alterum, quia homo .non est dominus humani corporis, cuius non habet dominium plenum et perfectum, sed solum usum seu quoddam dominium utile. Est tamen licitum, si necessarium sit ad salutem totius corporis, quia rectum est partem auferre ad conservandum totum. Ut S. Thomas ait, II-II, q. 65, a. 1 :

« Membrum aliquod, cum sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum proper perfectum. Unde disponendum est de membris humani corporis secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis, per accidens tamen potest contingere quod sit nocivum; puta cum membrum putridum est totius corporis corruptivum. Si ergo membrum sanum fuerit et in sua naturali dispositione consistens, non potest praescindi absque totius corporis detrimento... Si vero membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tunc licitum est de voluntate eius cuius est membrum, putridum membrum praescindere propter salutem totius corporis; quia unicuique commissa est cura propriae salutis. Et eadem ratio est, si fiat voluntate eius ad quem pertinet curare de salute eius qui habet membrum corruptum. Aliter autem aliquem membro mutilare est omnino illicitum ».

Hinc praeter casum in quo operatio necessaria sit ad salutem corporis, ita quod alias obtineri nequeat, directa sterilisatio est *intrinsece mala*[1], quia contra ius naturale. Est etiam mutilatio notabilis seu *gravis,* utpote hominem privans functione generandi, quae est maximi momenti. Et ideo est *peccatum grave.*

Non potest censeri levis :

1 Quidam dicunt sterilisationem *non esse de se malam,* qui modus loquendi posset male intelligi. Sane non est de se mala, eo sensu quod non est *essentialiter* et semper mala, uti sunt idololatria, blasphemia, luxuria contra naturam, mendacium, etc., cum aliquando possit esse bona; est tamen *naturaliter* et *intrinsece* mala sterilisatio non necessaria ad salutem corporis, quia est contra legem naturalem : omne autem quod contradicit legi naturali, est malum *intrinsece et secundum se,* ex proprio obiecto, independenter a circumstantiis, utpote contra ordinem naturae. Etiam homicidium privatum innocentis est *naturaliter* et *intrinsece* malum; non *essentialiter,* quia licite fieret mandante Deo. Cfr. *Summa Theologiae Moralis,* I, n. 258.

a) Ex eo quod, ut quidam dixerit[1], aliqua sterilisatio, puta vasectomia, sine dolore fiat et sine periculo; quod non sit nociva sanitati, nec characteri; quod fiat brevi tempore eo quod amputatio minima sit. Circumstantiae istae non aggravant operationem, sed operatio non censenda est gravis aut levis secundum circumstantias, v. g. ex periculo aut dolore, ex duratione. extensione aut membri dimensione; ante omnia attendendum est obiectum, quod est privatio ipsius functionis generandi. Haec autem est gravis, eodem modo ac sectio nervi optici, quae oculum privat facultate videndi, est mutilatio gravis ratione functionis qua privat.

b) Nec ex eo quod sterilisatio non semper auferat omnem functionem organicam, cum in vasectomia et in fallectomia, utilitas ad bene esse totius corporis maneat ex secretione interna, et solum impediatur ne semen eiaculetur. aut ne ovum descendat in uterum; non ergo adest destructio functionis genitalis[2]. Nam ad mutilationem gravem sufficit privare una facultate magni momenti, seu una functione principali : in casu, licet una functio non impediatur, alia tamen maximi momenti impeditur. Et sane, si medicus secaret nervum qui praesidet motui reflexivo brachii, mutilatio non esset levis, eo quod alia functio brachii subsisteret et quis brachium adhuc extendere posset.

c) Nec ex eo quod aliquis possit renuntiare iuri procreationis. Potest quidem renuntiare usui iuris, sed non potest sibi auferre ius radicale et facultatem generandi, aut naturalem huius functionem, quia non habet in ea dominium.

Doctrina praedicta iam omnino firmata invenitur in Encycl. *Casti conntibii* :

« Quod ipsi *privati* homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea *destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere,* nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id *christiana doctrina* statuit atque ex ipso humanae *rationis lumine* omnino constat ».

Ubi tria occurrunt notanda : 1° est doctrina christiana, non mera opinio; 2° haec doctrina est de iure naturali, nam rationis lumine constat; 3° aequiparatio affirmatur actionis, qua quis se ad functionem ineptum reddit, et mutilationis.

[1] Donovan, in *Eccl. Review,* 1910.

[2] Ita Mayer, *Gesetzliche Unfruchtbarmachung Geisteskranker,* 1927.

III. Corollarium. Exinde sequitur mutilationem :

1° non esse licitam, nisi finis immediatus operis sit salus corporis;

2° nullatenus licitam esse ob rationes prophylacticas, eugenicas, oeconomico-sociales, hygienico-sociales, ob hygienam stirpis, aut ad vitandam conceptionem;

3° .nec licitam esse ad bonum spirituale, tum quia immediate membrum non ordinatur nisi ad bonum corporis, tum quia bonum spirituale aliter obtineri potest, nec proinde necessaria est operatio. Unde S. Thomas, l. c., ad 3 :

« Membrum .non est praescindendum propter salutem totius, nisi quando aliter subveniri non potest. Saluti autem spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri praecisionem, quia peccatum subiacet voluntati... Et ideo *in nullo casu* licet membrum praescindere propter quodcumque peccatum vitandum ».

In his casibus oportet applicare principium : Non sunt facienda mala ut eveniant bona.

IV. Animadversio. Quidam mutilationem licitam ob salutem totius corporis, habent ut indirectam. Indirecta est licita ob gravem ratio.nem proportionatam, quia duplex est eius effectus :bonus, qui intenditur, salus corporis, et malus qui permittitur, privatio membri; bonus autem in casu praevalet. — Sola differentia est in modo loquendi, licet iste non sit rectus. Quamvis enim sterilitas sequatur ut effectus mediatus, ipsa tamen sterilisatio, plerumque saltem, est immediata et directa. Directa scii, ablatio organi genitalis, vel directum impedimentum generationis, est medium ad effectum bonum, salutem corporis, procurandum seu periculum avertendum.

V. Quaestio : *An licita sit sterilisatio viro, abnormiter et pathologice erotico, ut sanetur ?* Quidam affirmant vasectomiam esse remedium erethismi, satyriasis, nymphomaniae vel abnormalis inclinationis in masturbationem. Hinc plures in casu eam probabiliter licitam ' dixerunt, quia immediate est in bonum totius corporis seu systematis nervei, si revera bonus effectus inde obtineri possit, nec aliter obtineri valeat'. Sed

1 Ita praesertim scripserunt ante encyd. *Casti connubii.*

' Quidam idem dicunt de castratione, eo quod eam habeant efficaciorem ad hunc finem. At efficacia maior partialiter tribuenda videtur influxui subiectivo phantasiae vel suggestionis.

hoc de die in diem magis fit dubium, cum praedicti defectus sint ordinis non physici quidem sed psychici; — etiam dato quod effectus obtineatur, operatio potius est ad bonum spirituale, quam in salutem corporis; — insuper videtur effectus non esse immediatus, sed potius obtineri mediante malo. Quare, iuxta Antonelli[1], non esset licitum nisi verificata duplici conditione : 1° ut omnia media therapeutica adhibita fuerint et absque ullo felici exitu; 2° ut certum sit, non sedato erethismo, inde secuturam mortem aut aliquam gravem infirmitatem. Quae duae conditiones nunquam aut saltem rarissime aderunt.

Dicunt quidem bonum effectum esse immediatum, cum sanitas procedat e modificatione organismi. Sed potius dicendum est provenire ex modificatione organismi ut impeditiva generationis.

In praxi, quamdiu non constet sterilisationem esse medium curationis, eamque in casu determinato esse solum medium, illicitum est eam causa curationis adhibere.

QUAESTIO SECUNDA.

De Moralitate Sterilisationis potestate publica imponendae.

I. Status quaestionis. Postquam dictum est de moralitate sterilisationis privatae, iam quaerendum utrum potestas publica possit eam decernere, vel etiam imponere, ob bonum commune. Non solum medici plures atque politici id affirmant; verum etiam pauci theologi inventi sunt, qui de hoc dubitant, aut, suspicando vel opinando, inclinant ad hoc admittendum, saltem in quibusdam casibus[1]. Praesertim duas rationes allegant :

1 *Medicina Pastoralis,* III, n. 678, F„ p. 434.

’ Ita Donovan, licet haesitanter, asseruit in *Eccl. Review,* 1910-1911; item Labouré, *ibid.* 1910-1911; Neoscholasticus, *ibid.* 1910; postea

1° Sterilisatio est licita ob bonum totius corporis; ergo et ob periculum imminens bono communi. Nam sicut membrum subordinatur toti corpori; ita individuum subordinatur bono totius societatis. In quibusdam autem casibus, ex sterilisatione est certa utilitas.

2° Status habet ius privandi individuos vita, libertate, iuribus, quando iis abutuntur cum periculo societatis; ergo a pari potest eos privare iure matrimonii ineundi et facultate generandi, ad praecavendos abusus et impedienda delicta contra bonum commune.

II. Sterilisatio potestate publica imponenda est illicita et iniusta; — nisi fiat ad puniendos malefactores.

Ius in vitam et integritatem membrorum, ius matrimonium ineundi et prolem procreandi, cuique individuo competunt ab ipsa natura tamquam iura primaria, primigena, et societati antecedentia; ergo no,n dependent a societate, sed homo iis gaudet logice antequam sit societatis membrum, et cum illis societatem ingreditur. Non ergo habet potestas publica ius et dominium directum in vitam et integritatem membrorum aut organorum, in ius et facultatem generandae prolis; nec proinde potest directe potestatem in illa exercere, vel illa directe tollere, vel iura ista directe impedire; — nisi ad puniendos malefactores seu delinquentes, quibus iuste potest ipsam poenam mortis inferre, et a fortiori poenam mutilationis. Hinc iura praedicta sunt inviolabilia, et sunt extra competentiam Statûs. Status scii, potius debet, ex sua propria missione, iura civium positive protegere, et officium habet servandi incolumitatem civium, tuendi eorum iura, .nec permittendi ut in iis damnum patiantur.

Corpus et integritas membrorum et organorum ad bonum individui ordinantur, non ad bonum societatis. Et quamvis Status civibus praescribere possit ut se exponant periculo vitae ob bonum commune, quia ius naturale id dictat, non tamen potest directe de vita innocentium disponere. Hinc :

a) Etiam iis quibus, ob salutem corporis, licita est sterilisatio, non potest potestas publica eam lege aut vi imponere, quia providentia de vita et sanitate propria, non pertinet ad

principialiter, at cum restrictione, J. Mayer, *Gesefzliche Unfruchtbarmachung Geisteskranker,* 1927; item Tillmann, in *Bonner Zeitschrift [Hr Théologie und Seelsorge,* 1928.

Statum, nec necessaria est ad bonum commune; — nisi forsan exceptionaliter, in casu rarissimo, sterilisatio cuiusdam privati posset ad commune bonum conferre.

b) Non potest declarare licitam sterilisationem innocentibus et mente sanis, praeter casum quo ipsis necessaria sit ob salutem corporis.

c) Posset sterilisationem forsan imponere in poenam ob delictum proportionatum : castrationem v. g. ob stuprum vel adulterium, sed id non amplius, fere, admittitur in iure hodierno, et minus congruit moribus nostris; vasectomia autem et fallectomia non sunt poenae congruae, quia non dolorosae, et quia non deterrent a delicto, cum e contra sic sterilisati possint se tradere impune vitae sexuali. Quapropter in casu sterilisatio esset potius excitatio ad fornicationem.

d) Tamquam medium praeventivum impediendi procreationem prolis, ex haereditate infectae, ab infirmis et insanis, omnino est illicitum; quia ius procreationis est individuale et personale. Ceterum alia media sunt, ut prohibitio legis sub sanctione poenali, separatio et reclusio, abstinentia matrimonii, etc.; ergo illud non est necessarium.

Ita tenet consensus theologorum qui de hac re scripserunt, moraliter unanimis; nunc autem Pius XI, in Encycl. *Casti connubii,* sterilisationem potestate publica impositam explicite damnavit : « Publici magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam: ipsam igitur corporis integritatem, ubi nulla intercesserit culpa nullaque adsit cruentae poenae causa, directo laedere et attingere nec eugenicis nec ullis aliis de causis possunt unquam. Idem docet S. Thomas Aquinas, cum inquirens num humani iudices ad futura mala praecavenda hominem possint malo quodam plectere, id quidem concedit quod ad quaedam alia mala, sed iure meritoque negat quod ad corporis laesionem : *Nunquam secundum humanum iudicium aliquis debet puniri, sine culpa, poena flagelli, ut occidatur, vel mutiletur, vel verberetur* »[2].

Itaque sterilisatio non est licita ob beneficium Statûs; sed

1 Citari possunt : Rigby; De Becker: Vermeersch, de Villers et Salsmans; Ferreres; Wernz-Vidal; Schmitt; Lehmkuhl; De Smet; Schilling; Cathrein; Hürth; Mausbach; Gerrard; Grosam; Stucchi; Tanquerey; Gasparri; Pighi; Wouters; Eschbach; Antonelli; Cappello; Aertnijs-Damen; Marc-Geistermann; Prümmer; Michel, in Diet. *Théol.,* art. *Mutilation;* Michaud, in *N. R. Th.,* 1914; A. Janssen.

1 *Sum. TheoL.* II-Π, q. 108, a. 4, ad 2.

iniusta est, quia non necessaria, quia superflua, quia excessiva, quia iniusta invasio in integritatem personae, exceptis malefactoribus '.

III. Corollarium. Pariter potestas publica non potest homines etiam infirmos et insanos a matrimonio prohibere, ob rationes v. g. eugenicas. Nam eo ipso quod natura hominem facit capacem generationis, ipsi ius est naturale procreandi. Ut ait encycl. *Casti connubii :*

« Ius coniugii naturale et primigenum homini adimere, causamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere, lex hominum nulla potest : *Crescite et multiplicamini* ». Hinc « quicumque ita agunt, perperam dant oblivioni sanctiorem (i. e. altiorem et inviolabiliorem) esse familiam Statu, hominesque in primis non terrae et tempori, sed coelo et aeternitati generari. Et fas profecto non est homines, matrimonii ceteroquin capaces, quos, adhibita etiam omni cura et diligentia, nonnisi mancam genituros esse prolem coniicitur, ob eam causam gravi culpa onerare si coniugium contrahant, quamquam saepe matrimonium iis dissuadendum est ».

Ceterum notandum dictum S. Thomae, in Suppl. III p., q. 64, a. 1, ad 4 : « quamvis generetur infirma proles, tamen melius est ei sic esse (praesertim ob possibilitatem visionis beatificae) quam penitus non esse ».

IV. Obiiciunt. A. Sicut membra corporis subordinantur toti corpori, ita individui subordinantur bono totius societatis. Nam, ait S. Thomas II-II, q. 64, a. 2 : « Omnis pars ordinatur ad totum ut imperfectum ad perfectum; et ideo omnis pars naturaliter est propter totum. Et propter hoc videmus quod si saluti totius corporis humani expediat praecisio alicuius membri, puta cum est putridum, vel corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter et salubriter abscinditur. Quaelibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum. Et ideo si aliquis homo sit periculosus communitati, et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur ». Et q. 65, a. 1 : « Quia ipse totus homo ordinatur, ut ad finem, ad totam communitatem, cuius est pars,... potest contingere quod abscissio membri, etsi vergat in detrimentum

1 Davis, *Moral and Pastoral Theology,* II, c. VI, de 5° praec., sect. 8.

totius corporis, ordinetur tamen ad bonum communitatis, in quantum alicui infertur in poenam, ad cohibitionem peccatorum. Et ideo sicut per publicam potestatem aliquis licite privatur totaliter vita propter aliquas maiores culpas, ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores ».

Sed id etiam valet de illis civibus qui ob labem haereditariam sunt nocivi societati[1].

Resp. Comparatio claudicat. Verum est quod, sicut in corpore omnia membra procurant bonum totius corporis; ita in societate omnes individui concurrere debent ad bonum totius societatis. At multae sunt differentiae. Membra sunt propter solum bonum corporis; individui non propter solam societatem, nec in omnibus societati subiiciuntur, nam « homo non ordinatur ad communitatem politicam secundum se totum, et secundum omnia sua[2]. » Membra corporis non sunt personae cum iuribus; individui sunt personae habentes iura quae Status servare debet.

Corpus totum est unum per se intrinsecum, in quo omnes partes non existunt nisi ad bonum totius; tantummodo totum est independens et habet individualitatem. Societas est totum extrinsecum, unum per accidens : non est unum ens, sed ex multis sociis constans qui conservant individualitatem propriam et independentiam, sed in quibus est unitas ordinis. Hinc organa corporis habent functionem specialem, sed non vivunt nisi per unum corpus et in uno corpore; non habent existentiam separatam, et ideo totaliter subordinantur bono totius : pars scii, corporis non habet finem proprium. E contra personae sunt individui qui, habentes finem proprium, existunt propter se et non solum propter societatem. Persona ut talis est inviolabilis quantum ad finem, et nulli subordinatur nisi soli Deo : ideo non potest societas disponere de personis et de eorum integritate et iuribus naturalibus, nisi sint malefactores seu criminosi. Subordinantur tamen Statui quantum ad felicitatem temporalem communem omnium procurandam; sed Status etiam est propter ipsos, ut auxilium necessarium iis ferens ad eorum proprium finem.

[1] Ita *principialiter* Mayer, o. c. Nam, ait, praefice non esse ius Statui, 1» quia conditiones necessariae deficiunt, scii, quod constet de origine haereditaria et de sequela certa in casu determinato; 2° quia non est probata utilitas expectanda; 3° quia non desunt alia media.

[2] S. Thomas, I-II, q. 21, a. 4, ad 3.

Munus itaque Statûs non est iura anteriora personae auferre, sed exercitium eorum securius reddere. Eius est vitam subditorum et operationes vitales meliorare, non destruere. Et sicut non potest directe impedire operationes vitales, quales sunt cogitare, scire, velle, videre, audire, sentire, manducare, ita nec operationem procreandi et generandi. lura ista naturalia sunt inviolabilia.

B. Instant : a) Sicut membrum ob sanitatem totius corporis licitum est abscindere, ita etiam ad procurandam sanitatem totius corporis socialis ac gentis, si necessarium sit.

b) Status potest homines, qui constituunt periculum pro societate, incarcerate et ab exercitio potestatis impedire, ita et illos qui generando periculum constituunt pro gente; sed incarceratio vel separatio potest esse medium inefficax aut impossibile; tunc ergo licita est sterilisatio.

c) S. Thomas dicit de malefactoribus, quod sint bestiis similes, et ideo eos occidere est licitum : « quamvis hominem in sua dignitate manentem occidere secundum se sit malum, tamen hominem peccatorem occidere potest esse bonum sicut occidere bestiam : peior est enim malus homo quam bestia et plus nocet' ». Sed id quoque dici potest de insano nocivo, qui ducitur instinctu bestiali sexuali : dignitatem humanam scii, amisit et ius ad procreationem.

Resp. Si ita esset, non tantum licitum esset sterilisationem imponere, sed potius euthanasiam et mortem. Nam sterilisatio non sufficit ad impedienda scandala et instinctum bestialem. At :

1° Aliud est ius radicale quod datur cum natura humana, et aliud usus iuris. Insanus qui non potest humano modo uti iure procreationis, potest, durante insania, ab hoc usu impediri. sed non potest privari ipso iure radicali ac potestate generandi, uti fit sterilisatione. Si hoc ius amisisset, etiam privatis licitum esset facere in eo sterilisationem.

2° Qui non potest recte uti iure, .non perdit ius; secus privaretur iure ad vitam, ad sanitatem, ad integritatem, ad dominium privatum, etc.... Non est ius cum usu datum, sed cum natura humana, et ideo inest omnibus, etiam parvulis, et insanis. Quod a Statu auferri nequit, sed potius tueri debet : lex iura civium debet custodire. Nec propter abusum cessat ius.

' II-II, q. 64, a. 2, ad 3.

3° S. Thomas semper supponit delictum, peccatum et culpam, et loquitur de privatione vitae vel potestatis in poenam; nunquam dixit, nec etiam subaudiendum dedit, id valere de insano mente [1]. Unde quod ait de peccatoribus ex culpa nocentibus voluntarie, perperam applicatur insanis involuntarie nocivis. Sicut ergo illicitum est manus abscindere a cleptomaniacis, ad praecavenda eorum furta, ita illicitum est mutilare aut sterilisare insanos, ne societati noceant.

Ceterum si ad bonum totius ordinatur unusquique, non tamen directe ordinatur ad sanitatem societatis.

C. Bonum commune praestat bono privato, et ideo Status etiam exigere potest, in necessitate, sacrificium vitae ad se tuendum.

Resp. Aliud est exigere quod cives exponant vitam, si necesse est, ob bonum commune, quia id ius naturae exigit; aliud iura civium, ipsis a natura concessa, tollere lege positiva. Status se tueri potest, sed mediis licitis, non mediis intrinsece malis.

D. Necessitas Statûs suprema lex : hoc est fundamentum omnium eius iurium.

Resp. Haec est theoria periculis plena. Quod bonum commune exigit, est ius. Sola necessitas tollit inordinationem ab operationibus alias illicitis ! Tunc omnia fierent licita, si Status ea necessaria iudicaret. Et potestas Statûs esset illimitata : Status non esset pro individuis, sed individui essent simpliciter propter Statum.

Sed id falsum est; antequam Status legem ob bonum commune possit imponere, debent constare duo : 1) quod medium impositum non sit malum; 2) quod ius de illo disponendi non fuerit datum alii ante Statum : individui et familiae existunt ante societatem civilem.

V. Applicationes. Principia exposita iam applicare convenit magis in concreto [2]. Status vel sterilisationem imponit ad defensionem individuorum, — vel ad bonum commune, sive ut poenam, sive ut medium praeventivum.

1 In locis citatis.

2 Sequentia desumpta sunt a cl. prof. A. Janssen, *Het onvruchtbaar maken van zwakzinnigen en misdadigen,* in *Coll. Mechl.*. 1927; et *Les lois sur la stérilisation,* in S. *Luc médical,* 1934.

A. *Ad defensionem individuorum,* ut medium protegendi vitam et iura civium, sterilisatio justificari nequit. Individui vel sunt nunc viventes, vel qui praevidentur nascituri.

1. *Ad protegendos viventes,* ne victimae sint passionum abnormalium et criminalium, sterilisatio est inefficax et superflua :

inefficax, quia vasectomia et fallectomia instinctum sexualem relinquunt completum, ac possibilitatem copulae : ista est infecunda, sed eo minus vitanda ab illis qui bestiali ducuntur instinctu; pariter castratio non est remedium efficax, nam et eunuchi habent suos amores;

superflua, quia aliud medium existit, nempe separatio.

2. *Ad protegendos nascituros* debiles et abnormales :

a) nunquam cum certitudine dici potest infantes nascituros necessario affici defectibus parentum. Saepius individuus omnino alius nascitur ac praevisum fuerit. Ideo non adsunt nisi coniecturae maiores vel minores. Coniectura vero nequit esse ratio privandi hominem iure certo quod a natura tenet.

b) etsi infantes nascituri sint, verisimiliter vel certo, abnormales, sterilisatio non iustificatur. Non enim existit ius infantium nondum genitorum, nam ius supponit subiectum iuris : ante conceptionem subiectum nondum existit. Ergo impossibile est iura laedere ipsorum, vel protegere. Ceterum etiam pro infantibus vel debilibus, melius est vocari ad vitam in circumstantiis minus favorabilibus, quam nullo modo existere : « melius est, ait S. Thomas, sic esse quam penitus non esse ». Vivere adhuc est magnum beneficium; et anima eorum spiritualis, ad imaginem Dei creata, potest vita spirituali gaudere, Deum cognoscere, gratiam eius recipere et visione eius aeterna dotari.

B. *Ad bonum commune :*

1. *Ut poenam.* A priori negari nequit sterilisationem ut poenam posse applicari pro crimine; sed omnibus consideratis, non est poena efficax nec adaequata.

a) *Mutilatio generatim* non videtur poena commendanda; repugnat modernis ideis et moribus, atque ubique, fere, fuit derelicta.

b) *Mutilatio organi genitalis speciatim* non videtur commendanda. Sanctio poenae ante delictum statuitur ad cives a delicto deterrendos, post delictum, ad restituendum ordinem culpa laesum, et ad corrigendos delinquentes, vel ad alios

exemplo deterrendos. Poena quae non est ad hos fines apta, non est congrua. Ita sterilisatio.

Operationes actuales non causant multum dolorem; ergo non deterrent. Minoratio ex privatione facultatis generativae potest hominem honestum aut normalem movere, non abnormales et criminosos. Ipsi praeferunt sterilisationem, quia impune possunt vitium exercere. Experientia probavit multos valde eam desiderare[1]. Talis res certo poena non est, nec valet corrigere delinquentes. Ceterum eugenistae iam reiiciunt sterilisationem repressivam.

2. *Ut medium praeventivum,* contra multiplicationem abnormalium. Id non solum catholicis est illicitum, ex encycl. *Casti connubii,* sed omnibus, utpote contra ius naturale. Hoc multos non movet, sed ipsis dici potest quod sterilisatio non est multum efficax ad hunc finem, nec necessaria est, atque magna incommoda praebet.

a) *Non mullum efficax.* Punnet, prof. Cantabrigiensis, qui auctoritate magna gaudet in re eugenica, et in theoria haereditatis, computum fecit, secundum quem sterilisatio deberet applicari durantibus 216 generationibus, ad reducendum numerum abnormalium de 1/100 ad 1/10.000 ! Et Dr. Niedermeyer, medicus Vindobonensis, aestimat, sterilisandos fore, per 13 generationes, plus quam 500.000 individuos, ut numerus schizophrenia laborantium de 60.000 ad 30.000 reducatur

b) *Non necessaria* : .nondum enim adest periculum pro genere humano.

a) Numurus abnormalium nondum ita magnus est, ut societas iam sit in necessitate defensionis.

β) Haereditas non est sola causa abnormalium. Impossibile est dicere adaequate quanta sit eius influentia; sed multae sunt aliae causae physicae et morales, ut blastophtoria, blastotoxia[3]. syphilis, blenorrhagia, alcoolismus, conditiones sociales defectuosae, insufficientia alimenti, habitatio insana, etc. Ergo prius causae communes a Statu removendae sunt remediis hygienicis. Ceterum leges naturae videntur tendere ad eam

1 Ita Dr. Sharp ex Indiana affirmat 176 personas ab ipso petiisse ut vellet sterilisationem in iis perficere, quia alii tam multa bona de hac operatione dixerunt.

' S. *Luc médical.* 1936, η. V.

' Affirmat Dr. Vervaeck blastotoxiam magis causam esse degenerescentiae quam haereditas.

corrigendum a morbis haereditariis, post aliquod tempus vel aliquot generationes.

γ) Etsi haereditas esset sola causa aut praecipua, nondum necessaria esset sterilisatio, sed alia adsunt media, imprimis segregatio. Quod est medium minus radicale, quia impedit solum usum, non aufert facultatem. Iamvero existente alio medio, non potest adhiberi sterilisatio, quia defensio non potest excedere limites sufficientiae et necessitatis. Ipsa societas americana : *Central Association for mental Walfare,* quae per 10 annos examini subiecit 34.000 casus morbium mentalium, fatetur : lex generalis de sterilisatione non est efficax ut medium praeventivum, — libertas post sterilisationem relicta potius nocet sterilisatis et facit tantum quod tardius segregentur, — sterilisatio non protegit abnormales nec societatem [1].

3. *Magna incommoda praebet in praxi.* Etenim :

a) Quis debet sterilisationem subire ?quonam criterio id diudicandum ? Impossibile est, in statu hodierno scientiae determinare cum sufficienti certitudine quinam filios habebunt abnormales.

Laughlin ait : soli abnormales graves et indubii: postea quando leges haereditatis melius notae erunt, amplior applicatio erit possibilis. Lex germanica magis determinata est. Nihilominus difficile remanet determinare in quonam gradu infirmi debuerunt aegritudinem contraxisse. Ista incertitudo praebet ansam abusibus: lex v. g. posset applicari adversariis politicis plus quam necesse sit.

b) Ut sit efficax, debet sterilisatio aetate iuvenili fieri. Sed in pluribus casibus necessitas sterilisandi tantum manifestatur post pubertatem, vel quando proles iam est generata.

1 Aiunt : incarceratio crudelior est sterilisatione et maiores expostulat expensas pecuniarum. — Resp. Segregatio non est necessario stricta incarceratio. Sic in Dania, insula Sprogô reservata est ut colonia pro puellis feminisque abnormalibus, quae laboribus culturae aliisque occupantur; similiter insula Livô iuvenibus masculis. Ibi sat felicem vitam ducunt, ac generatim meliorem quam in propria familia habuissent.

Et ipse labor potest esse productivus ac remuneratorius. Ita in exemplis datis, remuneratio laboris sufficit ad sustentationem vitae infirmorum et ad impensas administrationis coloniae. Et in America, 8 coloniae abnormalium in 1928 etiam lucrum fecerunt 6.000 dol. Similiter colonia in Ursberg de Bavaria, bene subsistere potest sine eleemosynis et sine subsidiis.

c) Apud multas personas, praesentia labis haereditariae nocivae manebit abscondita, quia facile eam tacebunt.

d) Etiam pericula sunt arbitrariae applicationis. Abusus timeri debent ob superficiales investigationes aut relationes, ideas exaggeratas quorumdam medicorum, et zelum intempestivum officialium. Praesertim pericula imminent pauperibus et debilibus, in quibus facile ipsa eorum conditio erit causa impediendi generationem.

e) Etiam stante sterilisatione, magnus adhuc numerus abnormalium erit incarcerandus, ob manentem tendentiam ad crimina.

f) Denique sterilisatio, fatentur medici, est medium provocans luxuriam. Augetur numerus fornicationum, fovetur amor liber, consuetudo introducitur separandi instinctum sexualem a fine generationis, generatio futura praeservatur sed actualis veneno immoralitatis inficitur et pessima fit.

QUAESTIO TERTIA.

De Cooperatione ad Sterilisationem.

I. Cooperatio vocatur omnis concursus praestitus actioni alterius; in casu, concursus praestitus sterilisation! ab altero decernendae aut faciendae.

Diverso modo fieri potest. Alia est *late dicta,* quae fit *influxu morali* in voluntatem alterius, sive *directe et positive,* ut mandando, consulendo, petendo, seducendo, consentiendo, etc., sive *indirecte et negative,* non monendo aut non impediendo. dum quis monere aut impedire potest et debet. Alia est *stricte dicta,* quae fit *influxu reali seu physico,* uti adiuvando, partialiter causando, media ministrando, etc. : haec est *immediata* vel *mediata,* prout cooperans ipsum opus cum principali agente exequitur. ut si cum fure rem alterius simul portando auferat, — aut sola media ministrat quibus alter possit opus perficere vel id possit facilius : quo casu potest cooperatio esse *proximior* aut *remotior,* prout medium plus vel

minus influat et magis vel minus sit connexum cum opere alterius.

Ratione intentionis, cooperatio alia est *formalis,* quando cooperans consentit voluntati principaliter agentis et huius opus intendit; alia est *materialis* tantum, quando non consentit huius intentioni, sed ex alia intentione agit cum praevisione quod alter eo sit usurus ad suum opus perpetrandum.

Iamvero quaeritur utrum licitum sit cooperari ad sterilisationem [1]. Ubi agitur de sterilisatio.ne illicita; nam si sterilisatio licita sit, etiam licitum est ipsi cooperari, dummodo fiat mediis non malis.

II. Cooperatio formalis, quae fit ex intentione mala et ex approbatione sterilisationis illicitae, est semper mala et prohibita, imo est peccatum eiusdem speciei ac sterilisatio, tamquam concursus illam formaliter intendens eiusque approbatio. Hinc est peccatum speciale contra iustitiam.

Ita non solum qui seipsos sponte sterilisandos praebent, sed et medici qui proprio motu, quin ex munere publico obligentur, sterilisationem illicitam ex proposito exequuntur; redactores et scriptores qui illam ex convictione commendant et propagant; deputati qui legem de sterilisatione facienda suffragio approbant; coniuges qui consentiunt sterilisation! compartis. Imo cooperatores negativi hoc modo rei esse *possent,* scii, magistratus, officiales, satellites, qui scirent sterilisationes malas in eorum territorio fieri, dato quod eas impedire, et ex officio deberent, et sine incommodo possent, ac non facerent.

III. Cooperatio mere materialis sed realis, immediata vel mediata, proxima vel remota. Cooperatio mere materialis est illa quam, absque intentione mala seu consensu in alterius peccatum, aliquis libere praestat actioni alterius, sed potius invitus, ad vitandum v. g. incommodum aut damnum, vel ad procurandum sibi lucrum.

1° Illa, si est *immediata,* est semper mala, quia consistit in executione ipsius actionis malae; — nisi quando agatur de

1 Cfr. Grosam, *Die Sterilisation auf Grund privater Aukforitàt und au[Grund gesetzlicher Ermâchtigung,* in *Theol. Prakt. Quartalschrift,* 1930.

bonis externis fortunae in quorum ablationem consentire potest dominus; sed haec exceptio non consideranda venit in quaestione de sterilisatione, cui nemini licitum est consentire, .nisi ad salutem corporis esset necessaria. Unde cooperatio immediata, in actione sterilisationem decernendi vel faciendi, intrinsece mala est sicut ipsa sterilisatio, et quidem peccatum eiusdem speciei ac ipsum opus.

Ita medici operationem facientes inviti, quia lege coguntur, ipsi execution! legis pravae immediate cooperantur, aut duo medici simul ipsam operationem sterilisationis immediate exequentes.

2° Cooperatio vero *mediata* est illa quae media subministrat ad sterilisationem faciendam requisita, praeparando vel adiuvando. Haec etiam est de se illicita, nisi sit ratio *gravis,* et quidem *proportionate* gravis, i. e. eo gravior quo cooperatio sit propinquior, et quo magis sit necessaria, i. e. quo, negata cooperatione, sterilisatio probabilius foret impedienda.

Licitum est enim ponere causam in se bonam vel indifferentem, quae duplicem habet effectum aeque immediatum : unum bonum qui solus intenditur, et alterum malum, dummodo ratio sit agendi proportionate gravis. Atqui cooperatio mediata mere materialis habet immediate effectum bonum qui solus intenditur; ergo licita est, dummodo actio non sit mala in se, et adsit ratio proportionate gravis seu causa sufficiens cooperandi.

Tales cooperatores sunt medici et infirmarii assistentes; infirmaria quae v. g. sub ductu medici ad apparatum Roentgen deservit: officiales subordinati qui, acta scribendo vel aliquatenus auxiliando, cooperantur execution! legis; operarii qui praeparant instrumenta, vel ea nitida servant aut calefaciunt; a fortiori qui durante operatione instrumenta medico porrigunt.

Cooperatio *omnino proxima,* ut apud medicos assistentes vel infirmarias quae deserviunt apparatui, exigit causam gravissimam, v. g. si sustentationem amitterent, quin tamen possent sterilisationem impedire. Sororibus catholicis rarissime licita esset, v. g. si secus elicerentur ex instituto cum magno damno pro religione.

Cooperatio *propinqua,* sed remotior, requirit causam minorem, sed tamen gravem, v. g. grave incommodum, et eo maiorem quo est propinquior.

Cooperatio potest esse omnino *remota,* ad quam sufficit ipsa

ratio officii. Ita famulis licet cameram vel cellam operationis nitidam tenere vel calefacere.

Casu quo non sit ratio sufficiens ad cooperationem mediatam, adest peccatum contra virtutem quae laeditur actione principaliter agentis, in casu contra iustitiam, quia est adiuvare ad eam laedendam sterilisatione iniusta; quamvis non sit eiusdem speciei infimae nec eiusdem gravitatis. Insuper vitandum est, quod oriri potest, scandalum; de quo non possunt iudicare nisi qui omnes circumstantias cognoscant locorum et personarum. Quod non semper facile est. Hinc, si dubium sit an scandalum in concreto sit timendum, de eo in determinatis circumstantiis iudicare pertinet ad Ordinarios locorum, qui omnes circumstantias cognoscere et aestimare valent.

IV. Cooperatio moralis est illa, praesertim, quae *positive* influit in voluntatem illius qui malum facit, et coincidit cum *scandalo directo* seu *inductivo* ad peccandum : fit v. g. mandando, consulendo, laudando, petendo, protegendo peccatum, in casu sterilisationem. aut ipsi consentiendo.

Haec est peccatum contra charitatem, quia scandalum; et simul contra virtutem ad quam violandam inducit, quia ad hoc directe inductivum : in casu contra iustitiam, quae speciali modo laeditur, sive sterilisatione privata, sive sterilisatione publica.

Ita decernentes esse sterilisandum, privata auctoritate; advocantes medicum et petentes sterilisationem pro altero; sterilisationem iubentes. ad eam invitantes, aegrotos ut sterilisentur denuntiantes.

V. Animadversio. Cooperatio illicita non solum est peccatum contra virtutem aut praeceptum, cuius violationi praebetur concursus; sed insuper contra charitatem, quando, cooperatione omissa, peccatum impediretur.

VI. Applicationes. Ex praedictis sequitur :

1° Illicitum est sterilisationem commendare aut suadere, postulare aut postulationi formaliter consentire, relationem aut votum exhibere de personis morbo haereditario infectis ad eos sterilisandos, aut ad hoc advocare medicum; quia rem intrinsece malam commendare, suadere, postulare aut quocumque modo procurare, etc. pariter est intrinsece malum. Non autem intrinsece malum est mere referre aut explicare legem steri-

lisationis sine approbatione, mere indicare infirmitates aut mere denuntiare aegrotos, sciendo tamen illos esse sterilisandos, advocare medicum nihil dicendo; unde his modis mere materialiter cooperari licitum esse potest ex *gravi* causa, et secluso scandalo. Hoc tamen facile oriri posset explicatione legis publica ex officio facta.

2° Illicitum est medicis operationem sterilisationis facere, aut partes habere activas in ipso actu sterilisandi peragendo, quia est facere quid intrinsece malum; e contra durante operatione assistere, vel adiuvare, instrumenta porrigere, aut aegroto invigilare, non est de se intrinsece malum. Quare hoc modo mere materiali cooperari, licitum esse potest, sed *graviora* de causa, quia est cooperatio omnino proxima.

3° Item illicitum est medico, aegrotis persuadere ut se sistant execution! sterilisationis, etiam si ita agat ex officii publici aut legis obligatione, ac postquam tribunal sententiam sterilisationis pronuntiaverit, quia semper intrinsece malum est rem intrinsece malam suadere. Attamen forsan non illicitum esset dicere ; cognoscis dispositiones legis, easque mere declarare nulla addita suasione, sed *graviore* de causa tantum, quia est cooperatio proxima.

4° Item illicitum est ultro se sistere ad sterilisationem, quia est rem intrinsece malam postulare, eique consentire, etiam si fiat ne quis, iam pronuntiata sententia tribunalis, coactus vim patiatur; sed oportet non cedat nisi violentiae. Sufficit tamen quod vis inferri incipiat, v. g. si officialis manum imponat humero, aut si declaret se venisse ad vim coactionis adhibendam. ulteriorem resistentiam opponere necesse non est, quia tunc omnibus patet personam non sponte procedere sed cedere coactioni.

5° Item cuicumque illicitum est sterilisationem ut in seipso fiat permittere, sed oportet eam vitare, in quantum est ipsi moraliter possibile, et sterilisation! imponendae se subducere.

6° Item illicitum est aegrotos vi cogere ut sterilisation! se sistant, etiam si quis ita agat pronuntiata sententia tribunalis et ex officii sui obligatione, quia est cogere ad rem intrinsece malam. Quod intelligendum est de officialibus qui propria auctoritate agunt et ex proprio iudicio; non vero de satellitibus omnino subordinatis qui praescripta mere ministerialiter exequuntur, ducendo personas ad determinatum locum, nec

semper de re praescripta aut exequenda rationem sibi reddentes : isti excusari videntur ratione officii, nisi tamen aliquid ab iis exigeretur in odium religionis aut manifeste inhonestum.

7° Item illicitum est munus gerere iudicis, in tribunali speciali quod ad solas causas sterilisationis tractandas est institutum; a fortiori illicitum est pronuntiare sententiam decretoriam sterilisationis exequendae, quia est praecipere rem intrinsece malam.

Ne existimetur iudex solum pronuntiare conditiones verificari in lege indicatas; quibus positis ipsa lex sterilisationem praecipit. Iudex, e contra, non mere declarat legem, sed, ut superior, potestate sua legem applicat ad particulares casus et personas, pro quibus praecipit in concreto, et quibus authentice intimat obligationem, quasque obnoxias facit sterilisation!, cum lex mandet ut obnoxii fiant; unde novam obligationem statuit et inducit, quare sententia eius est quasi lex particularis[1]. Directe autem praecipere rem intrinsece malam et ad eam obligare, est illicitum.

Iudex scii, non potest licite applicare legem iniquam : iniquam, dico, non solum ratione incompetentiae, quia fertur de iis quae potestati civili non subiiciuntur : in casu posset quandoque Ecclesia id concedere aut iuri suo renuntiare; sed iniquam, ratione materiae seu rei praescriptae, quia praecipit contra legem naturalem. Nunquam licitum scii, est praecipere rem intrinsece malam, iuri naturali contrariam[1].

Obiicies : a) Iudex non sponte et libere agit, sed cogitur vi legis. Ergo non est responsabilis de effectu legis. Coactus non videtur praebere nisi cooperationem mere materialem, quae ex gravi causa licita esse potest.

Resp. Cogitur, non vi physica, sed morali violentia quae relinquit libertatem : quod fit ex metu, est involuntarium secundum quid, quia fit cum repugnantia, sed voluntarium simpliciter. Agit iudex ut mandatarius, dum legislator est mandans. Sicut legislator est responsabilis de mandato legis, ita iudex de mandati seu legis executione. Et sicut licitum non est mandare quid intrinsece malum, ita nec exequi. Et ita iudex cooperatur immediate legis iniquae executioni; atque formaliter movet ad rem intrinsece malam, eam iubendo. quod est scandalum directum.

1 S. Thomas, II-II, q. 67, a. 1.
’ S. Thomas, II-II, q. 60, a. 5. ad 1.

b) Ait S. Thomas iudici licitum esse innocentem damnare, quem scientia privata innocentem novit, sed qui publice et iuridice est de crimine convictus In iudicio debet dirigi, non secundum id quod ipse novit tamquam persona privata, sed secundum id quod sibi innotescit tamquam personae publicae.

Resp. Aliud est legem in se iustam et bono communi faventem applicare, quae per accidens malum habet effectum, aliud legem secundum se iniustam applicare; aliud cogere eum qui secundum leges in se iustas iuridice de crimine convictus est, aliud cogere eum quem innocentem esse plane patet et quem solae leges iniquae obligare intendunt ad quid intrinsece malum. Hoc quidem plane licitum esse nequit; dum illud in quibusdam circumstantiis licitum videri posset.

c) Secundum plures licitum est iudici pronuntiare divortium civile; quod tamen est intrinsece malum.

Resp. Qui ita putant, dicunt divortium civile non esse intrinsece malum; quia non est matrimonium solvere, sed solum contractum civilem, atque civilem protectionem a matrimonio tollere, et consequenter oppositionem legis ad novas nuptias civiles. Aliud omnino est, praecipere quid intrinsece malum, quod nunquam est licitum. Unde si pronuntiatio divortii civilis evidenter esset intrinsece mala, nec licita unquam esse posset.

Hisce aliisque ratiunculis similibus quae possent adduci, nulla solida competit probabilitas; quare nullatenus probabile est iudici licitum esse pronuntiare sterilisationis executionem.

CONCLUSIONES.

Igitur :

1° Sterilisatio, ob causam *therapeuticam,* est *licita individuis,* sed nonnisi ad salutem totius corporis.

2" Sterilisatio, ob causam quoque *eugenicam,* est illicita, *etiam publicae potestati.*

3° Sterilisatio, ob causam *punitivam. est licita potestati publicae,* sed non conveniens, nec perfecte rationabilis, utpote non privans appetitu sexuali.

4° Cooperatio ad sterilisationem peccaminosam, *formalis aut immediata,* est *illicita;* mere *materialis et mediata* vero *licita esse potest,* sed ob rationem proportionate gravem.

' S. Thomas, II-II, q. 67, a. 2, et q. 64, art. 6, ad 3.

APPENDIX.

De Matrimonio Sterilisatorum.

I. Triplex quaestio poni potest :

1° an sterilisatio faciat impotentem ad copulam coniugalem et ad matrimonium ?

2° supposita impotentia, an ista sit perpetua, vel, e contra, an potentia ad copulam restitui possit ?

3° an usus matrimonii sterilisatis sit licitus ?

II. An sterilisatio constituat impotentiam ? Aliter respondendum censemus pro femina et pro viro.

A. *In femina,* sterilisatio non constituit veram impotentiam ad actum matrimonii seu carnalem copulam, nec consequenter ad ipsum matrimonium; sed solam inducit infecunditatem seu incapacitatem generandi. Sterilisatio enim in femina est ex privatione ovariorum vel eorum perfecta atrophia, aut ex impedimento quo ovulum in uterum descendere prohibetur; id autem non impedit actum matrimonii seu copulam carnalem, quia ovulum non est elementum essentiale copulae de se aptae ad generationem, sed solius generationis. Ita S. Officium practice saltem resolvit; et facile intelligitur : sterilisatio non impedit quominus femina a viro penetrante vaginam verum semen in ea recipiat illudque retineat. Mulieri ovariis vel ovulis carenti, aut ea non praebenti, nihil ergo deest ad ipsam copulam perficiendam

B. E contra, in viro; in quo respici potest varius status ;

1° Castratio utriusque testiculi certissime constituit impe-

1 Mulier tamen quae laborat sterilitate, ex honestate naturali, tenetur ante matrimonium eam manifestare comparti ignoranti, ne ista decipiatur. Et idem valet pro viro sterili vel dubie impotenti.

dimentum impotentiae, uti scimus ex declaratione Sixti V, *Cum frequenter.* 27 iun. 1587, de eunuchis et spadonibus. Ratio est, tum quia non possunt copulam perfecte satiativam perficere ac concupiscentiae sedativam, tum quia verum semen emittere non possunt, sed solum humorem semini similem,

2° *Irradiatio* testiculorum producere potest sterilitatem, et quandoque impotentiam, sed nonnisi ad tempus.

3° *Vasectomia* videtur veram impotentiam constituere, quia vasectomicus verum semen emittere non potest, sed solum humorem semini similem, cum nihil e testiculis elaboratum valeat eiaculare : emissio veri seminis autem est elementum essentiale copulae de se aptae ad generationem; quod si talis emissio fieri non possit, eo ipso actus ad generationem aptus est impossibilis.

Recenter quidam dixerunt ad copulam carnalem non requiri ut verum semen a testiculis elaboratum emittatur et in vagina deponatur, sed sufficere ut testiculi illud conficiant, etsi non possit emitti exterius; unde vasectomicos dicunt copulae capaces[1]. Sed licet id sufficere possit ad copulationem etiam cum delectatione quadantenus satiativa, non tamen sufficit ad copulam coniugalem, seu de se aptam generationi.

Et sane ille actus est de se aptus generationi, cui nihil ex parte sui deest ut generatio sequatur, seu qui ex modo quo patratur, et ex omnibus elementis quae ad eum requiruntur, — qualis est ipsa conditio potentiae et organi quibus exercetur, — est aptus generationi, licet ob defectum aliunde provenientem, ista non sequatur. Atqui in vasectomicis copula fit tali modo et conditione, ut ex ipsa constitutione organi omnino impossibilis sit emissio veri seminis ac consequenter generatio, quia elementum essentiale est destructum, nimirum communicatio canalium semen deferentium. Ergo vasectomici non sunt capaces actus de se apti ad

1 Ita Dr. O'Malley et Gemelli, sub praetextu quod zoospermata non sunt elementum essentiale veri seminis; sed in hoc certissime errant, nam secretiones, ab aliis glandulis elaboratae ac testiculis, non conficiunt nisi humorem semini apparenter similem. Novissime eamdem sententiam quidam proposuerunt, eo quod vasectomici non sunt copulae incapaces; ad quam sententiam etiam accessit Vermeersch, qui eam hucusque tenere ac firmiter proponere nondum ausus erat. Vide in *Theol. Prakt. Quartalschrift,* 1936 : *Aktuelle Fragcn des Eherechts und der Ehemoral.*

generationem. Et quamvis possit eiaculari quidam liquor similis semini, non tamen verum semen zoospermatibus repertum, — quae sunt elementum essentiale seminis, — cum nihil a testiculis elaboratum possit emitti; unde si talem actum diceremus de se aptum generationi, sane nos deriderent. Eodem modo aspectus quo caecus conatur intueri adstantes, diceretur actus de se visioni aptus!

Vasectomici, *hoc sub respectu,* similes sunt eunuchis.

Aiunt : 1) Sub alio respectu non sunt similes, quia possunt perficere copulam et quaerere concupiscentiae sedationem, qui est matrimonii finis secundarius.

Resp. Conservant plerumque secretionem testiculorum internam, et ideo appetitum sexualem, ac totam energiam et capacitatem ad copulam etiam quadantenus satiativam, et ita obtineri posset finis quidam matrimonii secundarius, sedatio concupiscentiae; sed cum iste finis sit subordinatus primario fini, non potest licite procurari nisi actu de se apto generationi. « Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ait Enc. *Casti connubii,* quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem ordinatio ». Apud vasectomicos autem natura actus pervertitur, eiusque ordo ad generationem radicaliter tollitur.

Instant : 2) Secundum antiquos theologos sufficiebat potentia coëundi, nec quaestio erat de actu ex se apto generationi.

Resp. Id non dicebant expressis verbis, sed implicite ibi continebatur, uti constat ex declarationibus plerumque additis. Ceterum iste modus clarior dicendi, iam adhibetur in theologia a plus quam tribus saeculis, et consecratur ipso codice iuris canonici, et quidem canone 1081, § 2, quo definitur *ipse consensus matrimonialis* « tamquam actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem ». Talis declaratio, spectans ius naturale et divinum, difficulter diceretur mutabilitati obnoxia: imo videtur respicere Ecclesiam universalem, cum agatur « de iis quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt Ecclesiam » (can. 1), et hac ratione indirecte caderet sub Ecclesiae infallibilitate.

Itaque modus noster dicendi conformis est sententiae

hucusque per plura saecula communi; nec nova videtur solide probabilis.

III. An dicta impotentia sit perpetua, vel, e contra, potentia ad copulam restitui possit ? Ex castratione sane resultat impotentia definitiva; sed quaestio est de vasectomia.

Quidam affirmant restaurari posse pristinum statum physiologicum, et redintegrari communicationem inter testiculos et penem. Cum enim nervi, arteriae, venae, vasa lymphatica operatione vasectomiae scindi non soleant et eorum actio maneat intacta, sed solus resecetur funiculus spermaticus seu vas deferens semen, hinc non sequitur atrophia testiculorum, et restitui potest communicatio canalis deferentis exsecti, resuendo utramque huius extremitatem. Unde dicunt impotentiam esse mere temporaneam. Alii id tanquam dubium habentes, ac proinde existimantes dictam impotentiam quadam operatione *forsan* posse auferri, consequenter asserunt matrimonium vasectomicis permitti posse, iuxta can. 1068, § 2 : « si impedimentum impotentiae (scii, perpetuae) dubium sit, sive dubio iuris, sive dubio facti, matrimonium non est impediendum ». At :

1° Dubium videtur negativum, utpote in mera hypothesi fundatum, cum hucusque nec ullum referatur factum, de viro vasectomiam passo cui potentia restituta fuerit [1]; dubia autem

1 Ad hoc Antonelli, o. c., III, p. 429-431 : « Dicendum operationem restaurationis canalis deferentis usque ad praesens factam fuisse *tantum* in casibus epididymitidis cum exitu non nimis felici...; in viro, post vasectomiam, *numquam* (quoad mihi constat) facta fuit haec operatio. Deinde accedit quod operatio restaurationis, teste ipso doctore O'Malley, *valde difficilis est, maximam peritiam requirit et in ea certus exitus expectari non potest.* Lumen enim, seu diametrum, canalis deferentis minimum est, cum sit millim. 1-2 %, et aliquando etiam 1 millim.; in media, diametrum canalis pertingit tertiam partem huius crassitudinis parietum, iuxta... omnes tractatus anatoiniae humanae. Hinc difficillimum est ita margines exsecti canalis resuere, ut communicatio statui possit *physiologico modo.* Nec potest dici hoc obtentum fuisse in operatione instaurationis canalis in epididymitide :... in epididymitide potest permanere lumen non omnino obstructum; per vasectomiam vero extremitates canalis exsecti necessario cicatricibus obducuntur, et in operatione instaurationis breviores fiunt, quo difficilior evadit eorum suturatio, et restitutio pristini status...

Experimenta instituta a Gemelli in canibus et felibus, quos antea

ne gativa non esse, etiam hac in re. attendenda communiter docent [1].

2° Cum itaque illa operatio sit valde problematica, vasectomicus potius censendus est perpetuo impotens, usquedum constet de potentia sibi restituta. Ille scii, de quo constat semel fuisse impotentem, probare debet se factum esse, aut fieri posse, potentem.

3° Imo practice impotentia censenda est perpetua in statu praesenti artis chirurgicae, quia nondum datur medium aptum ad potentiam restituendam.

4° Ceterum, si prudentia monere possit, non de facili esse theoretice asserendam impossibilitatem cuiusdam operationis chirurgicae, in quibusdam tamen adiunctis videtur ista impossibilis: ubi scii, praeter canalium deferentium sectionem, alia quoque vasa exsecta fuerint aut filo serico ligata, idque per notabile tempus duraverit; aut si secti canales ita atrophia afficiantur, ut eorum physiologicae operationes non possint in pristinum revocari, ut facile fieri potest in vasectomia non recenti. Unde non intelligeretur quod generali quadam regula et

subiecerat operationi vasectomiae et quibus postea felici exitu exsectos canales deferentes ita coniunxisse affirmat ut postea etiam nemaspermata ipsa animalia conficerent, plausum medicorum generatim non habuere; ipse enim tantum dicit hanc instaurationem post vasectomiam feliciter peregisse. At in quaestione tanti momenti plura oportebat addere et dilucidare. Ignoramus enim particularia operationis; a quo tempore post vasectomiam operatio redintegrationis perfecta fuit; methodum adhibitam, mutationes possibiles testium post vasectomiam. etc...

Ceterum quidquid sit de experimentis P. Gemelli, nullam habemus operationem instaurationis praefatorum canalium in viro, post vasectomiam: et ab experimentis in canibus et felibus non potest haberi moralis certitudo, quod in viro operatio possit evadere minoris difficultatis... Insuper manent intactae ceterae rationes, quas exposuimus circa valde dubium exitum, circa mutationes profundas cum atrophia in ligatura canalium deferentium, ac ideo in eorum resectione; et proinde augentur difficultates in instauranda operatione redintegrationis canalium deferentium, ita ut pristinus status physiologicus sequatur, praesertim si vasectomia a non brevi tempore peracta fuit ».

[1] Cfr. Vermeersch, *Th. M.* III. n. 720, referens Wernz IV, 345, not. 35; Cappello, *De Matrimonio,* n. 367: Wernz-Vidal, *Ius canonicum.* V. n. 223; Vermeersch-Creusen, *Epitome iuris canonici.* II, n. 341, 2; Génicot-Salsmans, *Th. M.* II. n. 487; Noldin-Schmitt. *Th. M.* III, n. 569, 4; Chrétien, *De Matrimonio,* n. 148, B. 1°, 2c.

sine delectu statueretur matrimonium vasectomicis esse permittendum. Sed in casibus particularibus attendendum erit ad modum quo operatio vasectomiae facta fuerit, et ad conditiones praesentes organismi, ut cognosci possit an instauratio sit omnino impossibilis, vel saltem non sit possibilis sine gravi periculo : tunc enim impotentia est perpetua [1]. Quod ex testimonio medicorum constare potest; quodsi dissentiant ac dubium permaneat, matrimonium non est impediendum, licet ordinario dissuadendum.

IV. An sterilisatis usus matrimonii sit licitus ?

A. Sterilisatis feminis per se licitus est usus coniugii, quia per se manent capaces actus de se apti ad generationem; at, si sterilisatio sit ex facto illegitimo ipsis voluntario et facile possit auferri, prius tollenda erit antequam debitum petant, quia secus voluntarie impedimentum apponerent generationi.

B. Sterilisatis viris, qui sint impotentes, ut plerumque accidit, illicitus est usus coniugii. Et quidem :

1° Si impotentia tantum dubia est, praemisso diligenti examine, licitum est iis tentare copulam carnalem quamdiu spem habeant eam perficiendi.

2° Si impotentia est certa, illicitus est usus. Nam si sit perpetua et antecedens matrimonium, hoc est nullum, ac proinde, illicitus est omnis eius usus; — si impotentia sit consequens, matrimonium subsistit; sed illicita est copula quamdiu impotentia durat, quidquid unus vel alter putaverit [2], nam. licet maneat ius radicale ad copulam, non tamen ius expeditum aut iuris exercitium, quia non potest esse ius expeditum faciendi, tentandi vel exercendi actum omnino impossibilem. Et, licet per *accidens* sit quod non possint facere copulam generationi aptam, tamen copula, qualis in iis fieret, generationi est inepta, *non per accidens* quidem, sed per *se.* Hinc :

1 Gasparri, *De Matrimonio,* I, app. De Vasectomia, 3U et 7«.

2 Huic sententiae non videtur multum attendendum, tum quia recentius isti quaestioni speciatim non studuerunt, tum quia, hac in re, nil faciunt nisi exscribere, absque novo examine, quod quidam anterius dixerunt probabile.

a) Etiam delectationem veneream copulae quaerere est ipsis illicitum, quia delectatio non licite quaeritur nisi propter actum; quodsi actus sit illicitus, pariter delectatio illi adnexa.

b) Si facile posset potentia restitui, prius esset restituenda ut copula licite haberi possit.

c) Illicita quoque est delectatio venerea inchoata seu incompleta. quidquid aliqui dixerint[1], quia delectatio inchoata et incompleta tota quanta ordinata est ad consummatam et completam: unde si una illicita est, etiam altera. Excipe, si impotentia sit brevi duratura, quia tunc delectatio incompleta posset haberi tanquam praeparatio, dispositio, excitatio ad copulam proxime futuram; sed id nullatenus dici valet si impotentia sit perpetua aut diuturno tempore permanens.

3° Quantum ad tactus, oscula, aspectus, cum secundum se seu iuxta speciem suam sint actus indifferentes, distinguendum est :

a) Actus illos exercere in ordine ad copulam, quasi sunt praeparatio aut inchoatio actus completi, est generatim illicitum, quia iis quibus illicita est consummatio, illicita quoque est praeparatio et inchoatio: unde nec possunt delectationem veneream in illis actibus quaerere aut voluntarie percipere aut ipsi exortae consentire, (salva exceptione supra indicata sub 2°, c), quia delectatio tota est propter copulam, quae ipsis prohibetur.

b) Actus illos moderate exercere, quatenus pertinent ad coniugalem statum et coniugibus, magis quam aliis, competunt, seu quatenus de se in mutuum amorem sunt ac mutuum solatium, licitum est coniugibus impotentibus, etiam si praevideatur delectatio venerea oritura, aut pollutio per accidens secutura, dummodo hisce non consentiant nec sint in periculo proximo consentiendi.

In praxi, facile coniuges impotentes in hisce ignorantes esse possunt cum bona fide, ac in ea, ex gravi ratione, relinqui, dummodo non timendum sit maius malum.

[1] Vide notulam paginae praecedentis.

Conspectus Syntheticus Doctrinae

utriusque opusculi À. et B.
iuxta ordinem logicum coordinatae.

Qui *totum complexum omnium quaestionum, sive addiscendo, sive alios docendo, percurrere velit, ordinem eligat sequentem.*

Introductio generalis de Embryologie	B. η. I.
Quaestiones tractandae	A. introd.
	B. η. II.

Quaestiones ipsam embryologiam spectantes:

Q. I. De Vita uterina foetûs eiusque evolutione ac nativitate notiones physiologicae:	
1. Evolutio uterina foetûs	A. I, q. I.n. I.
2. Praegnatio	A. I. q. I, η. II.
3. Partus	A. I. q. I.n. III.
4. Abortus et partus praematurus	A. 1. q. I.n. IV.
5. Phases evolutionis foetûs ...	A. I. q. I. η. V.
6. Praegnatio extrauterina seu ectopica	A. I. q. 1. η. VI.
7. Falsae praegnationes aut imaginariae	A. I. q. 1. η. VII.
8. Anomaliae et monstra	A. I. q. 1. η. VIII.
Q. II. De Actionibus Vitae hominis aut Integritati nocivis principia theologica:	
1. Ex doctrina de actibus humanis	A. I, q. 2, η. II.

Quaestiones de sterilisatione :

INDEX.

Opuscula edita a R. P. MERKELBACH, O. *P.* *in collectione* « Quaestiones Pastorales » *grato animo fuerunt universim recepta atque plurium laudibus comprobata.*

Dicti libelli, quantumvis praevie editi, sunt tamen Summae Theologiae Moralis necessarium complementum, utpotc quaestiones profundius et extensius, atque alio ordine, aut praefice magis, vel etiam novas et diversas tractantes; ut maxime videre est in opusculis 1, 11. 111 et VI.

I. DE CASTITATE ET LUXURIA: editio 3a

...His chapter on the causes of and remedies of carnal sins is well-timed, and will be especially valuable for confessors and directors of youth. *The Month.*

Bref, clair, méthodique : premières qualités d'un *sommaire* que l'auteur a voulu, autant que possible, *complet* pour qu'il fût *pratique.* Heureux choix des notions anatomiques et physiologiques préliminaires : on trouve ici des détails ordinairement passés sous silence, et néanmoins indispensables. Nous ne pouvons relever toutes les particularités dignes d éloges de cet ouvrage : nous n'en finirions pas.

Collationes Namurcenses.

Hoc opusculum Cl. A. de meliore nota commendamus : scite, enim, et continenter rem jam multum ac diu agitatam, eainque difficilem sane, absolvit. *Divus Thomas.* Piacenza.

Geen theoretische uitwijdingen, maar de juiste, zekere uiteenzetting van al wat gevergd wordt om den betrouwbaren raadsman en biechtvader te vormen. *Ons Geloof.*

Œuvre d’une grande netteté dans sa terminologie, d'une véritable solidité dans sa pratique pastorale et pénitentielle, et où nous trouvons — ce qui manque trop souvent dans les oeuvres similaires — les notions physiologiques et morales nécessaires au confesseur.

P. Hourat. Bull. Circulaire.

Le traité *de castitate,* tout en étant complet, reste bref comme il sied à une œuvre ayant avant tout un but pastoral, il a pour objet la chasteté dans le mariage aussi bien que dans le célibat; il n'omet pas d’étudier les causes et les remèdes de la luxure. *Collationes Tornacenses.*

II. DE EMBRYOLOG1A ET DE MINISTRATIONE BAPTISMATIS : sectio prima, editio 2a

Ce volume réunit et développe un peu plus que ne le font les traités généraux de morale les questions se rapportant à l’avortement, aux inter-

ventions chirurgicales, à l'administration du baptême. Dans ces matières, qui donnent lieu à tant de cas de conscience angoissants, on apprendra avec grand intérêt l'opinion de l'éminent professeur, dont la finesse d'analyse et la rigueur de raisonnement sont assez connues. Il prouve solidement les solutions sévères proposées par l'Eglise; il refuse très heureusement de proclamer une obligation certaine, quand elle ne se laisse pas prouver d'une manière suffisante. J. Salsmans, S. J., *Nouv. Revue théol.*

La dottrina in generale è sicura. l'csposizionc chiara e ordinata, il fine inteso dall'A. ottimo. L'opusculo riuscirà certamente utile, raassime ai sacerdoti che csercitano la cura d'anime. Noi la reccommandiamo volentieri.

Felice M. Capello. S. J., *Gregorianum.*

III. DE VARIIS POENITENTIUM CATEGORIIS : editio 2a

...Les doctrines sont nettement exposées, les arguments sommairement mais solidement proposés, les solutions franchement données. Et nous ouvrirons cet ouvrage avec la certitude que nous trouverons ce que nous cherchons. Car fout y est de ce qui doit y être, et il y a plus qu'on ne croyait trouver. Tous les genres de pénitents sont passés en revue, depuis les enfants, les simples, les occasionnaires, les récidifs, les consuétudinaires, les malades, etc., etc., jusqu'aux anormaux, les dévots, les contemplatifs etc., etc. L'auteur profite de ces diverses questions pour esquisser de petits traités spéciaux : ...sur la contemplation et ses degrés, ...sur la moralité des danses et des toilettes, ...l'absolution des excommuniés, ...les tempéraments. Que de choses instructives les professeurs de pastorale n'ont pas le temps de développer devant leurs élèves ! Voici qui est fait par un maître. Aux confesseurs de le consulter : ils ne s'en repentiront pas. G. Kiselstein. *Revue Eccl. de Liège.*

Een werkelijk voortreffelijke pastoraal-theologische verhandeling over de toediening van het H. S. der Biecht geeft ons P. M.... Door zijn heldere uiteenzettingen en juist oordeel krijgt dit boek een eigen waarde van groot nut voor iederen Biechthoorder. *Studiën.*

IV. DE MINISTRO POENITENTIAE EIUSQUE OFFICIIS : editio 2«

Très Révérend Père.

...C'est avec une vive reconnaissance que j'ai reçu votre livre De Poenitentiae Ministro; *merci de me l'avoir envoyé, merci aussi de l'avoir édité. Je suis persuadé qu'il est digne de vos ouvrages antérieurs.*

Vos *études de théologie pastorale vont ainsi constituer un ensemble de*

toute première valeur. Je souhaite â vos livres l'influence la plus large- et la plus durable.

t J. *E. Card. Van Roey. Archevêque de Malines.*

They are both Pastoral treatises, and will be acceptable to all shepherds of souls. The former deals with the confessor's traetment of various classes of penitents, much as St. Alphonsus did so well in the « Homo Apostolicus. » Father Merkelbach has given us the benefit of wide reading and a long experience. The second monograph deals with te confessor himself, his powers, jurisdiction, reservation, the Seal, etc... Though the Seminarist will hardly have time to read them with all his other work, the priest on the mission should find time to do so.

The Month.

V. DE PARTIBUS POENITENTIAE ET DISPOSITIONIBUS POENITENTIS :

Comme les deux volumes qui l'ont précédé, celui-ci est une somme de doctrine dogmatique et morale, en même temps qu'un précieux manuel de pastorale. 11 est le fruit de nombreuses lectures mais aussi de longues réflexions. A tout ce qu'il touche l'auteur met un cachet d'ordre et de mesure, et il ne se déclare satisfait que lorsqu'il l'a rendu massif d'idées proposées, expliquées, défendues et coordonnées. Trop modestement il intitule ses travaux : Quaestiones pastorales. Lisez le présent ouvrage, et vous verrez qu'il n'y manque aucun aspect qui puisse figurer dans un traité étendu, pas même les aperçus historiques puisés chez les auteurs universellement estimés. On trouvera ici ce qui regarde la matière du sacrement de Pénitence, matière éloignée et matière prochaine, c'est-à-dire les actes du pénitent : contrition, confession et satisfaction, avec les diverses questions qu'on est accoutumé de traiter à leur sujet.

G. Kiselstein, *Rev. Eccles, de Liège.*

In vcrscheidcncn Faszikeln, gibt M. die wichtigsten Lehrstücke des Pastoral heraus. Die Faszike) sind im wesentlichen eine dankenswerte Zusammen tellung der von verscheidencn Autoren vorgetragenen Lehrcn.

Zeitschrift fur kathol. Theolog.

Allerlei vraagstukkcn, ünder over vcrschillende taktaten verdeeld en soms slechts terloops aangeraakt, vinden we hier systematisch geordend en breedvoeriger besproken met verwijzing naar de beste auteurs. Dit is we) de groote verdienste van deze serie.

Studiën.

...Een reeks van pastoraal-theologische brochures, welke naar onze meening der bijzondere aandacht voora) ook der dienstdoende Geestelijk-

heid overwaardig is... De flinke sprekcnde druk, in afwisscling van gewone letter, vette letter en cursiefletter. beantwoordt aan den inhoud.

De Schr. toont zich in deze brochuren cen uitstekend theologant. wiens werken, tegelijkertijd theoretisch en praktisch, de hoogste aanbeveling verdienen.

M. van Grinsven, C.ss.R., *Ncderlandschc Katholicke stemmen.*

C. SALMON. O. P.

VII. DE MATRIMONII SACRAMENTO

Ce 7'· fascicule des *Quaestiones Pastorales* est un bon résumé du traité du mariage: bref, clair, pratique... Il est bien au courant des décisions les plus récentes de la Commission Pontificale d'interprétation du Code.

A. C., *Collationes Namurcenses.*

Il est un résumé très bien fait des enseignements courants... Nous ne connaissons pas d'ouvrage de ce genre qui lui soit supérieur.

Revue Eccl. de Liège.

Le traité du « Sacrement de Mariage » du R. P. Salmon ne le cède en rien à ceux du R. P. Merkelbach : même concision, même clarté, même précision dans l'exposition de la théorie. Nous pourrions ajouter, même souci de rattacher la pratique à]a théorie et d'éclairer celle-ci par celle-là. *Revue Dominicaine (Canada).*

Hoc praecipue habetur in praesenti opere meritum laudandum, quod utendo hac manuductione poterit sacerdos quam celeriter quasi unico et brevi conspectu perspicere totum tractatum de matrimonio : quae completa cognitio pro ministerio pastorali commodum sane est non exigui momenti.

Armand Gougnard. *Coli. Mechlinienses.*

Presque rien sur les questions purement spéculatives, pas de longues théories sur les points controversés, mais toujours des solutions pratiques, franches et sûres. Grâce aux bonnes divisions mises en évidence par une excellente disposition typographique, la consultation de l'ouvrage est facile et rapide.

D. A. S.. *Revue Liturgique et Monastique* IMaredsous).

B. H. MERKELBACH. O. P.

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

ad mentem D. Thomae et ad normam juris novi

L'ouvrage du Père B. H. Merkelbach sera des plus utiles par sa clarté, par l'exactitude des définitions et par celle des divisions généralement bien justifiées. Sur bien des questions difficiles et compliquées il donne en peu de mots une solution dont la précision manifeste l'étude très consciencieuse et approfondie qu'il en a faite en se tenant au courant des travaux les plus récents.

F. Garrigou-Lagrange. O. P., *Angelicum.*

Persuasum habemus discipulos ex istius operis studio ptrventuros esse ad magis solidam, magis scientificam theologiae moralis scientiam quam ex pluribus etiam celebratis theologiae moralis manualibus. In laudem auctoris subiungimus eum methodice et non difficili calamo opus suum scripsisse... Re vera ex animo cl. professori opus gratulamur quod insigne etiam professoribus utile esse arbitramur.

Vermeersch, *Gregorianum.* 1932. (fasc. 2.)

CEuvre forte, parce que pensée et menée avec un soucis constant de logique: compacte, parce que pleinement à jour, touchant à toutes les questions de morale, en un style serré, sans digressions inutiles. Nous avons une fois de plus été frappé de la précision des formules de l'auteur... A cela s'ajoute une grande érudition...

G. Kiselstein, *Revue Eccl. de Liège.*

Les théologiens formés à cette méthode ne seront pas seulement de bons confesseurs: ils sauront enseigner et défendre la doctrine morale catholique... Cet ouvrage fournira à beaucoup de professeurs le moyen d'améliorer leur enseignement de théologie morale.

J. Creusen. S. J., *Nouvelle Revue Théclogique.*

Wij hebben den indruk dat deze twee deelen tôt het beste behooren wat in den laatsten tijd der speculaticf-theologische vernieuwing der moraal werd geboden. Dat de doctrien strikt thomistisch is gehouden, is daarbij louter gewin.

Dr. Damen. C. SS. R , *Ncdcrl. Kath. Stemmen,* Nov. 1932.

Omnia habentur diligenter elaborata, plene tractata et clare exposita, ita ut opus inter pracstantlora sit recensendum: qui non deterretur methodo scholastica et speculativa vix meliorem inveniet duceni.

F. B.. *Collationes: Gandavenses,*

Le Gérant,
P. RUTTEN.

IMPRIMERIE VERITAS
Mont Saint-Amand (Gand) Belgique.

QUAESTIONES PASTORALES

QUAESTIONES

DE VARIIS

POENITENTIUM CATEGORIIS

EIUSDEM AUCTORIS.

QUAESTIONES PASTORALES.

I. Quaestiones de Castitate et Luxuria. 3a ed., 132 p.

IL Quaest. de Embriologia et de Ministratione Baptismamatis, ed. ait, 88 p.

III. Quaest. de Variis Poenitentium Categoriis, unum vol., 208 p.

IV. Quaest. de Poenitentiae Ministro Eiusque Oficiis. unum vol., 120 p.

V. Quaest. de Partibus Poenitentiae et Dispositionibus Poenitentis. unum vol., 172 p.

VI. De Variis Peccatis in Sacramentali Confessione medendis. (praeparatur)

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS.

I. De Principiis et Virtutibus theologicis, 1 vol. in-S0 756 p.

II. De Virtutibus moralibus, 1 vol. in-8c 994 p.

III. De Sacramentis.

Ius proprietatis auctor sibi vindicat

LA PENSEE CATHOLIQUE
association sans but lucratif
est une œuvre d'enseignement
religieux, moral et social.

Quæstiones Pastorales
III

QUÆSTIONES
DE VARIIS
Pœnitentium Categoriis

QUAS IN UTILITATEM CLERI

collegit

Pater fr. Ben. MERKELBACH, O. P.

S. *Th. Dr et Mag. et in Inst. Pont. Angelico de LIrbe professor Theologiae moralis*

EDITIO ALTERA EMENDATA

MYRON PLEKON

La Pensée Catholique, association sans but lucratif
Liège (Belgique) — 38 Quai Mativa
PARIS (5e) : Librairie Labergerie, 11, rue Cujas
AMSTERDAM : N. V. De R. K. Boek-Centrale
PADERBORN : Verlag Ferdinand Schôningh
TORINO-ROMA : Casa éditrice Marietti
MONTREAL : Granger Frères
MADRID : Editorial Voluntad
MCMXXXIII

Nihil obstat

P. Fr. Bertrandus-M. Bonte, S. Th. Lect.

P. Fr. Humbertus-M. Bisschop, S. Th. Lect.

Bruxellis, 18 Februarii 1933.

Imprimi potest

P. Fr. Raymundus-M. Louis, Vic. Mag. Gen.

Romae, 22 Februarii 1933.

Nihil obstat

G. Kiselstein, L. c.

Leodii, 13 Martii 1933.

Imprimatur

G. Simenon, vic. gen.

Leodii, 13 Martii 1933.

BENEVOLO LECTORI.

Pastoralem disciplinam in seminariis minime esse negligendam SS. P. Pius XI in epistola commendavit de seminariis et studiis clericorum, lae Aug. 1922. Cum enim ex Iuris praescripto oporteat « habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris aliisve Cafechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis » (Can. 1369 § 3). vult S. Pontifex quod studiorum moderator « imo plurimum tribuet huic disciplinae, quo quidem proxime animarum quaeritur salus. Nec vero dumtaxat, quam sancte sint divina tractanda, praecipiet; sed praeterea quemadmodum sint maiore semper cum fructu hominibus applicanda. In quo ei erit temporum ratio diligentissime. Multa enim in populi christiani mores rerum cursus induxit, patrum nostrorum inaudita temporibus : quae pernovisse hodie sacerdotem oportet, ut nova novis remedia malis in lesu Christi virtute reperiat et salutarem Religionis vim in omnes venas afferat humanae societatis ».

Cui voto obsecundantes, iam duo opuscula practica pastoribus animarum et confessariis edidimus destinata, circa universas de Castitate et Luxuria, ac de Embryologia quaestiones; nunc autem materiam seligimus propriissime pastoralem utpote internum conscientiarum regimen immediate spectantem : de poenitentibus diversarum conditionum vario modo dirigendis.

De quibus, si novi quid quaeras, amice lector, vacuus forsan abscedes. At quae apud auctores melioris notae sparsa invenire poteris, ad usum confessariorum sedulo collegimus. Semper tamen conati sumus omnia proprio subiicere iudicio, ad principia quantum possimus reducere, methodice proponere, ac in meliorem redigere ordinem. Quod pro materia eminenter practica non sine utilitate putamus patratum; eo vel magis quod seminariorum professores, deficiente temporis opportunitate, brevius ista percurrere aut etiam penitus omittere aliquando cogantur. An autem felici cum exitu rem perfecerimus? faxit Deus ! at, pro nostra insufficientia vix audemus confidere.

Quod conamen nostrum B. Virgini gratiarum omnium mediatrici, et S. Raymundo de Pennafort, Ordinis Praedicatorum, Poenitentiae sacramenti insigni ministro, benigne committimus.

AUCTOR.

INTRODUCTIO

DE THEOLOGIA PASTORALI

Theologia pastoralis est institutio practica pastoris animarum ad rectam et fructuosam gestionem sui muneris. Quapropter potius est ars quam scientia; sed ars quae applicat principia scientiae theologicae, dogmaticae scii, et moralis.

Ipsius finis est pascere oves; ideo respicit omnia media salutis quibus pastor in foro interno et externo oves suas pascat et in finem ultimum conducat. Est ars regendi animas; practica methodus qua pastor secundum regulas theologiae animas sibi concreditas dirigere valeat.

Triplex est pastoris officium : praedicare doctrinam dogmaticam et moralem, — dirigere et aedificare exemplo et consilio, ubi usu venit theologia ascetica, — ministrare sacramenta. Theologia pastoralis aptam proponit methodum qua pastor in variis istis officiis animas iuxta regulas religiosae veritatis, moralitatis et perfectionis dirigere valeat; unde complectitur etiam regulas et methodum praedicationis et cathechizationis.

Impraesentiarum tamen solummodo spectamus methodum in administratione sacramentorum, praecipue in foro interno sacramenti Poenitentiae, ubi propinquius et principalius concurrit sacerdos ad procurandam animarum salutem doctrina, correptione et consilio, sicut propria sanctitate et zelo.

Finis tractationis nostrae est inchoata institutio iunioris sacerdotis ad ministerium animarum; gallice dicerent : « *initier le jeune prêtre à l'exercice du ministère des âmes* ». Quod praestabimus expositione regularum quas sequi et mediorum quibus uti debet, ad certius convertendos peccatores a Deo aversos, et ad magis sanctificandos iustos Deo unitos. Quibus regulis, nullatenus mens est supplere experientiae, quae, sub lumine principiorum theologiae moralis, semper manebit magistra regiminis animarum; at uti intendimus experientia aliorum, ut errores vitemus vel et defectus quoque involuntarios.

Ars artium regimen animarum, ait S. Gregorius. Opus enim sublimissimum quia opus divinum : iudicium Dei exercere et misericordiam; — difficillimum, cum difficilius sit cognoscere animae morbos quam corporis; — saluberrimum : ex regimine bono aut malo confessariorum, ait S. Alphonsus (Praxis Conf, η. 1), pendet populi salus aut ruina. Ad hoc in confessario requiruntur : 1) scientia non solum speculative habita sed ad praxim parata : methodus scii., exercitatio et praxis quibus valeat applicare principia ; — 2) magna prudentia; — 3) bonitas vitae et zelus. Unde quae de dotibus et officiis confessarii exponuntur in theologia morali, hic veniunt applicanda.

Nova profecto non est disciplina pastoralis, licet ordinatius et completius iam soleat pertractari. Fertur Petrum Pictaviensem saec. XII primum excoluisse theologiam casuisticam eumque plures habuisse imitatores. A saec. XIII in toto medio aevo notissimae erant *Summae poenitentiales,* quales scripsisse leguntur Peraldus O. P. (f 1250), S. Raymundus de Pennafort O. P. (1175-1275); loannes Rumsik de Friburgo O. P. (f 1314); Barth, de Pisa O. P. (f 1347); Angelus de Clavasio seu Carleti O. M. (f 1493); Trovamala O. M. (t 1495); Tabiena O. P. (f 1521); Sylvester Prierias O. P. (f 1523); Barth. Fumus O. P. (f 1545); Barth, a S. Fausto O. Cist. (1571-1639). Ad idem genus pertinent loannis Nider O. P. (f 1438) *Formicarius, Tr. de 10 Praeceptis,* et *Consolatorium timoratae conscientiae;* S. Antonini O. P. (1384-1459) *Summula confessionis;* Caietani O. P. (1469-1534) *Summula Peccatorum;* Barth, de Medina O. P. (1528-1581) *Brevis instructio de Poenitentia;* Azpilcueta Dris Navarri (f 1586) *Manuale confessariorum;* Lopez O. P. (f 1596) *Instructorium conscientiae;* Binsfeld (f 1598) *Enchiridion Theologiae pastoralis;* Mart. Fornari S. I. (1547-1612) *Institutio Confessariorum;* Loth O. P. (f 1652) *Resolutiones theologicae;* Stoz S. I. (f 1678) *Tribunal Poenitentiae;* Antonii a Sp. S. O. Carm. (f 1677) *Directorium Confessariorum;* Segiieri S. I. (t 1694) *Parochus instructus; Confessarius instructus; Poenitens instructus;* Lohner S. I. (t 1697) *Instructio de conversatione apostolica; Instructio pastorum;* Reuter S. I. (1680-1762) *Neo-Confessarius practice instructus;* Wigandt O. P. (t 1708) *Tribunal Confessariorum;* Gaume (1802-1879) *Manuel des Confesseurs.* Etiam plures Sancti, praeter iam citatos, bene meriti sunt de theologia pastorali, ut S. Carolus Borromeus (f 1584) *instructionem pastorum* scribens, et S. Franciscus Salesius (f 1622) *instructionem ad confessarios;* prae-

cipue autem S. Alphonsus (1696-1787). Hic quoque referri possunt Theologiae Moralis opera indolis magis practicae, ut Lacroix S. I. (1652-1714) et Sporer O. M. (f 1708); aut *casus conscientiae,* quales resolverunt Toletus S. I. (1532-1596); Barth, a Ledesma O. P. (f 1604): Bianchis O. P. (t 1622); Nazarius O. P. (1556-1646); Pontas (1638-1728): et P. Van der Velden O. M. (f 1857) in opere : *Praxis administrandi sacramentum Poenitentiae.*

Recentiore tempore iam speciales tractatus editi fuere theologiae pastoralis, quales inter alios plures conscripsere Alberti, Sailer (f 1832), Benger (f 1870). Gassner, Amberger (t 1889). Schiich (γ 1893), Pruner (f 1907), Gul. Stang (americanus), Goepfert (f 1913), Krieg, etc.; specialius autem in ordine ad praxim confessionalis : Zenner (f 1861); Tappehorn (t 1906); Probst. Ad nostrum autem scopum commendati specialius habeantur : S. Alphonsus, *Praxis confessariorum* et *Silva Rerum praedicabilium;* Aertnijs C. SS. R. *Theologia Pastoralis;* Berardi, *Praxis Confessariorum;* Reuter-Lehmkuhl-Umberg S. L, *Neo-Confessarius practice instructus;* Frassinetti, *Compendium Th. Moralis;* Schneider, *Manuale Sacerdotum;* quibus addi volumus manualia moralia moderna magis practica, uti sunt Aertnijs et Marc ex C. SS. R., — Haine et Theol. Mechliniensis; — Lehmkuhl, Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt et Vermeersch ex S. L; — Tanquerey S. S.; — et Prümmer ex O. P.; aut et collectiones casuum conscientiae quales confectae fuerunt a Gury, Lehmkuhl, Génicot et Villada.

De .Variis Pœnitentium Categoriis

I. Pertinet praesens tractatio ad ultimam partem doctrinae de Poenitentia, ubi de subiecto huius sacramenti.

Est autem Poenitentiae subiectum omnis et solus homo viator, baptizatus, peccator, vere contritus et aliquo modo confitens. Debet esse :

1) *homo viator,* quia pro illo solo fuerunt sacramenta instituta;

2) *baptizatus,* quia Baptismus reddit capaces ad recipienda alia sacramenta, quae secus reciperentur invalide;

3) *peccator,* i. e. qui post Baptismum commisit saltem peccatum veniale, quia virtus poenitentiae non est nisi de peccato actuali personali, et sacramentum poenitentiae institutum fuit in remissionem peccatorum post Baptismum commissorum; quodsi peccator non esset, verba absolutionis non verificarentur et absolutio esset invalida;

4) *contritus,* saltem contritione imperfecta; secus non esset vere poenitens, cum contritio sit poenitentiae actus principalis et essentialis, sine quo impossibile est obtinere remissionem peccati actualis:

5) *aliquo modo confitens,* seu externe accusans se esse peccatorem. Sine accusatione externa enim peccata et dispositiones poenitentis essent ignota ministro, qui iudicium exercere non valeret; qualiscumque autem externa accusatio etiam minima ad hoc sufficit, in circumstantiis in quibus maior integritas confessionis est impossibilis.

II. Praedicta omnia ex doctrina de poenitentiae virtute et sacramento clara sunt. Unde in praesenti, principiorum in toto tractatu de poenitentia expositorum est **applicatio facienda**

variis poenitentium categoriis quae speciales difficultates praebere possunt.

Categoriae dividi possunt secundum particulares poenitentium dispositiones, — conditionem corporis, — vel animae, — statum vitae, — vel peccati genus.

Limitamus autem praesentis opusculi expositionem ad tria priora classium genera; de reliquis forsitan futuro tempore tractaturi.

III. Porro quaestiones tractandae reduci possunt ad sequentes :

I. De poenitentibus varie dispositis :

1) De poenitentibus qui in examine conscientiae sunt dirigendi.
2) De poenitentibus qui sunt interrogandi.
3) De poenitentibus qui sunt instruendi et monendi.
4) De consuetudinariis et recidivis.
5) De occasionariis.
6) De poenitentibus qui ad novam aut generalem confessionem sunt obligandi aut inducendi.

II. De poenitentibus variis secundum conditionem corporis :

1) De pueris.
2) De semifatuis et surdo-mutis.
3) De adolescentibus et iuvenibus.
4) De viris et mulieribus.
5) De abnormalibus.
6) De infirmis et moribundis.
7) De incarceratis et capite damnatis.

III. De poenitentibus variis secundum conditionem animae :

1) De piis et devotis.
2) De perfectis et contemplativis.
3) De tentatis.
4) De scrupulosis.
5) De laxis.
6) De mundanis.
7) De eruditis et personis spectatae conditionis
8) De excommunicatis.

CAPUT I

DE PŒNITENTIBUS VARIE DISPOSITIS

QUAESTIO PRIMA

De Pœnitentibus qui in examine conscientiae sunt dirigendi

I. Obligatio poenitentis. — Poenitens tenetur regulariter, et quidem per se sub gravi, praemittere confessioni diligens examen omnium quae commisit peccatorum mortalium.

Dicitur : a) *per se et regulariter.* Excipitur enim 1) si tempus deficiat, ut in morientibus accidere potest; 2) si examen non sit necessarium, attentis dispositionibus poenitentis;

b) *peccata mortalia* : qui enim moraliter certus est se ab ultima confessione non peccasse mortaliter, ad diligens examen stricte non tenetur, sed tantum ad detegendam materiam sufficientem pro validitate sacramenti; quamvis etiam ad diligens examen de *venialibus* sit hortandus quo uberiores fructus ex sacramento percipiat.

Probatur : 1) ex C. *Trid.* sess. 14, c. 5 : « Ex hisce colligitur oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia quorum post diligens examen conscientiam habent, in confessione recenseri ». Et sane, sine tali examine non possent omnes animi sui sinus explorare, ut ait idem Concilium;

2) *ratione* : Qui tenetur ad finem, eo ipso tenetur ad media per se necessaria ad finem assequendum. Atqui diligens examen, regulariter loquendo, medium est necessarium ad integritatem confessionis procurandam iis qui graviter peccave-

runt : si enim plura mortalia commiserint, generatim ea omnia recordari nequeunt, propter humanae memoriae inbecillitatem, nisi per aliquod tempus conscientiam diligenter exploraverint. Ergo qui graviter peccavit, regulariter tenetur ad diligens conscientiae examen.[1]

II. Diligentia requisita non est summa, qua maior dari nequit et quae in rebus maximi momenti a viris cautissimis adhibetur : haec enim nimis molesta esset ac sacramentum redderet odiosum; sed *ordinaria* seu *mediocris* quam homines prudentes in re gravi adhibere solent. « Ad id sufficit, legimus apud S. Alphonsum, Th. M. l. VI, n. 471, 1°, diligentia mediocris, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet; vel qualem, moraliter loquendo, docti ac timorati adhibere solent, etiamsi quis putet, maiore diligentia, plura esse reperturum ». Haec tamen aestimanda est pro capacitate et conditione (seu diversitate status) poenitentis et aliis circumstantiis. Maior requiritur a) quo diutius se a confessione poenitens abstinuerit, b) quo plura et diversa mortalia commiserit, c) quo minus commissorum rationem habuerit, d) quo magis est doctus et instructus : rudes enim, indocti et inculti incapaces sunt accurati examinis.

Hinc 1) *ordinario* sufficit successive percurrere praecepta Dei et Ecclesiae, peccata capitalia et status proprii obligationes (quibus insistendum, cum multi sint qui de proprii statûs officiis vix cogitent); quod si a brevi tempore quis confessus sit, etiam se examinare sufficit circa officia erga Deum, proximum et seipsum.

2) *Qui frequenter confitentur,* raro mortalia committunt, et quotidie suam conscientiam excutiunt, breviori examine contenti esse possunt, quia peccata gravia, si commiserint, facile memoriae occurrent. Quamvis ad diligens examen inducendi sint quo venialia detegant, sed et eorum causas et occasiones. ut facilius defectus extirpent.

3) *Scrupulosi* non debent longo tempore in examine terere, quia graviter peccare non solent et aliunde minutum examen

1 Cfr. Reuter, *Neo-Conf.,* p. i. c-3 , n. 4; S. Alfhonsus, *Th. M.,* l. VI, n. 471; Marc, *Th. M.,* II, n. 1703-1704; Theol. Mech. (4), *de Poen.,* n. 47 et 48; Lehmkuhl, *Th. M.,* II, n. 446-450; Tanquerey, *de Poen.,* n. 312-316; Genicot, *Th. M.,* II, n. 301-303; Noldin, *Th. M.,* III, n. 277-278; Prümmer, *Th. M.,* III, n. 383-385.

scrupulos et dubia augere valet; quod si graviter peccavissent, id sane prae oculis haberent.

4) *Aegroti* non tenentur ad examen tam accuratum quam bene valentes, imo quandoque ab omni examine excusantur, propter nimiam debilitatem; quo casu ab ipso confessario *quoad substantialia* breviter interrogandi sunt. Quando supervixerint, postea confessionem suam, si oportet, complere possunt.

III. **Munus confessarii.** — Confessarius potest, imo **debet** interdum dirigere poenitentes in conscientiae examine aut illud supplere, necnon integritatem confessionis ipse procurare.

Ita agere *potest ex* charitate; quamvis possit, ut accuratius conscientiam discutiant, benigne dimittere illos qui sufficienter sint instructi, praesertim si agatur de longa confessione, cum fere impossibile sit ut accurate respondeant confessori interroganti, absque praevio examine; ceterum ad examen conscientiae per se poenitentes tenentur, ad confessorem pertinet solum iudicium de examinis sufficientia. At ex charitate *debet* erga illos qui alias praevidentur non reversuri, praesertim erga rudes et ignaros qui aliter se examinare non possunt.

IV. Catalogus interrogationum de accusandis peccatis. — Cum autem moralistae quidam longum catalogum peccatorum et series interrogationum struant, inutilium et ineptarum, ne sacramentum Poenitentiae odiosum reddatur, placeat hic subjungere *schema interrogationum* quae poenitentibus ad supplendum examini suae conscientiae proponi possint et in ordinariis adiunctis abunde sufficiant [1].

Interrogandi sunt opportune pro adiunctis :

A. De *sacramentis antea receptis* : de poenitentia adimpleta; ac, si raro recipiunt sacramenta, de sacrilegiis ob reticentiam, de eorum numero, de tempore quo durante ad sacrilegium adverterint, ac de communione paschali non peracta. Praestat autem ita interrogare : Habesne aliquem angorem conscientiae de vita anteacta? Fac modo bonam confessionem, dic omnia ingenue, noli timere, exonera conscientiam tuam.

1 Non solum improbandus est modus interrogandi strictus qualis erat in usu apud quosdam Rigoristas, et inveniri potest apud Dens, in app. ad tr. de Poenitentia; sed etiam apud recentes, nonnunquam traduntur longiores interrogationes aut quaestiones inopportunae : ita plures, apud Noldin et apud Gury, quantum ad virtutes theologicas aut religionem, et pro ultimo, quantum ad homicidium et duellum (!); imo apud Aertnijs, in Th. Past., interrogationes circa sextum videntur descendere in nimias circumstantias minutas.

B. *De praeceptis decalogi* : Circa *luni* : an 4 mysteria fidei principalia cognoscat poenitens, an ea quae sunt de necessitate praecepti, an non omnem orationem diu omiserit, an fidem periculo non exposuerit (lectione, consociatione, colloquiis, occasione) aut operibus contra fidem non sit cooperatus.

De superstitionibus (v. g. Spiritisme) non est interrogandum, nisi in regionibus ubi sunt communes, vel nisi specialis ratio sit aestimandi quod poenitens eorum reus sit.

Circa *2um* : nonne blasphemaverit, an cum intentione blasphemandi, et an ita non dederit scandalum; quamnam formulam adhibuerit; quodsi circa sensum formulae erret, est edocendus; item nonne contra Deum et dispositiones Providentiae murmuraverit.

Item nonne iuraverit vano vel falso, et an ita damnum proximo non intulerit.

De votis non sunt interrogandi nisi poenitentes pii, qui adhuc saepius ea confundunt cum propositis.

Circa *3um* : an omiserit audire missam de industria, vel propter quamdam necessitatem; nonne negligens fuerit in tardiore adventu missae; an fecerit vel mandaverit opera servilia sine necessitate, et quanto tempore, nonne et publice.

Circa 4uzn : *filii* de amore, reverentia, et obedientia erga parentes, et nonne contra ea *graviter* deliquerint, parentes aspere tractaverint aut contristaverint; — *parentes* de educatione puerorum, religiosa institutione, correctione et vigilantia, ac bono exemplo, etc.

Circa *5um* : an odio aliquem habuerit poenitens, an mala ipsi exoptaverit vel imprecatus fuerit, et an *serio,* et quaenam voluerit ipsi inferre. Nonne malum exemplum dederit, ad peccandum induxerit, alio usus sit ad peccatum exequendum, cooperatus fuerit peccato alieno. Nonne iratus fuerit in proximum, et si affirmet, an quid opere commiserit (rixa, percussione, vulneratione). Nonne ebrietati se dederit.

Circa *6um* et 9 *uni* ; an conscientiam tranquillam habeat quantum ad modestiam et puritatem? an delectatus sit in cogitationibus impuris, et voluntarie; an desideria habuerit et *quale* opus faciendi; an colloquia obscena habuerit vel audiverit, et libenter, aut libros obscenos legerit; nonne indecenter vestitus fuerit; an aspectus vel tactus habuerit, oscula aut amplexus lascivos, et an mutui fuerint; an effectum passus sit, v. g. motus carnis plus minusve vehementes, pollutionem in viro, plenam satisfactionem in muliere; an opus turpe commiserit, solitarie, cum altero, diversi sexus vel eiusdem (persona libera vel ligata), v. g. : an peccasti cum puella? an fecisti actum coniugalem? (hebt gij *de zonde* bedreven? vous avez commis *le péché!)* an actus sequelas aut fructus habiturus sit? (heeft dat gcvolgen gehad? cela a-t-il eu des suites?) et quare non?

De sodomia et bestialitate non fiant interrogationes, ne addiscant poenitentes aut scandalizentur; nisi gravis omnino adsit ratio existimandi poenitentem talia commisisse (v. g. : an praesentia animalis occasio fuerit peccandi; aut, pro iis qui pollutionem cum alio accusaverint habitam : an aliquid peius fecerint).

De onanismo autem interrogentur coniugati : an officia matrimonii recte impleverint, et si haesitent aut negent, an legibus naturae sese conformaverint, contra finem matrimonii nihil fecerint, sanctitati matrimonii non abutantur, se totaliter commiserint divinae providentiae circa filiorum generationem, voluntati Dei quoad numerum infantium se conformaverint, numerum infantium non limitare intenderint, de providentia Dei non diffiderint ex metu augendae prolis (quot liberos habes?), etc., ubi

quaestiones praecisae et bene determinatae praeferendae sunt indeterminatis et nimis vagis.

Circa *7um* et 10um : nonne poenitens iniustitiam commiserit, aliquid iniusti retineat; — iniuste damnum intulerit; — an deceperit; — an debita solvere neglexerit (Restitutio).

Circa 8um : an malum de proximo locutus fuerit, an magnum vel parvum, falsum vel verum, occultum aut pervulgatum (Reparatio); an mala cogitaverit de proximo, an verbis iniuriosis eum affecerit, an iniuriis gravibus; an mentitus fuerit.

C. *De praeceptis Ecclesiae* : de observatione festorum, de abstinentia a carnibus, de annua confessione et communione.

D. *De officiis status* : parentes de filiis, ut dictum est; — coniuges de mutua fidelitate, amore, pacifica vita, officiis (v. g. nonne habeant forsan aliquid quod conscientiam mordet circa matrimonium, utrum inter se sint unanimes, an vir servet fidem uxori, an uxor in omnibus honestis obediat viro, an vitam non reddat molestam marito, an de re domestica curam habeat, an vir bona non dilapidet); — domini de vigilantia exercita in famulos et de negligentia in tollendis ab eis scandalis; ac de mercede iusta soluta; — famuli et operarii de opere praestito aut neglecto, de damno illato, de furtulis, de labore die dominica; — pueri, nonne quid tacuerint ob verecundiam, et lusus inhonestos habuerint, v. g. quae non auderent facere sub oculis aliorum; — item adolescentes et puellae, praesertim si ornatum diligant : tunc interrogandi sunt an cum personis alterius sexûs conversati fuerint familiariter, nimis libere, etc.; — caupones, an peccata toleraverint (blasphemies, turpiloquia, detractiones), an peccatis alienis aliquo modo cooperati fuerint (potum dederint, picturas obscenas, cameram); — mercatores de pretio exaggerato, de dolo et fraude in commercio, cum gravi damno proximi; — milites de blasphemiis, omissione officiorum religionis, rixis, peccatis luxuriae et furtis; sartores de frustulis retentis, etc...

Quae interrogationes non semper omnes sunt faciendae, sed secundum statum, conditionem et capacitatem poenitentis. et responsa quae dederit.

V. Animadversio. — Optimum est examen conscientiae qualibet die instituere.

QUAESTIO SECUNDA

De Pœnitentibus qui sunt interrogandi

I. Obligatio interrogandi. — Adest obligatio per se gravis interrogandi poenitentes, ut probatur in Tr. de Poenitentia, ubi de ministro. Omissio interrogationis redundat in detrimentum animarum, aut in praejudicium sacramenti[1] :

[1] Cfr. Marc, *Th. M.,* II, n. 1804.

A. *in detrimentum animarum* : 1) quia praebet occasionem multis confessionibus sacrilegis, cum multi poenitentes sunt qui, nisi interrogentur, graviora peccata praetereunt : « frequenter, ait S. Thomas, quae pro confusione poenitens taceret, interrogatus revelat » (IV Sent. d. 19, qu. 2, art. 3, exp. textus);

2) quia causa est quod multi poenitentes opportunis remediis careant contra relapsum : confessarius enim non interrogans de causis, occasionibus, consuetudine peccatorum, de diligentia in emendatione adhibita vel omissa, prudenter incTicare nequit media opportuna quibus novi lapsus praecaveantur;

3) quia facile damnum infertur et aliis, ex eo quod poenitens scandalum non tollat, aut officia statûs negligat, v. g. in educatione et custodia filiorum;

B. *in praeiudicium sacramenti,* cuius integritas periculo exponitur, imo et validitas, cum prudenter iudicari saepe non possit an poenitens sit dispositus, vel an indigeat ardentiore exhortatione ut rite disponatur.

II. Quaenam interrogationes faciendae. — Interrogationes tantummodo sunt faciendae quae et quatenus necessariae sunt ad procurandam validitatem sacramenti, — integritatem confessionis, — aut emendationem peccatoris[1] :

1) *ad procurandam validitatem sacramenti,* v. g. ad cognoscendum an sit materia confessionis sufficiens, an poenitens ex verecundia aliquid reticeat prout saepe accidit in pueris et puellis, an poenitens sit sufficienter dispositus;

2) *ad integritatem confessionis,* v. g. circa peccatorum numerum, speciem, circumstantias speciem mutantes; aut circa peccata de quibus poenitentes se accusare non solent, ut de peccatis internis, de omissione officiorum statûs;

3) *ad correctionem poenitentis.* v. g. de causa et occasione peccatorum, frequentia, gravitate, malitia, etc.

Non omnes tamen sunt interrogandi, sed ii tantum pro quibus, sive ex modo confitendi, sive ex communi statu vel conditione personae, confessario est specialis ratio coniiciendi adesse unum ex defectibus praedictis.

1 *Ibid.,* n. 1803.

111. Normae attendendae. — Ex dictis intelliguntur normae sequentes[1]:

A. *De poenitentibus interrogandis* : 1) Confessarius interrogare non tenetur poenitentes qui ex una parte sufficienter instructi videntur, et ex altera diligentes sunt in confitendo, quales esse solent clerici, aut religiosi, et illi qui frequenter sacramenta recipiunt; nisi tamen in aliquo casu ex eorum accusatione probabilitas oriatur aliquid scitu necessarium omitti.

2) E contra, ordinarie interrogandi sunt qui raro ad sacrum tribunal accedunt, praesertim si parum instructi videantur, quia merito praesumitur eorum accusationem integram non esse.

3) Improbanda est praxis eorum qui nunquam poenitentes interrogant, quasi hoc in principium erigant, imo nec sinunt eos confessionem ad exitum perducere, sed, paucis peccatis auditis, statim absolutionem impertiuntur. Talis agendi ratio saepe animos perturbat, nedum eos tranquillet, et causa est cur taceantur etiam gravia peccata; proinde generatim, et nisi agatur de scrupulosis, est improbanda etiam pro illis qui tantum venialia accusant : potest enim relinqui peccatum mortale pro fine confessionis.

B. *De sollicitudine interrogandi* : 1) Confessarius non tenetur ad maiorem sollicitudinem in interrogando quam poenitentes in confitendo: imo, stricte loquendo, potius ad minorem tenetur, cum integritas confessionis directe poenitentem et nonnisi indirecte confessarium obliget.

2) Confessarius proinde non tenetur adhibere nisi ordinariam et mediocrem diligentiam, quae diversae poenitentium capacitati proportionetur. Ita non tam accurate examinandus est rudis et incultus quam bene instructus, nec aegrotus quam sanus et robustus, quia illi ad tam minutum examen non obligantur.

3) Adhibita ordinaria diligentia, non peccat confessarius qui ab ulterioribus interrogationibus abstinet, ne confessionem odiosam reddat, quamvis praevideat maiori diligentia plura peccata detegi posse : melius est enim confessionem materiali integritate carere, quam odiosam multis fieri.

[1] Cfr. AertnijB, *Th. M.,* II, n. 276; Tanquerey, *de Poen.,* n. 468. In referendo auctorem Aertnijs, priores editiones sequimur, non illas quae cura P. Damen fuerunt factae.

C. *Circa gravitatem obligationis* : Obligatio interrogandi est per se gravis; si tamen, ex levi negligentia, inadvertentia, memoriae labilitate, aut distractione, vel defatigatione, confessarius aliquid inquirere omittat quod *ex se* necessarium sit ad integritatem confessionis aut ad emendationem poenitentis, nullum aut leve erit peccatum : non enim tenetur tanta cum difficultate aut etiam morali impossibilitate alienos defectus supplere; cum autem multae confessiones excipiuntur, moraliter impossibile est hos defectus semper vitare.

IV. Qualitates interrogationum. — Interrogationes tres oportet habeant qualitates : debent esse moderatae, discretae, et opportunae Docet iam S. Thomas. l. c. :

« Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione quasi medicus vulnus et iudex causam, quia frequenter quae pro confusione confitens taceret, interrogatus revelat. Sed tamen in interrogationibus faciendis tria sunt attendenda :

1) ut quilibet peccator interrogetur de peccatis quae consueverunt in hominibus illius conditionis abundare, ita... quod a milite non quaeratur de peccato clericorum, aut e converso;

2) ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis quae omnibus nota sint; de aliis... ita debet a longinquo fieri interrogatio ut, si commiserit, dicat; si non commiserit, non addiscat;

3) ut in peccatis praecipue carnalibus, non descendat nimis ad particulares circumstantias non necessarias... ne sibi et poenitenti noceat », vel istum in confessione impediat, aut odiosum sacramentum Poenitentiae reddat.

Itaque interrogatio debet esse :

A. *moderata,* i. e. non de curiosis aut inutilibus, confessioni extraneis, sed de iis tantum quae conscientiam spectant, nec etiam quaestionibus nimium multiplicatis : excessivae enim interrogationes solent exasperare poenitentes et suspicionem curiositatis contra confessarium excitare.

1 Cfr. Reuter, *Neo-Conf.,* p. 1, c. II, n. 3; Theol. Mechl. (4), *de Poen.,* n. 48, p. 132 sq. ; Billuart, *de Poen.,* diss. 6, a. 10, § 2; Aertnijs, *Th. M.,* II, n. 277; *Th. P.,* n. 27 sq. ; Marc, *Th. M.,* II, n. 1806-1807; Tanquerey. *de Poen.,* n. 467-471 ; Berardi. *Praxis conf.,* n. 1085-1106; Lehmkuhl., *Th. M.,* II, n. 542-546; Noldin, *Th. M.,* III, n. 395-396.

Hinc : 1) non de omnibus peccatis interroget confessarius, sed solum de iis quae verisimiliter a poenitente commissa sunt iuxta cuiusque *conditionem* et *dispositionem;*

2) pariter quemque interroget secundum suam *capacitatem* et *scientiam,* non autem secundum scientiam qua pollet ipse confessarius; proinde a poenitentibus ordinariis incassum exquiret distinctiones specificas et numericas peccatorum *minutiores* quae a talibus dignosci non solent; item ab illis quae diu non sunt confessi, numerum peccatorum *determinatum;* item a pueris parum evolutis, ignaris, semifatuis, etc., *magis quam confusam* peccatorum notitiam : quanto enim magis interrogat, tanto minus hi intelligunt;

3) ordinario non expedit a rudibus quaerere *proprium* de suis peccatis *indicium,* et nominatim num tamquam mortale habuerint peccatum ab ipsis commissum : haud raro enim respondebunt non secundum rei veritatem, sed secundum id quod menti eorum occurrit; — in quibusdam casibus tamen, maxime in materia castitatis, et praesertim si timeatur ne directa quaestione scandalizetur poenitens, quaeri poterit utrum id agendo conscius fuerit se graviter peccare.

4) Sed *quaedam paucae* interrogationes fiant, non obscurae sed *dilucidae,* secundum captum poenitentis, — non generales nimis, sed *concretae,* — non longae sed *breves* et *mutatis terminis* iterandae.

Et istud sufficit etiam si confessarius ita non possit *certum* de peccatorum quae audivit gravitate aut levitate iudicium ferre : sufficit enim sufficientem habere notitiam de poenitentis dispositionibus, diligentiam ordinariam adhibere in exquirendis peccatis, ac *serium* et *prudens* iudicium, quantum possit, de istis efformare; quodsi in isto iudicio erraverit, absolutio nihilominus valida est.

B. *Discreta* seu prudens, tum in *rebus* de quibus interrogatur, tum in *modo* interrogandi, vitando omnia quae poenitentes probabiliter scandalizare possunt, aut esse causa curiositatis excitandae, offensionis, vel tentationis, aut suspicionem ingerere erga confessarium, aut ea docere quae ignorare melius est. Quod attendendum saepius erat relate ad blasphemias et simonias, nunc praesertim relate ad fraudes et injustitias, ad superstitiones, ad media mortem inferendi aut procurandi abortum etc.; potissime in materia castitatis, maxime quoad feminas, aut quoad iuniores qui forsan huiusmodi peccata non cognoscunt. Et tamen, quia experientia constat peccata luxuriae a quibusdam non facile accusari nisi de iis interrogentur, *paucae* quaedam et *cautae* quaestiones etiam de iis prudenter proponendae sunt: sed ita ut servetur regula ab omnibus tradita : melius est in interrogationibus deficere quoad confessionis integritatem materialem, quam abundare cum probabili scandalo et ruina poenitentis.

Hinc : 1) confessarius utatur primum *generalibus* terminis, ita ut si poenitens reus sit intelligat, si vero innocens nil novi discat, v. g. numquid peccasti contra modestiam, decentiam, puritatem?

2) sedulo vitentur cum iunioribus, qui innocentes praesumuntur, illa

verba propria quae periculosam curiositatem excitare valeant, uti sunt : pollutio, fornicatio, sodomia, bestialitas, onanismus, etc.;

3) etiam quoad coniugatos inquiratur utrum officia mutua impleverint, quin expresse de debito coniugali mentio fiat, vel numquid aliquid ipsos remordeat quoad matrimonii usum : si negative respondeant, nil amplius inquirendum nisi specialis sit ratio; si affirmative, illas quaestiones proponere sufficiat quibus cognoscatur utrum voluntarie adhibeant media impeditiva conceptionis vel nativitatis;

4) *ordinario, et* praesertim si suspicio sit peccatum reticeri ex ignorantia vel simplicitate, expedit interrogationem incipere a levioribus peccatis et gradatim ad graviora transire, v. g. prius de cogitationibus (quod si negent, non prosequendum), tunc de verbis auditis vel prolatis, de aspectibus, nimiis familiaritatibus, tactibus, aut et de aliquo peiore : cum seipso, cum aliis, alterius vel eiusdem sexûs, et sic porro;

5) *aliquando* tamen, nempe si suspicio adsit peccatum reticeri ex pudore vel timore, expedit incipere a maioribus, quibus accusatis reliqua facile declarantur; — et ita etiam apud rudiores et ignaros, qui cogitationes aut et desideria negant, verba et opera fatentur, eo quod peccata interna nesciant esse declaranda, vel illa non aeque agnoscant aut advertant; unde si externa affirment, ulterius quaeratur utrum, extra actiones commissas, de hisce rebus etiam cogitaverint vel desiderium habuerint.

C. *Opportuna,* i. e. convenienti tempore ac modo facta, benignis scii, et placidis verbis, ne poenitens offendatur aut timore correptus respondere non audeat.

1) *Ante confessionem ; a)* si ignotus sit poenitens, paucis benigne inquiratur a quo tempore confessus sit. an absolutus, an circa vitam praeteritam perfecte quietus?

b) si *inquietus sit,* paterne inducatur ad causam anxietatis exponendam, dicendo peccata omnia etiam gravissima contritis corde remitti et omnem sollicitudinem sincera confessione dimitti;

c) *possunt quoque* interrogationes fieri de statu et conditione; sed saepe melius fiunt in decursu confessionis, data opportunitate, ne ab initio poenitens quaesitis terreatur, aut curiositatis suspicio oriatur.

2) *In ipso netu confessionis* : a) si poenitens sponte nbn incipiat, confessarius benigne interroget quid mali ab altera confessione admiserit;

b) durante accusatione, permittat prius poenitentem se explicare sine interruptione nisi quod Interdum per unum vel alterum verbum iuvet eum ut cum fiducia pergat; aliquot tantuin quaestiones raras et breves proponere poterit, v. g. de numero et circumstantiis speciem mutantibus, sed non nimis frequenter Interrumpat poenitentem, ut hic possit ex ordine omnia confiteri, nec plura ex eius memoria decidant, unde plerumque melius erit interrogationes saltem longiores ad finem differre;

c) patienter et benigne audiat peccata etiam gravissisima, sine uflo admirationis aut horroris signo, sed mansuete quaedam interponat de misericordia *divina;* inutilia accusantem moneat ista dicere non esse necessarium; haesitanter aut aegre se accusantem paucis quaestionibus iuvet;

d) ab omni reprehensione et increpatione abstineat *antequam confessio finiatur.*

3) *Post auditam confessionem* : a) percurrendo declarationes, interrogari debet poenitens de iis quae *verisimiliter* omisit; aut etiam de peccatorum occasione, causis, consuetudine, ut de dispositionibus ac remediis debitis iudicium ferri possit;

b) apud rudes qui raro confitentur, examinandum an ex animo doleant de peccatis, et an serium habeant propositum ea vitandi;

c) ab ignotis quaeratur num aliquid eorum conscientiam angat, aut aliquid in confessione omiserint;

d) idem a timidis saepe prodest, post interrogationem, immediate antequam absolvantur, paterno affectu quaerere : sunt enim qui non omnia detegunt nisi postquam confessarius benignitate fiduciam sibi conciliaverit;

e) illi denique qui tandem accusant peccata antea reticita, mitissime tractandi, ac inducendi ut non solum de suis peccatis, sed et de malitia reticendi doleant.

V. Animadversiones.

1) Speciatim interrogandi sunt rudes qui iudicantur non sufficienter suam conscientiam perquisisse. Ad quod inservire potest schema supra traditum qu. 1, η. IV.

2) Aliquando poenitentes petunt interrogari a confessario; qui si deprehendat id accidere ex gravi defectu examinis, aut ex vana curiositate, poenitentem paterne corripiat, imo dimittere euin potest, nisi necessitas spiritualis eiusdem aliter suadeat.

3) Si quis tam rudis et stupidus est ut nullum peccatum nec ex vita praeterita etiam post repetitas quaestiones accuset, post interrogationes de cognoscendis necessitate medii, et recitationem actuum fidei, spei, charitatis et contritionis, aliquando poterit absolvi, saltem sub conditione, saltem si existimetur forsan absolutione egere. Ad *validam* enim absolutionem. quando aliter poenitens se accusare non potest, sufficit ut signis se fatetur peccatorem, quod facit sistendo se coram confessario in tribunali Poenitentiae.

4) Etiam excultiores (ut medici, iudices, advocati, sacerdotes, confessarii, parochi) interrogandi sunt de officiis status, sed tantum si conscientiae neglectae sint, aut si confessarius aliunde fundate dubitet ne officiis suis desint, v. g. medici de cura et visitatione aegrotorum, de mediis illicitis commendatis, de negligentia in monendo de sacramentorum receptione: — iudices et advocati de iniusta sententia pronuntiata aut causa defensa ac de damnis illatis; — sacerdotes de breviario, oneribus missarum tempore debito solutis, de studio ad confessiones necessario, nimio rigore aut benignitate erga poenitentes, de eleemosynis erogatis, catechismo, praedicatione, visitatione infirmorum, correctione paterna; — religiosas de votis, praesertim paupertatis, de officiis peculiaribus, periculosis amicitiis, aversione, et, si sit superiorissa, de vigilantia et abusibus in monasterio. 1

• Cfr. Aertnijs, *Theol. Past.,* n. 41 sq.

QUAESTIO TERTIA

De Pœnitentibus qui sunt instruendi et monendi

I. Obligatio instruendi et monendi. — Confessarius sub gravi ex officio tenetur :

1) Qua *minister* sacramenti, *instruere* poenitentem, non quidem de omnibus quae iste scire tenetur, sed de iis quae scire tenetur ad sacramentum hic et nunc rite, i. e. valide et fructuose, suscipiendum; — nisi tamen absolutio in aliud tempus possit differri.

2) Qua *doctor et medicus,* qui dirigere debet in via salutis, *saltem monere* poenitentem circa res quae scire et facere tenetur, seu de aliis veritatibus et obligationibus quas cognoscere debet, ut eas addiscat aut impleat [1].

II. Instructio et monitio semper facienda ante absolutionem. — Exinde patet de quibusnam in specie *semper* instruendi aut monendi sint poenitentes *ante absolutionem,* scilicet :

1) Qui culpabiliter vel inculpabiliter ignorant veritates certo credendas necessitate medii (scii. Deum esse et remuneratorem esse supernaturalem), omnino instruendi sunt ante absolutionem, utpote incapaces contritionis, justificationis et absolutionis. Item generatim qui ignorant veritates *probabiliter* credendas necessitate medii (Deum trinum, et Filium incarnatum ac redemptorem), quia in dubio de mediis necessariis ad finem, maxime ad finem ultimum, salutem aeternam, tutior pars est eligenda: nisi tamen adsit extrema necessitas in qua impossibile sit moribundum de his instruere, quo casu, aliis necessariis datis, debet absolvi sub conditione *: si es capax,* et, si supervixerit, instruendus est et iterum absolven-

1 Cfr. Reuter, *o. c.,* p. 1, c. IV, n. 5-9; S. Alphonsus, *Th. M·,* 1. VI, n. 608-616; Billuart. </.· *Poen.,* diss. 6, a. 10, § 3; Berardi, *Proris conf.,* n. 1107-1114; Tanquerey, 0. *c.,* n. 473-478; Theol. Mechl., *de Poen.* (4), n. 78-79; Lkhmkuhl, *Th. M.,* II. n. 571-576; Aertnijs, *Th. P.,* n. 63-66; Ballerni-Palmieri, *de Poen..* n. 811-831; Genicot, *Th. M.,* II, n. 357-359; Noldin, *Th. M.,* III, n. 393-394

dus. Notetur autem non requiri valde evolutam aut scientificam horum mysteriorum notitiam, sed sufficere ut credatur tres esse distinctos (Patrem, Filium, Spiritum Sanctum) qui sunt unus Deus, ac Filium Dei hominem factum sua morte nos redemisse; quae facile possunt edoceri; — quodsi aliquis ea retinere nequeat, sufficit illa in confessione remerorare

2) Pariter instruendi sunt ante absolutionem aut monendi, qui ignorant aut non habent dispositiones necessarias ad sacramentum valide aut licite et fructuose recipiendum, videlicet contritionem, firmum propositum, et modum integre confitendi; qui secus periculo exponuntur invalide aut illicite absolutionem recipiendi.

3) Item qui ignorant necessaria cognitu necessitate prae cepti (Symbolum, decalogum, praecepta Ecclesiae, sacramenta ab eis recipienda, orationem dominicam, et alia necessaria ad rectam vitam christianam instituendam) monendi sunt. At absolvi possunt, si de negligentia doleant et serio promittant ea quamprimum addiscere : tunc enim sunt sufficienter dispositi; at si pluries promiserint frustra, examinandum est an non sit differenda absolutio propter defectum aut dubietatem propositi; — quodsi poenitenti desint omnia media illa addiscendi, ex charitate confessarius et, si sit parochus, ex iustitia, teneri potest eum edocere, et ideo designanda sunt locus et tempus pro instructione accipienda.

4) Item qui ignorant ea quae ad officium suum recte implendum sunt necessaria, per se et generatim non sunt absolvendi nisi parati sint officium suum (iudicis, medici, advocati, confessarii, parochi) relinquere, vel requisitam scientiam acquirere et interim ab iis exercendis abstinere quibus grave dam num probabiliter posset proximo inferri; secus enim essent indispositi, utpote proximo periculo se exponentes grave damnum causandi; — *aliquando* tamen monitio de officio relinquendo omitti poterit, si non speretur profutura ac desit scandalum, at *semper* urgenda est obligatio quamprimum necessariam scientiam acquirendi.

5) Item ante absolutionem monendi sunt poenitentes de obh gationibus quae ex peccatis suis resultant (nisi bona fide igno rent et certo non facient, nec aliunde maius timeatur malum), uti sunt obligatio restituendi famam, honorem aut bona, obligatio vitandi occasiones proximas peccati, obligatio deponendi odium grave, sese reconciliandi cum inimico, reparandi scandalum, etc., quas ita imponat confessarius ut praetextibus vanis

poenitentium non praebeat aurem, sed tamquam essentialem conditionem absolutionis praescribat.

III. Monitio regulariter facienda et tempore opportuno. — Etiam patet de quibus poenitentes (qui ignorantia aut conscientia erronea laborant) *regulariter* monendi sunt, *sed cum prudentia,* et non necessario ante absolutionem, sed *tempore opportuno* :

1) Qui sibi exaggerant malum et iudicant esse malum quod non est, aut gravius quam sit, v. g. esse mortale quod est veniale : tunc enim error est nocivus utpote causa peccati formalis. et est auferendus. Quod verum est etiam si praevideantur exinde saepius commissuri peccata venialia; melius est enim permittere innumera venialia quam unum mortale, ut notat S. Alphonsus, Th. M., l. III. c. V. n. 130; talemque multiplicationem relapsûs confessarius sua monitione praecavebit.

2) Item qui minuunt malum et iudicant licitum quod est malum, vel minus malum quam sit, v. g. esse veniale quod est mortale, et non sunt in bona fide sed ignorantia eorum est vincibilis et graviter culpabilis; uti si dubitent vel inquirant, quod signum est dubiae fidei : tunc in iis est culpabilis negligentia, et non excusantur a peccato, a quo proinde omni conatu eripiendi sunt [1].

3) Item qui ita iudicant ex ignorantia invincibili, si ista diu manere non possit, ut si agitur de primis principiis et primis conclusionibus iuris naturalis et de officiis statûs *obviis* (v. g. de educatione filiorum), uno verbo de iis quae diu ignorat' nequeunt.

4) Item qui errant ex ignorantia invincibili vel non graviter culpabili, si monitio praevideatur verisimiliter profutura, saltem post tempus, aut non sit gravis et seria ratio de hoc dubitandi; — nisi aliquando timenda essent maiora mala. Munus confessarii enim est poenitentes instruere de obligationibus, si

1 Notetur i) tantum aliquando, ct omnino *rarius,* si certo maius timeatur peccatum,, confessarium forsan posse veritatem dissimulare ct nihil dicere ac si non audivisset quaestionem, dummodo exinde non putetur approbare malum ; — 2) attamen non teneri plus dicere quam necesse sit aut quam interrogetur, v. g. si obstrictus voto castitatis simplici interroget an matrimonium ideo fuerit invalidum, respondeat negative, tacendo de debito; si quaerat poenitens an debeat coniugi debitum reddere, respondeat affirmative, tacendo de obligatione non petend:. Cfr. S. AlFhoîJsus, *Theol. Mor.,* l. VI n. 616; Reuter, *Neoconf.,* p. I, c. IV, n. 7.

sine gravi incommodo fieri possit; at omittenda est monitio si orirentur in aliis peccatum formale vel gravia damna. Hinc poenitens qui bona fide matrimonium invalide contraxit, generatim non est monendus antequam matrimonium revalidari possit, ne forte interea formaliter peccet; imo etiam si monitionem est suscepturus, sed simul praevidentur in aliis peccata formalia v. g. in coniuge, aut gravia damna v. g. in filiis.

5) Item qui errant ex ignorantia invincibili, etsi monitio non sit profutura, dummodo monitionis omissio noceat bono communi, ut si agatur de scandalo aut de gravi damno temporali aut spirituali quod tota communitas ex incuria superioris pas sura est, v. g. si silentium foret causa quod crederetur aut diceretur lectionem pravorum librorum, frequentationem chorearum, ingressum in sectam massonicam, praxim onanismi non esse illicitam eo quod confessarii parum eis adversari videntur.

6) Item si error invincibilis non noceat bono communi sed noceat ipsi poenitenti, ut si importet periculum salutis, v. g. si versetur circa media forsan necessaria ad salutem aut ab solutionem, vel si periculum inducat fundandi pravam consuetudinem a qua postea aegre se liberabit, ut fornicandi aut se polluendi.

E contra monitio non est facienda, si non sit spes emendationis *et* ignorantia sit involuntaria *nec* magis nociva poenitenti, aliis aut bono communi; quod tamen non raro accidit : e duobus malis enim minus est permittendum ut maius vitetur. Unde i: concursu peccati materialis et formalis, magis praecavendum formale, quo solo Deus offenditur.

IV. Animadversiones.

Itaque 1) in diiudicanda opportunitate monitionis, recolendum est unum peccatum mortale gravius esse multis venialibus, unum peccatum formale omnibus materialibus; damnum spirituale poenitentis damno temporali alicrum, detrimentum boni communis detrimento boni particularis solius poenitentis.

Ratio huius ultimi est quia tunc confessarius, ait S. Alphonsus, *Praxis Conf.* η. 9. « cum ipse constitutus sit minister in bonum reipublicae Christianae, tenetur praeferre bonum publicum bono privato poenitentis ».

2) Omnino admonendi sunt superiores civiles aut ecclesiastici qui proprio officio quoad sibi subditos desint. Ratio est quia horum ignorantia non facile supponenda est invincibilis, cum quisque teneatur scire obvias sui muneris obligationes, tum quia horum ignorantia etiam invincibilis semper damno erit communitati, dum facili negotio alii putare possunt sibi licitum esse quod vident a superioribus fieri. (S. Alphonsus, ibidem).

3) Ob eamdem rationem, in casu damni communis, admonendi sunt.

ut docet Ben. XIV (Bulla *Apostolica* § 20), qui crebro sacramenta suscipiunt, ne scilicet licitum iudicetur ab aliis, quod ab his impune exerceri animadvertatur. Nec obstat quod admonitio hic et nunc inutiliter fieri videatur, vel etiam cum scandalo poenitentis; nam talis poenitens, cum videbit postea se a nemine absolvi, facilius emendabitur; et interim cessabit aliorum scandalum cum videbunt illum ad sacramenta non admitti.

4) Ut fiduciam pocnitentium lucretur confessarius, ne imprudenter iis imponat onera indebita, nec statim et praecipitanter respondeat consilio petito aut dubio proposito : opportunius sumet tempus reflexionis aut etiam, si non adsit periculum laedendi sigillum, exquiret mentem doctioris et sapientioris.

5) Ignorantia est invincibilis : a) quando aliquis nullo modo advertit nec suspicatur actum esse malum (aut obligatorium); b) quando aliquis de hoc aliquoties dubitat, sed obligationem examinandi nullo modo advertit aut suspicatur nec implicite nec in confuso; c) quando dubitat et serio examinat, sed examen non facit apparere illicitum actum vel obligationem mutandi modum agendi.

E contra est vincibilis, si examine serio vinci potest. Ad quod requiruntur tria : a) dubium de liceitate actionis; b) advertentia obligationis examinandi saltem implicita; c) negligentia examinis.

V. Monitum. — Ex praedictis constat etiam *de onanisino* esse generatim interrogandos et monendos poenitentes : id enim exigunt plurima principia. Nam talis praxis a) difficulter admittit ignorantiam invincibilem, saltem diuturnam, b) nocet bono communi, c) nocet poenitenti ob pravum quem contrahit habitum, d) et si pii illam sectentur, causât scandalum. Unde in casu rarissimo non sunt monendi. De quibus cfr. A. Knoch, « *L'Onanisme conjugal et le tribunal de la Pénitence* ».

Quapropter graviter suo desunt officio qui interrogare generatim negligunt sub praetextu quod sit nimis onerosum, vel quod mos interrogandi non amplius existât, aut quod usus onanismi hic inde iam sit tam generalis ut merito timeatur quod diligenti interrogatione ac modo procedendi rigorosiore multi cessent propterea frequentare sacramenta et ecclesiam. Decreta enim S. Officii, instructiones episcoporum Belgii ac Concilii Mcchliniensis sunt clara, nec tamquam lex positiva haberi possunt mutabilitati obnoxia, sed non sunt nisi interpretatio authentica legis naturalis. Unde nunquam possunt mutari aut in desuetudinem legitime abire, sed semper et ubique sunt applicanda in perpetuum. Qui igitur iis non se conformant et nunquam aut fere nunquam de onanismo coniugali interrogant, aut facile vel indiscriminatim onanistis quasi omnibus absolutionem concedunt, graviter peccant.

Recentissime S. Pontifex suprema sua auctoritate id voluit sancire. Postquam solemniter promulgaverit ; « *quemlibet* matrimonii usum, in quo exercendo, actus, *de industria hominum,* naturali suae vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari »; haec pro confessariis addit :

« Sacerdotes igitur, qui confessionibus audiendis dant operam, aliosque qui curam animarum habent, pro *suprema* nostra auctoritate et omnium

animarum salutis cura *admonemus,* ne circa gravissimam hanc Dei legem fideles sibi commissos errare *sinant,* et multo magis, ut ipsi se ab huiusmodi falsis opinionibus immunes custodiant, neve in illis *ullo modo conniveant.* Si quis vero confessarius aut animarum pastor, quod Deus avertat, fideles sibi creditos aut in hos errores ipsemet induxerit, aut saltem sive approbando sive *dolose tacendo in iis confirmaverit,* sciat se Supremo Iudici Deo de muneris proditione severam redditurum esse rationem, sibique dicta existimet Christi verba : caeci sunt, et duces caecorum; caecus autem, si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt ».

Cum ergo confessarii plures. praetermissis admonitionibus episcoporum atque S. Officii decretis, suam laxam agendi rationem in nullo immutaverint, videamus an saltem supremae S. Pontificis auctoritati velint praestare aurem.

VI. Corollarium de rudibus. — Ex antea dictis iam sufficienter constat quomodo procedendum sit cum rudibus, quin de iis quaestio specialis moveatur [1].

Isti in negotio salutis aliquando bene vel melius instructi sunt quam alii, at non semper, uti constare potest ex accusatione et responsis eorum. De quibus valeant regulae sequentes:

1. In accusatione non statim, sed solum data occasione iuvandi sunt, ita ut prius sinantur se exprimere, ut dictum est q. 2, η. IV, C.

2. Si *insufficienter se accusent,* aut id merito praesumi possit, generatim non dimittendi, sed examinandi sunt; percurrendo praecepta Dei et Ecclesiae ac obligationes status, ut dictum est q. 1, η. III et IV.

3. Ad hunc finem etiam interrogandi sunt, sed moderate et iuxta capacitatem eorum, ut accusatio compleatur pro modo quo talibus possibilis est; iuxta dicta q. 2, η. IV, A.

4. Quodsi videantur examen satis accuratum instituere non posse, etiam modum se examinandi confessarius eis suggerat.

5. Qui in enumerandis peccatis négligentes non sunt, monendi sunt de dolore et proposito (nisi tamen constaret hac in re esse sollicitos), ut malitiam peccati serio perpendant, et motivis contritionis propositis iuxta captum eorum, in dolore se exerceant : sunt enim qui putant sufficere post confessionem mere materialiter recitare contritionis formulam (cfr. q. 2, η. IV. C, 3, b; et q. 3, η. II, 2).

6. Si aliqui *vix habeant quod accusent* (aut nil particulare dicant), examinandum ex quonam defectus oriatur :

1 De iis videri possunt Reuter, *o. c.,* n. 3 et 114-118, et Lehmkuhl, 7ἱΛ. *M,,* II, n. 612-614.

a) Si ex vita uniformi et continuo labore vix occasionem peccandi habeant et ita a gravioribus facile abstineant et levia parvipendant, iuvandi sunt ut leviora accusent et ad securitatem contritionis peccatum gravius vitae anteactae accusent.

b) Si ex defectu examinis, monendi sunt de obligatione discutiendae conscientiae, et pro prudentia vel dimittendi usque ad sufficientem praeparationem, vel examini conscientiae subnciendi ad defectum supplendum; quod ex cliaritate saepius est faciendum si ipsi se examinare nequeant, aut aliquid peius sit timendum v. g. si graviter offendendi praevideantur aut non redituri (q. 1, η. III).

c) Si certa materia non adsit, aut nil patefaciant ex imbecillitate, ruditate instructionis aut stupiditate, et ab aliquot mensibus non sint confessi, post dolorem de peccatis in genere elicitum, sub conditione absolvi poterunt, saltem si timendum sit quod possint esse in mortali (q. 2, η. V, 3).

d) Tales autem examinandi semper sunt de scitu necessariis : si enim nil fateantur vel nihil sciant respondere nisi quod iuraverint vel pecoribus maledixerint, adest prudens suspicio crassae ignorantiae. Quibus detestatio praecipienda de eo quod négligentes fuerint in negotio animae; ac veritates fidei ad minus proponendae sunt et rememorandae, ut saltem hic et nunc cognoscant, si illas retinere non possint, sicut facile fieri potest in senibus qui antea cognoscebant (q. 3, η. II. 1 et 3).

e) Cum omnibus praedictis de dolore et proposito serio est agendum, ut iam diximus.

7. Si dubie sint dispositi, serio monendi sunt et, pro posse, disponendi; quod si dubie dispositi remaneant, quamvis per se differenda sit absolutio, pro iis tamen, magis ac pro aliis, saepe occurrit aliquis ex casibus quibus sub conditione absolvi poterunt, ut scii, maius vitetur malum, sicut dicetur, q. 4, η. IV, 4.

8. Relate ad satisfactionem imponendam, inter alia utilitatis esse possunt ea quae habet Reuter (o. c., n. 118) :

« Rusticis et plebeis pro poenitentiis fere preces sunt iniungendae eaeque plerumque tales quas statim eadem die persolvant aut proximo festo; nisi aliud quid suadeat consuetudo vel negligentia in divinis. Hinc si négligentes sint in suscipiendo sacramento poenitentiae, iniungetur utiliter ut post mensem vel proximo festo maiore, aut si tunc non possint, proxima post illud occasione iterum confiteantur. Si consuetudinem habeant v. g. maledicendi vel iurandi, per dies 14 vel per mensem mane recitent ter *Pater* et *Ave* in laudem sanctissimae Trinitatis; — aut : petant

vernam suorum peccatorum, labores suos et difficultates isto die obeundas simplici modo offerant Deo in satisfactionem petantque gratiam emendandi; — vel etiam : vespere easdem preces repetant, doleant petantque veniam, dicendo v. g. « Deus, propitius esto mihi misero peccatori »; — aut iniungatur eis, ut quoties iterum maledixerint aut iuraverint, pectus percutiant et veniam petant; — monendi tamen sunt, si quando obliviscantur, sufficere ut postea resarciant vel compensent. Si quis multorum gravium peccatorum reus esset nec conveniens alia poenitentia occurreret, iniungi posset ut per mensem vel usque ad proximam confessionem diebus dominicis et festis Sacrum, quod iam debet audire, devote offerat Deo in satisfactionem suorum peccatorum, iisdemque diebus rosarium (vel 5 decades) dicat in Sacro, vel ut libuerit. Utile quoque erit, praesertim si temeatur, ne poenitens insufficienti dolore et proposito efficaci deficeret, ei iniungere ut ante communionem eliciat fidem, spem et charitatem cum dolore, vel saltem contritionem cum proposito, hosque actus post communionem renovet et Christo confirmando offerat : sic enim consulet reverentiae et fructui sacramenti, quoad fieri potest. »

Animadvertit autem Lehmkuhl : cum hominibus rudibus et inferioris conditionis, confessarium ex una parte aliquando severiore agendi et loquendi modo uti posse eos increpando, si durioris sint ingenii et peccatis dediti nec in detestandis diligentes; debere ex altera parte cavere ne eos duritie repellat, sed incumbere ut eos soletur et Deo lucretur. Nam rudiores etiam duro modo agendi offenduntur et magis quam exculti deterrentur, benignitate vero et affabilitate attracti, ad bonos mores cum magna docilitate efformantur. Uno verbo : severitas sit mansuetudine temperata.

QUAESTIO QUARTA

De Consuetudinariis et Recidivis

I. Consuetudinarius seu habituatus in peccato dicitur ille qui habitum seu constantem propensionem internam et facilitatem idem peccatum committendi ex consuetudine seu frequenter iteratis actibus contraxit[1]. Qui habitus proinde distinguitur

a) *a mera occasione peccati* : haec enim est peccatori externa, dum habitus est intrinsecus; qui tamen saepe cum occasione connectitur quatenus non raro ex hac oritur vel multum augetur;

1 De his conferri possunt Billuart, *de Poen.,* diss. 6, a. IO, § 6; Reuter, *o. c.,* n. 175-188; S· Alphonsus, *Th. M.,* l. VI n. 459-564; *Pr. conf.,* n. 70-77; Berardi, opusc. *de Recidivis et Occasionariis;* Tanquerey, *de Poen.,* n. 537'547; Aertnijs, *Th. M.,* II, n. 310-314; TiiEoi.. Mechl., *de Poen.,* (4), n. 86-87; Prümmer, *Th. M..* Ill, η. 452-153; Ter Haar, *de Occasionariis et Recidivis,* opus valde commendandum.

b) *ab affectu habituali ad peccatum,* quo quis voluntate iugi deliberate adhaeret peccato : hic enim est peccatum et in confessione omnino deponendus, dum habitus non necessario reddit indispositum, cum retractatus etiam involuntarie remanere potest.

Habitus acquiritur actibus repetitis. Unde ad illum contrahendum requiruntur tria :

1) *Frequentia* seu numerus *lapsuum;* quot autem actus requiruntur et sufficiunt nequit absolute determinari, sed a variis circumstantiis pendet : a peccantis indole scii, a maiore vel minore eius fragilitate vel praedispositione; a peccati natura plus minusve allicientis, cum in quibusdam materiis, ut sunt ebrietas vel luxuria, facilius ac promptius acquirantur pravi habitus; a difficultate vel facilitate committendi peccati: a modo quo committitur, maiore vel minore deliberatione aut voluntatis adhaesione, etc.

2) *Temporis duratio* ; qui enim saepius eodem die peccat et postea per longum tempus abstinet non tam facile habitum contrahit, quam qui regulariter semel aut iterum quotidie aut qualibet hebdomada idem peccatum committit.

3) *Ininterrupta continuatio* : sicut enim habitus amittitur cessatione ab actibus, ita, si actus sint nimis distantes, contrahi nequit. Hinc :

a) Quo facilius aliquod peccatum committitur, eo plures requiruntur actus ad habitum contrahendum : ita plures requiruntur actus pro peccatis mere internis quae facilius perficiuntur quam pro externis, plures pro peccatis oris quam pro peccatis operis, plures pro peccatis externis inchoatis quam pro consummatis, et pro iis quae solitarie perpetrantur quam pro iis quae complicem requirunt. Ita, iuxta S. Alphonsum. *Pr. Conf.* n. 70, quinquies in mense peccatum externum facti committere, modo inter varios actus aliquod intervallum intercedat, sufficere potest ad habitum contrahendum, ut si quis singulis hebdomadis per aliquot menses in ebrietatem vel pollutionem cadat: dum si agitur de peccato cordis vel oris multo maior requiritur numerus, scii, bis vel ter in hebdomada: si vero de peccatis externis quae nonnisi cum complice perpetrari valeant, minor requiritur numerus, ita ut ille qui semel in mense fornicatur per annum vel sodomiam committit, habituatus dici possit.

b) Alia est consuetudo *ex mera fragilitate contracta,* et alis quae est *deliberate contracta ex perfecta voluntatis electione :*

sunt enim consuetudinarii *incontinentes* qui peccant solum ex fragilitate seu ex impetu passionis transeunte et voluntati quasi extrinseco, ita ut habitualiter ipsorum voluntas sit peccato adversa, et transacto peccato illud abhorrent et facile poenitent et cupiunt ab habitu liberari, ut aliquando contigit in iis qui passionibus carnis, intemperantiae, vel irae consentiunt et facile fit in blasphemiis, imprecationibus et pollutione; — e contra consuetudinarii *intemperati* seu habituati in voluntate peccandi, qui peccant ex vero habitu et ideo ex malitia voluntatis seu ex inclinatione mala permanente quasi intrinseca et habituali affectu ad peccatum, etiam sine impetu passionis, qui proinde non facile peccatum detestantur aut ad poenitentiam moventur ita facile fit in turpi amore, constanti odio, onanismo coniugali, iniustitia furti, ac transgressione praeceptorum Ecclesiae ex acedia vel timore humano, vel et in peccatis carnis, pro illis qui de iis gaudent aut ex inveterata consuetudine ea quaerunt.

Unde S. Thomas ait : quicumque ex habitu peccat, peccat ex certa malitia (I-II, q. 78, a. 2.) et gravius quam ex passione : assimilatur peccatum ex passione morbo interpolato, peccatum ex habitu morbo continuo (a. 4, et II-П, q. 156, a. 3).

II. Habituati in peccato plerumque censeri possunt, cum Ter Haar, o. c., n. 216 :

1) In materia *luxuriae* : qui delectationibus morosis pravisque desideriis passim cedunt, — qui quotidie fere colloquiis graviter turpibus

1 « *Difficile* est operari contra id ad quod habitus inclinat ». S· Thomas, de Malo, q. 3, a. 13, ad 6. « Liberum arbitrium potest uti habitu vel non uti. Unde non oportet quod semper aliquis agat secundum habitum,sed potest aliquando contra habitum agere, licet *cum difficultate.* Non tamen manente habitu potest contingere quod diu maneat, nihil secundum habitum agens ». De Ver. q. 24, a. 12, ad 13. Hinc « intemperatus non est poenitivus », quia « difficilior est ejus sanatio... ex parte inclinationis appetitus quae in intemperato est ex habitu, qui difficile tollitur » (II, II q. 156, a. 3 et ad 2). « Unde qui sic peccant perseverant in voluntate peccandi et *non de facili pœnitent* » De Malo, q. 3, a. 13. Etenim « ille qui peccat ex habitu semper gaudet de hoc quod ex habitu operatur quamdiu habitu utitur. Sed quia potest habitu non uti, sed per rationem, quae non est totaliter corrupta, aliquid aliud meditari, potest contingere quod non utens habitu doleat de hoc quod per habitum commisit. Et sic plerumque tales pœnitent de peccato, *non quia eis peccatum secundum se displiceat, sed propter aliquod incommodum quod ex peccato incurrunt* » (I-II q. 78, a. 2 ad 3). Cfr. Q. De Ver. 24, a. 10 ct a. II, ad 4; de Malo, q. 3› a· ıo-

indulgent, — qui frequenter in peccatum pollutionis incidunt, puta semel et iterum in hebdomada pro cuiusque constitutione, — qui perdite amant personam alterius vel etiam eiusdem sexus, eam saepe visitant cumque ea graviter peccant, — qui lupanaria frequentare solent, item theatra aut cinematographa admodum turpia, — qui valde addicti sunt lectioni librorum obscenorum aut eroticorum in quibus pasculum impurum inveniant, — qui in matrimonio onanistice vivere solent, etc.

2) In materia *iniustitiae* : qui fere unice cogitant de augendis divitiis quibuscumque mediis, licitis aut illicitis, modo ne in manus iudicis civilis incidant, v. g. in contractibus, in negotiis, in bursarum operationibus, etc.; — qui iniuste acquisita restituere aut debita solvere diu culpabiliter negligunt, — qui furtula minora, in gravem materiam coalescentia, saepe committunt; — qui in functione muneris titulo iustitiae accepti, v. g. medici, advocati, notarii, oeconomi, frequenter graviter iniuriosi sunt, etc.

3) In materia *inimicitiae* : qui diu constanti odio gravi proximum prosequuntur, de iniuria ab ipso illata vindictam quaerunt, eiusque famae aut bonis temporalibus nocere nituntur, etc.

4) In materia *fidei opposita :* qui dubitationibus circa fidei veritates saepe voluntarie inhaerent; — qui libros, periodica, folia graviter periculosa sine iusta et proportionate causa legere solent, — qui coetus haereticorum, socialistarum, aliorumque id genus hominum frequentant, vel familiare cum illis amicitiae commercium habent saepeque contra Ecclesiam eiusque ministros loquuntur cum periculo perversionis, etc

5) In materia *blasphemiae :* qui simplici colloquio formulas (vere) blasphematorias intermiscere solent, aut etiam frequenter, si ira excondescunt, blasphemias eructant, neque ullam curam consuetudinem hanc dimittendi adhibent.

6) In materia *intemperantiae* : qui cauponas visitare solent et ibidem, aut etiam domi, saepe, puta pluries in mense ebrietati se dedunt.

7) In materia *praeceptorum Ecclesiae :* qui legem abstinentiae fere non curant, — qui identidem, v. g. semel et iterum in mense, ex levi aut nulla causa missam praescriptam non audiunt, — qui diebus prohibitis sine gravi ratione opera servilia peragere solent.

8) In materia *officiorum status* : qui haec valde negligunt, v. g. *parentes,* qui religiosam filiorum educationem praetermittunt aut eos a periculis fidei et morum avertere non nituntur, praecipue matresfamilias quae filias solas cum iuvenibus amorem facere permittunt; — *domini et magistri* qui nihil solliciti sunt de honestate domesticorum aut operariorum in officinis vel alumnorum in scholis; — *filii et subditi* qui praecepta parentum et dominorum in re gravi contemnere soliti sunt; — superiores ecclesiastici et civiles qui leges particulares suae communitatis aut societatis parum curant, transgressores nec monent nec puniunt cum gravi damno communi; — *confessarii* qui necessariam scientiam studio comparare negligunt ita ut saepe graviter fallantur in casuum solutione, qui nihil fere interrogant, haud satis dispositos monere negligunt, omnes peccatores sine discrimine absolvunt, aut contra, recidivis passim absque gravi ratione vel durius absolutionem denegant; — *sacerdotes* qui non dispensati officium divinum saepe non recitant, qui levi sua agendi ratione, verbis, ludis, nimia missae praecipitatione, fidelibus grave scandalum praebent; — *religiosi* utriusque sexus qui in materia gravi vota, v. g. paupertatis, saepe laedunt, qui regulas maioris momenti, puta silentii, clausurae, exercitiorum spiritualium, reverentiae erga superiores, etc.

transgredi solent cum notabili damno communitatis et periculo relaxationis, etc.

Hi omnes, si non aliquo passionis motu qui cito transit ita ut brevi resipiscant, sed ex voluntate constanter in malum inclinata frequenter, facile et prompte haec peccata admittunt, peccatores *habituati* dicendi sunt. Licet enim plures ex hisce recensitis peccata tantum omissionis committant, tamen vere ex pravo habitu peccant, puta ex vitio acediae vel incuriae; quod quidem vitium in ipsis est qualitas permanens, qua velut naturaliter inclinantur, ut vim fere nullam sibi inferant ad implenda illa officia ac praecepta, vel ut timori aut respectui humano facile, frequenter et sine ulla fere resistentia cedant.

III. Recidivus in genere dicitur ille qui reincidit in peccatum, ideo poenitens recidivus est ille qui peccatum confessus et de eo monitus in ipsum etiam semel relabitur; unde stricte loquendo et per se potest esse consuetudinarius qui non sit recidivus, ut qui nunquam confessus est peccatum in cuius consuetudine perseverat, et potest esse recidivus qui non sit consuetudinarius, ut qui post confessionem in peccatum aliquoties relabitur. Attamen in *acceptione theologica hodierna* recidivus solet dici ille qui, postquam aliquod peccatum confessus sit, in idem saepe relabitur absque emendatione, seu in eumdem habitum peccati (sive ex causa interna sive ex causa externa). Unde cum tali recidivo consuetudinario non est confundendus recidivus in peccatum, sine habitu vel consuetudine, aut recidivus in solam occasionem peccati, qualis est ille qui promissionem de removenda occasione non tenet et occasionem denuo adit vel non expulit.

Hinc recidivus alius est *formalis,* alius *materialis. Formaliter* est *recidivus,* si relapsus supponitur provenire ex defectu firmae voluntatis, ad quod tres *simul* requiruntur conditiones, a) *frequens relapsus* nost plures confessiones, postquam scii, a confessario de gravitate culpae, et de mediis ad eam vitandam neccessariis poenitens fuerit monitus; b) *relapsus in idem peccatum,* non autem in alia diversi generis; c) *defectus omnis etiam inchoatae emendationis,* ita ut fere eodem modo, eadem facilitate, statim aut brevi post confessionem absque serio conatu (sive ad repellendas tentationes sive ad media emendationis adhibenda) fuerit relapsus. Ita si quis post singulas confessiones frequenter deliberate relapsus est, ducto initio ab uno vel altero die post confessionem.

Materialiter recidivus est, si relapsus supponitur provenire ex mera infirmitate, inconstantia vel fragilitate voluntatis. Talis est qui 1) a confessario non fuerat serio monitus, vel 2) monitus, non relapsus est in eadem peccata sed in alia di-

versi generis, vel 3) licet monitus et relapsus, aliquam emendationem vel imminutionem peccati exhibet, quia non tam saepe peccavit, — vel per tempus sat notabile serio tentationibus resistere conatus est, — aut aliquod e mediis assignatis adhibuit, etiam si propter maiorem tentationis vehementiam vel frequentiam, tam saepe ac antea peccavit.

IV. Regulae practicae. — De consuetudinariis et recidivis tres solent enuntiari *regulae practicae* :

A. *Simplices consuetudinarii non recidivi regulariter absolvi possunt, quoties vere ac sincere parati inveniantur adhibere media necessaria ad consuetudinem vincendam.*

Explicatur : Ad dispositionem eorum requiritur et sufficit ut consuetudinem retractent, nec retineant voluntarie causam et periculum peccati; retractatur autem per voluntatem non amplius peccandi et pravum habitum per media extirpandi. Media sunt tum *generalia* seu communia, ut oratio, meditatio, recordatio Dei praesentiae, sacramentorum receptio, etc., tum *particularia,* quae pravae consuetudini directe opponuntur v. g. sensuum mortificatio contra impuritatem, abstinentia a potu contra intemperantiam.

Probatur : Confessio rite facta et declaratio poenitentis asserentis se dolere et proponere emendationem sunt signa sufficientia doloris et dispositionis, *si* non obstat praesumptio in contrarium.

Atqui solus pravus habitus per *se* non dat talem praesumptionem : non enim est signum indispositionis sed maioris ad peccatum facilitatis et probabilitatis. « Licet pravus habitus, ait S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 459, reddat peccatorem propensiorem ad peccatum, non tamen dat praesumptionem suae infirmae voluntatis ».

Ergo simplex consuetudinarius qui vere et sincere paratus est adhibere media, censetur sufficienter dispositus, et consequenter potest absolvi.

Confirmatur : a) sane non requiritur ut consuetudinem iam extirpaverit;

b) aliunde media praescripta adhibendo, vim consuetudinis minuet et paulatim extinguet : consuetudo enim contraria consuetudine vincitur.

Hinc : 1) qui prima vice pravum habitum confitetur, absolvi debet, licet nulla emendatio praecesserit, modo eam serio promittat : cum enim promissa non violaverit, sincerus est supponendus, ac credi potest et debet;

2) qui pravam consuetudinem iam saepius confessus est, sed de remediis adhibendis monitus non fuerat, absolvi potest, si melius instructus, iis uti

promittat. Quod enim media non adhibuerit, id ignorantiae potius quam malitiae est tribuendum;

3) qui monitus, media necessaria non sufficienter adhibuit et relapsus est, est recidivus, et ut talis tractandus.

B. *Recidivi materiales aut incontinentes, qui ex fragilitate et infirmitate voluntatis relabuntur, regulariter possunt absolvi, si serio emendationem proponant et sinceritatis suae dispositionis signa ordinaria praebeant.*

Etenim relapsi sunt vel quia insufficienter moniti, — vel post serium conatum emendationis ex maiori tentationis vehementia aut frequentia, aut voluntatis in perseverando inconstantia, — vel ex mera fragilitate ita ut peccatum iis habitualiter displiceat; qui proinde post lapsum statim detestantur peccatum, sed ex infirmitate voluntatis vel ex mobilitate et vehementia passionis iterum succumbunt. lamvero de horum dispositione *ordinario* non est dubium.

C. *Recidivi formales et intemperati regulariter non possunt absolvi, nisi specialibus signis ostendant se veram habere contritionem et firmum propositum.*

Tales recidivi sunt ex mala voluntate, qui obiecto peccati adhaerent et ex hoc affectu in nova peccata pelluntur, unde suspecti sunt de dispositione : Qui enim sincere et fortiter proponit rem sibi moraliter possibilem, in casu vitare peccatum et media adhibere necessaria, non tam facile nec tam subito mentem et voluntatem mutat, sed saltem per aliquod tempus perseverat ac media adhibet. Unde frequens relapsus ex prava voluntate, absque ullo fere conatu et ulla emendatione, prudentem generat suspicionem et fundatam praesumptionem non sincerum et efficax sed solum infirmum fuisse alicuius propositum, et etiam nunc ita esse si eodem modo ac antea sub communibus signis proponat.

Atqui haec praesumptio non destruitur simplici assertione quae non amplius meretur nisi parvam fidem; sed solum signis specialibus et extraordinariis.

Ergo talis poenitens suspectus manet de dispositione, ac proinde confessarius non potest sibi formare iudicium prudens de legitima eius dispositione.

Et ideo tales poenitentes habendi sunt ut dubie dispositi, et non possunt absolvi nisi a) specialem dispositionem aut extraordinaria signa dispositionis praebeant, quibus appareant moraliter certo dispositi, ita ut absolvi possint *absolute;* vel b) nisi ratio adsit proportionate gravis, sufficiens scii, ut possint absolvi *sub conditione,* quod verificatur in casibus in

tractatu de Poenitentia enumeratis, ubi de Officiis ministri.

Hinc falsa est tum sententia Laxistarum et aliquot modernorum dicentium eos ut dispositos haberi et absolvi posse cum signis ordinariis, nisi ex circumstantiis positiva simul adsint indicia indispositionis (ut apparet ex prop. 60 damn. ab. Inn. XI)[1]; tum sententia Rigoristarum qui dicebant non esse absolvendos nisi *diuturna* experientia emendationem probaverint.

V. Modus agendi in praxi. — Exinde constat quomodo procedendum sit *in praxi* :

1) Examinandus est recidivus, si numerum lapsuum notabiliter imminuerit, aut notabili tempore post confessionem abstinuerit, aut strenue pugnaverit etiamsi pluries quam antea lapsus fuerit : talis statim absolvi potest, quia serium adhibuit emendationis studium, cuius triplex est signum : a) adhibitio mediorum, b) rarior, difficilior aut tardior relapsus, c) perseverantia per aliquod tempus non omnino breve.

2) Deficiente serio conatu, quaerenda sunt signa specialia aut extraordinaria; quibus positis, statim absolvi potest recidivus. Signa autem extraordinaria non sunt necessario dispositiones extraordinariae, cum simplex attritio sufficiat, sed sufficientis attritionis signa magis probantia, magis clara, magis numerosa ac ea quae ab eodem poenitente antea data fuerant; unde consideranda sunt *relative* ad indolem poenitentis, ad naturam tentationum, et ad alias circumstantias.

Praecipua autem signa extraordinaria recenseri solent : a) *suspiria et lacrimae* effusae non ex motivo humano (v. g. ob damnum ex peccato secutum, quia puella ab amasio est derelicta, vir honorem aut famam perdidit), aut ob deiectionem vel mollitiem animi, aut ex intentione decipiendi confessarium, sed ex motivo supernatural! scii, propter offensam Dei et propriae animae ruinam; quibus proinde non semper fidendum, praesertim apud mulierculas, facile tamen apud virum fortem, b) *verba cordialia* et manifestantia cor compunctum et firmam voluntatem vitandi peccata; c) *spontanea confessio,* non ex mera consuetudine, parentum vel superiorum suasione, obligatione praecepti paschalis facta, sed ex interno gratiae Impulsu, praesertim quando notabiles superandae erant difficultates longioris itineris, magni conflictus, gravis damni subeundi aut lucri deperditi; d) *spontanea occasionis fuga.* v. g. reconciliationem quaerendo cum inimico, ablutum restituendo, concubinam dimittendo; e) *manifestatio firmae ac generosae voluntatis* factis exhibita, v. g. peccata antea celata manifestando, confessionem generalem instituendo, ad confessarium accedendo non obstante amicorum irrisione, etc.; f) *detes-*

1 « Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem ». In casu autem, nulla *apparet* spes emendationis.

tatio peccati statim post lapsum, quia tunc relapsus merae fragilitati tribui potest; g) *firmitas propositi,* quae emendatione sat diu protracta aut postulatione mediorum emendationis ultro facta se prodit; h) *insolitus metus incussus* ex aliquo eventu v. g. morte consanguinei vel amici, calamitate publica aut privata, timore imminentis mortis; i) *uberioris gratiae receptio,* v. g. occasione missionis vel spiritualium exercitiorum, etc., etc.

3) Deficientibus etiam signis extraordinariis, non statim dimittendus est poenitens, sed ad contritionem paterna ac ferventi exhortatione est disponendus, etiam remediis efficacioribus propositis. Quod opus facilius erit apud recidivum incontinentem qui ex ignorantia vel ex mera fragilitate, quam apud intemperatum qui ex affectu ad peccatum relapsus est. Nihilominus, si post exhortationem signa extraordinaria praebeat mutatae voluntatis et remedia adhibere efficaciora promittat, potest absolvi.

4) Si post ferventem exhortationem, recidivus dubie dispositus maneat, potest absolvi sub conditione (si es capax) si specialis et gravis urgeat necessitas, scii, periculum mortis, matrimonium hic et nunc contrahendum, difficultas redeundi (nisi restitutio facienda sit aut occasio auferenda), periculum infamiae, periculum valde fundatum alienationis a sacramento seu eius derelictionis (i. e. quod poenitens non redeat), aut imperfectus usus rationis; — secus differenda est absolutio, quia dilatio necessaria est ad explorandum firmum propositum poenitentis, et sacramentum non potest exponi periculo nullitatis sine urgente necessitate.

5) Denique si moraliter certo constet recidivum indispositum manere, sine absolutione est dimittendus. Quod tamen fiat a) ad breve tempus v. g. 8 vel 15 dies, non longius ne in desperationem veniat et saepius peccet; b) humanissimis, non durioribus verbis, ne poenitens confessioni valedicat; c) exponendo rationem cur absolutio differatur, ut sic intelligat poenitens confessarium ita agere non ex odio, aut ira, sed ex paterna sollicitudine, et quasi invitum, quia id exigit suum officium; d) media assignando quae adhiberi debeant ad meliorem dispositionem obtinendam, ut ita poenitens sciat quid agendum sit ut absolutionem obtinere possit : dilatio enim per se non valet mutare mentem, nisi simul ei praescribantur opportuna remedia.

VI. Animadversiones.

1) In praedictis casibus confessarius non sit nimis rigidus ne poenitentes in desperationem iniiciat, nec nimis benignus ne négligentes in sordibus maneant.

2) Confessarius rectum de recidivo iudicium sibi formare *debet.* Quod praestabit inquirendo num a confessario iam admonitus fuerit et quaenam remedia ei assignata fuerint; an illis usus sit; an toties quam antea relapsus sit, num paulo post confessionem, an post luctam et praestitam saepius resistentiam; quandonam ultimum peccaverit. Deinde inspiciat quales sint actuales poenitentis dispositiones. Eiusmodi enim interrogatio sicut in cura corporalium, ita in spiritualium morborum medela *fundamentalis* est. Ita Aertnijs, Theol. Mor., T. II, n. 314, Q. 2.

3) Dilatio absolutionis cum apta monitione confessarii, praesertim iunioribus poenitentibus leviores indolis sed pie educatis, optimum est medium ad inculcandam maiorem peccati detestationem et ad firmandam eorum debilem voluntatem. Contra, nostris temporibus, praesertim in civitatibus, ubi fides languet, dilatio absolutionis non semper multum prodest, imo quosdam peccatores potius reddit offensos atque indignatos magisque indurat; quod si *prudenter* id timeat confessarius, eo indulgentius poenitentem conetur disponere et absolvat saltem sub condiditione. Ita Noldin, Theol. Mor., T. III. n. 411. Male tamen haec verba interpretaretur qui concluderet ita semper esse agendum et absolutionem nunquam differendam.

4) In praxi quoad illos qui paschali *solum* tempore accedunt, confessarius non longius inquirat quo gradu et a quot annis recidivi existant, sed eorum consuetudine in quam reincidunt cognita, omni potius cura disponat istos secundum audita in praesenti confessione, meliora adhibens media emendationis, praesertim ut frequentius ad sacramenta accedant, et, nisi ex hac ipsa confessione suspicio specialis oriatur, de annis praecedentibus non inquirat. Ita *Theol. Mechl..* de Poen., n. 87. Quod iterum, non semper sed generatim valet et in pluribus.

5) Quoad recidivos in peccata venialia, distinguendi sunt illi qui ex fragilitate et illi qui ex deliberata voluntate labuntur. Priores sunt absolvendi; opportunum tamen erit ut accusent aliquod peccatum vitae praeteritae, aut specialiter aliquod genus detestentur venialium in quae cadere solent, et ut proponant leviorem quamdam poenitentiam vespere sibi imponere quoties adverterint se in ea esse relapsos. — Quoad alteros, maiori prudentia opus erit, praesertim si nulla peccata vitae anteactae accusent : facile enim fiet ut illi qui venialia plene deliberata committere solent, de his non habeant sufficientem contritionem aut firmum propositum, ad quae confessarii est eos disponere, magnam peccati venialis malitiam instanter praedicando. (Reuter, o. c., n. 187.)

Ad quod motiva proponi possunt sequentia : a) veniale esse malum maius omni malo; b) Deum illud gravissime punire; c) animam cum peccato veniali non posse intrare coelum; d) illud disponere ad mortale peccatum; e) esse abusum auxilii divinae omnipotentiae et propriae facultatis atque creaturarum; f) quibus addi potest similitudo filii qui nollet ita offendere patrem ut mereretur haereditate privari aut e domo paterna eiici, et tamen multis levibus cum offendit,

VII. Corollaria ex Mare, *Theol. Mor.,* T. II. n. 1830 :

1) Recidivus *prima vice* rediens facilius absolvi potest quam secunda aut tertia vice (quia minora signa requiruntur).

2) Facilius absolvi possunt *incontinentes* (ex passione) quam *intemperati* (ex habitu), quia in illis praecipue inve-

niuntur signa sufficientia, imo extraordinaria, in hisce paucies.

3) Recidivus *formalis,* nisi certo indispositus, *sub conditione* absolvi potest *in iis tantum casibus* (sex) in quibus potest absolvi dubie dispositus.

VIII. Casus. — 1) Primus et quasi classicus est de absolutione clerico deneganda, seu *de clerico in peccati turpi habituato,* ad ordines sacros promovendo.

Praeter negativam sanctitatem seu a peccato immunitatem statumque gratiae, ab ordinando requiritur sanctitas positiva, castis moribus conspicua, quae in continentiae perfectae observantia relucet. Ita vult Coae. Trid. ut illi tantum ordinantur quorum *probata vita senectus est, qui sperant, Deo auctore, se continere posse* (sess. 23, c. 12 et 13), imo presbyterandi sint *ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari* (c. 14). Praeiverat Innocentius III (decr. *a multis,* 9) : « Nemo ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo aut probatae castitatis existât ». lamvero de clerico in peccato turpi habituato, et nondum habitu extirpato, dici nequit vitam eius esse *probatam,* vel probatam esse *senectutem,* aut *spem* effulgere quod castus et *continens futurus sit.* Unde huiusmodi clerico, nondum emendato, permitti prudenter nequit accessus ad ordines sacros, sed omnino est dilatio imponenda.

Hinc patet a) habituatum in peccato turpi, qui cum sinceri doloris et propositi indubiis signis absolvi potest, absolvi amplius non posse si velit ad sacros ordines temerarie ascendere : cum enim probatae continentiae nondum existât, obligatur ad praebendum prius serium continentiae experimentum, et si id non velit, non habet propositum omnia implendi gravia praecepta et vitandi omnia mortalia peccata;

b) nec ad huiusmodi experimentum supplendum *ordinario* sufficere extraordinariam compunctionis gratiam et ferventioris poenitentiae signa : tales conversiones extraordinariae sunt rarae et vix cum certitudine dignosci possunt e signis externis; unde confessarius talem exceptionem aegre potest admittere, et in dubio stare debet regulae generali et seriam exigere castitatis probationem;

c) imprudenter agere confessarios qui, contra ordinarii confessarii sententiam, tali clerico exceptionaliter (v. g. occasione exercitiorum spiritualium) ad eos accedenti, etiam in lacrimas effuso, absolutionem et ascensum ad Ordines concedunt : signa extraordinaria sufficere possunt ab probandas praesentes dispositiones, at suspecta sunt relate ad futuram castitatis probationem;

d) nec ob infamiam vitandam, aut aliquid peius timendum aliter fieri posse. Infamia revera non adest, cum semper possit aliquo saltem praetextu, ut maturioris cogitationis, vera causa celari; et ceteroquin secundum ordinem charitatis bona animae ac salutis aeternae magis sunt amanda quam bona famae et honoris. Nec aliquid peius timeri potest, cum nihil peius timendum in Ecclesia quam scandalum indigni sacerdotis.

Itaque, quamvis non possit exigi certitudo praedictum poenitentem non esse relapsurum, cum peccare possimus omnes; oportet nihilominus verisimile sit et fundata spes adsit eum non esse relapsurum, a. v. quod moribus suis sufficienter probaverit se posse continentiam servare in perpetuum.

De quo casu utiliter videri possunt S. Alphonsus (in celebri sua dissertatione inserta Theol. Mor. l. VI, n. 63) eiusque discipuli, ac recenter *Revue Eccl. de Liège,* t. VIII, sept. 1912, p. 125.

2) Alter casus *de ebrioso* ita solvitur a Noldin, Theol. Mor. III, n. 411 :

« Recidivi in ebrietate et qua tales publice noti, qui singulis fere hebdomadis vel saepius adhuc se inebriant, non omnino a sacramentis repellendi, sed ordinarie nec statim ad illa admittendi sunt. Non *primum,* quia de nullius hominis emendatione desperandum est; non *alterum,* imprimis quia absolvi nequit, qui post breve tempus propositum violaturus praevidetur nisi urgeat necessitas : etenim timendum esset scandalum si statim post suscepta sacramenta relaberetur; deinde quia publicum scandalum antea reparari debet. Itaque eiusmodi poenitenti differanda est absolutio, donec aliquatenus saltem se emendaverit. Quin etiam in casu quo ob extraordinarium signum poenitentiae statim absolutus fuisset, praestat eum non statim ad s. communionem admittere, tum ut publicum scandalum reali emendatione interim reparetur, tum ut scandalum ex relapsu forte oriturum praecaveatur ».

QUAESTIO QUINTA

De Occasionariis

I. Occasio peccati est circumstantia rei vel personae externa facilitatem praebens peccandi et ita ad peccatum invitans; quae constituit in periculo peccandi[1]. Unde distinguitur a) a principiis internis quae ad peccatum inclinant, uti sunt complexio corporis, passiones, concupiscentia, et habitus mali; b) a periculo peccandi quod tum internum tum externum esse potest et latius patet : est scii, impulsio ad peccandum quae, si a persona vel a re externa proveniat, occasio vocatur, si ab intrinseco est, simplex periculum dicitur; ita ut omnis occasio sit periculum, sed non omne periculum sit occasio. Haec ergo constituitur simul ex duobus : 1) ex parte obiecti externi, ab impulsu et opportunitate ad peccatum alliciente,

1 De occasionariis conferri possunt S. AlphonBus, *Theol. Mor.,* l. VI, n. 452-458; ct *Praxis conf.,* n. 63-69; Billuart, *de Poen.,* diss. 6, a. 10, § 5; Reuter, *o. c.,* n. 168-174; Berardi, opusc. *de Recidivis et Occasionariis;* Marc, *o. c.,* n. 1819-1831; AertnijB, *Th. M.,* II, n. 299-309; Theol. Mechi.., *de Poen.* (4), n. 81-84; Ballerini, *de Poen.,* n. 167-203; Lehmkuhl. *Th. M.,* II. n. 617-628; Tanquery, *o. c.,* n. 524-536; Noldin, *Th. M.,* Ill, n. 401-409; Genicot, *Th. M.,* II, n. 369-374; Prümmer, *Th. M.,* Ill, n. 449-451; Ter Haar, *de Occasionariis ct Recidivis.*

2) ex parte subiecti, a propensione seu interna inclinatione ad peccandum.

II. Dividitur occasio : A. *Ratione influxus,* est *remota* vel *proxima,* prout solum quamdam alliciendi ad peccatum habet vim, vel etiam magnam, seu prout leve constituit periculum peccandi, vel grave ita ut qui se exponit, si non saepius, saltem frequenter vel pluries sit peccaturus. — Gravitas periculi triplici modo a confessario dignosci potest :

1) *experientia* poenitentis seu frequentia relapsus, si quis in iisdem circumstantiis antea positus plerumque vel saltem frequenter peccavit, v. g. si decies per mensem peccaverit cum ancilla, aut etiam si raro personam visitet et singulis vicibus cum ea peccet;

2) *ex communiter contingentibus,* deficiente scii, experientia, cum alia specialia indicia ex eius poenitentis persona haberi nequeant; tunc enim applicanda est regula : quod aliis in iisdem adiunctis communiter est occasio peccati, id praesumitur etiam huic usquedum probetur contrarium, v. g. si iuvenis ad libidinem pronus ingreditur lupanar, si iunior puella, animo levis et voluntate infirma, sola cum vivide sollicitante hero diu cohabitat;

3) *ex circumstantiis et indole poenitentis,* maxime ex nota eius fragilitate, quamvis ipse in occasione raro fuerit, aut in ea semel fuerit et non peccaverit.

Cum autem periculum plus minusve grave et certum esse possit, regulae pro diverso casu strictius vel mitius erunt ap plicandae.

B. *Ratione personae,* est *absoluta* et secundum se, vel *relativa* et per accidens, prout, attenta hominum fragilitate, periculum pro omnibus constituit, — vel solum pro determinata persona, ratione propriae fragilitatis et particularis dispositionis. Proxima per se est illa in qua homines communiter ut plurimum peccant; proxima per accidens quae, licet respectu aliorum generatim non sit, respectu alicuius personae tamen est proxima quia in ea frequenter cecidit, vel quia prudenter timetur ipsius lapsus.

Occasio proxima absoluta est lectio libri valde obsceni, concubinatus, cubatio cum persona alterius sexus, aspectus fixus rei valde obscenae, theatrum vel cinematographum valde turpe, lectio assidua folii vel periodici valde antireligiosi, liber ex professo fidem impugnans, adscriptio sectae mas-

sonicae — e contra ingressus in cauponam est relativa pro ebrioso, mercatura pro iniusto, conversatio cum femina pro libidinoso, diuturnum colloquium cum puella venusta pro iuvene impuro, choreae pro iuvene fragili, officium chirurgi vel confessarii ratione specialis debilitatis, etc. Hinc non solum occasio absolute levis potest esse relative gravis, sed et occasio absolute gravis potest esse relative levis alicui si parum movetur ratione specialis circumstantiae, frigiditatis, assuefactionis, pietatis, vel si specialiter cautelis se munierit et efficaci praesidio.

C. *Ratione ducationis,* est *continua* seu in esse, quae praesens est et semper vel habitualiter hominem comitatur (continue praesens quin quaeratur), v. g. boni alieni detentio aut beneficii simoniace accepti, libri pravi vel picturae obscenae retentio aut instrumenti ad peccandum, folium quotidianum antireligiosum, concubina vel habitatio cum ancilla quacum peccare soles, frequentatio assidua personae ad domum tuam, officium vel negotium quod saepe est causa peccandi, etc.; — et *interrupta* seu in fieri (non in esse), quae absens est, et per intervalla solum occurrit aut quaeritur, v. g. ingressus in lupanar, in cauponam pro ebrio, accessus ad convivium, pravum consortium, conversatio cum amasia quae non sub eodem tecto versatur, lusus pro eo qui ludendo solet blasphemare, frequentatio puellae, popinae, chorearum, etc.

D. *Ex parte causae,* occasio est vel *voluntaria* vel necessaria, prout facile absque gravi incommodo vitari potest, — vel removeri nequit aut physice aut moraliter : *physice,* si nullo modo dimitti possit ut si quis sit in carcere vel navi cum occasione peccandi, aut in mortis articulo nec habet tempus eam eiicendi; — *moraliter,* si occasio dimitti nequeat sine peccato, vel gravi scandalo, vel gravi periculo incidendi in malum aequale aut peius (ut si famulus iracundus rixetur cum sociis pacificis quales in alio famulatu vix inveniret), vel magno detrimento bonorum vitae, famae, aut fortunae (etiam pro divite), ut est amissio officii (v. g. medici, advocati), muneris, status, fortunae : ita v. g. maritus respectu uxoris, filius- vel filiafamilias quae domi habet occasionem, parentes quibus proles occasionem praebet irae, alumnus qui non potest deserere scholam vel collegium, officium medici, mercatoris, militiae, conversatio puellae ad matrimonium ineundum. etc.

III. Praecipuae occasiones peccati recenseri possunt sequentes, cum Tanquerey, *de Poen.* n. 527 :

a) *Contra fidem* : lectio ephemeridum, periodicorum vel librorum acatholicorum; — intimior ac frequentior cum acatholicis consuetudo; — scholarum ac collegiorum frequentatio, in quibus nulla vel falsa religio docetur; — famulatus apud haereticos vel irreligiosos heros; — assistentia concionibus acatholicis; — matrimonia mixta, etc.

b) *Contra castitatem* : concubinatus; — cohabitatio personarum diversi sexus quae legitimo matrimonio non iunguntur; — cum pravis sociis colloquia; — quaedam choreae quae propter personas, saltationis genus, circumstantias loci ac temporis sunt magis periculosae; — theatrorum frequentatio, eorum praesertim quae tum rebus exhibitis tum choreis scenicis *(ballets)* libidinem incendunt; — lectio librorum obscenorum vel eroticorum; — retentio statuarum, imaginum et photographiarum, quae hodie apud iuvenes facile mores corrumpunt; — quidam ludi minus honesti inter personas diversi sexus; — frequentiores ac protractae visitationes adamantium, praesertim quando solus cum sola per longas horas manent, ut saepius fit in quibusdam regionibus, cum magno animarum detrimento; — pericula domestica, quae sive ex familiae membris, sive ex famulis aut ex heris oriuntur; — quaedam artes quae periculosae sunt propter prava colloquia vel intimiores relationes inter personas diversi sexus *(poseuse, actrice),* etc.

c) *Contra temperantiam* ; cauponae et popinae; — frequentatio eorum qui ebrietati indulgent, praesertim sabbato aliisve diebus quibus operarii salarium accipere solent; — quaedam festivitates, sive religiosae sive civiles: — quandoque convivia nuptialia, et in quibusdam regionibus vigiliae apud mortuorum corpora; — potatio ad aequales haustus, etc.

d) *Contra iustitiam* : quaedam officia publica et politica, quae facile medium iniuste ditescendi praebent; — quaedam mercaturae, ac Bursae speculationes, quae a fraude non sunt immunes, etc.

IV. *Principium :* Gravis ex natura sua adest obligatio unicuique, quantum in se est, removendi occasionem proximam peccati.

Probatur : Qui scienter et volenter sine ratione sufficienti versatur in occasione proxima, libere vult occasionem in qua verisimiliter peccabit, ac eo ipso peccatum implicite vult (et ita peccat et absolutione est indignus); non enim habet efficacem voluntatem seu propositum non amplius peccandi, sed eo quod non vitat grave periculum, cum possit, convincitur amare peccatum cuius periculum amat. — Vel, *e contra :* qui absolute debet velle finem, debet et velle media ad illum moraliter necessaria : non quidem dubia sed certa vel certiora; ergo homo, qui absolute debet velle vitare peccatum, tenetur quoque vitare grave eius periculum seu occasionem removere proximam, quod est medium ad id moraliter necessarium atque certius.

Unde a) *monet Scriptura,* Eccl. Ill, 27 : « Qui amat periculum, in illo peribit » i. e. qui scienter et sine necessitate se exponit periculo peccandi. non potest sperare se non esse peccaturum. Et Mt. V. 29 : « Si oculus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te... et si dextra manus scandalizat te, abscide eam et proiice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus eat in gehennam ».

b) Ecclesia damnavit doctrinam oppositam, quae reprobata fuit ab Innoc. XI, prop. 61, 62 et 63, et ab Alex. VII, prop. 41.

Hinc qui est in occasione peccandi proxima, sub gravi tenetur removere vel *physice* obiectum externum ad peccatum mortale alliciens, vel, si id fieri non possit, saltem *moraliter,* opportunis scii, remediis quibus proclivitas ad malum sanetur, secus absolutionis est incapax, quia obligationem gravem implere non vult et caret proposito non peccandi de cetero. Ac peccatum commitit eiusdem speciei ac illud cui se exponere novit, et tanto gravius quanto istud sit gravius et proximius eius periculum.

V. Opinio non probanda. — Pauci auctores occasionem proximam deserendam, solam dixerunt illam quae constituit periculum probabilius vel moraliter certum peccandi, seu in quo homines frequentius vel fere certo peccant. Quod evidenter demonstratur argumento supra allato. At non apparet, aiunt, cur graviter saltem peccet qui habet etiam solidam rationem existimandi se in hac occasione quam adit, non esse graviter peccaturum : non enim iste eligit rem quae morali necessitate peccatum secum trahat. Ita v. g. Génicot[1] (Th. M. II, η. 372), post Ballerini (de Pecc. η. 343 sq.) et Noldin (Th. M. Ill, n. 413).

Falso tamen. Etenim 1) quando agitur non de sola liceitate et illiceitate agendi, sed de fine absolute obtinendo, non possumus partem eligere mere probabilem, imo nec probabiliorem minus tutam, sed faciendum est id quod est tutius, lamvero vitare *formale* peccatum est finis absolute attingendus. Ergo non possumus nos exponere periculo gravi etiam mere probabili peccandi mortaliter, sed debemus facere tutius et deserere occasionem quae probabile periculum includit. Periculum peccati *formulis* ante omnia absolute est fugiendum.

2) Qui se exponit probabili periculo peccandi, etsi in singulis actibus forsan tantum, aliquando tamen verisimiliter, imo

1 Videntur isti confundere et definitionem, quae solet tradi occasionis proximae absolutae, applicare occasioni proximae relativae. In novissima editione operis Génicot, id iam ab editore fuit mutatum.

certo, cadet, quod est absoluta necessitate vitandum; et ideo quoties se exponit illi probabili periculo, toties contra finem obtinendum delinquit quia singulis vicibus temere se exponit gravi periculo peccandi. Hoc autem est peccatum ex genere suo grave; unde mortaliter peccat.

3) Qui sine ratione se exponit periculo mere probabili mortis corporalis graviter peccat, ita qui se exponit periculo mere probabili mortis animae seu peccati mortalis. Nec potest speciale gratiae auxilium expectare quo indigeret ad superandum periculum cui temere se exponit.

Hinc ad occasionem proximam non requiritur frequentia lapsuum absoluta seu numerus in se notabilis, sed sufficit relativa pro numero vicium quibus quis occasioni fuerit expositus, e. g. si in 12 visitationibus quis soleat peccare sexies vel quinquies, item si quis puellam visitans quotidie, decies peccet in mense, vel si singulis dominicis conveniant, duodecies in anno vel aliquanto plus labantur; item si per biennium ter quaterve dumtaxat in anno feminam quis inviseret et cum ea fere semper peccaret, imo si per triennium semel tantum in anno visitaret et toties peccaret.

VI. Regulae practicae. — Ex praedictis statui possunt *tres regulae practicae :*

A. *Qui versatur in occasione proxima voluntaria et continua, regulariter non potest absolvi nisi prius occasionem proponat removere ac etiam removeat.*

Cum enim ablatio occasionis ordinarie sit ardua, adest proximum periculum infringendi propositum, et ideo si occasio non auferatur ante absolutionem, poenitens de facile se decipiet (falso suadendo se esse tentationibus restiturum), ita ut propositum inefficax reddatur et occasio non removeatui. Unde poenitens qui id advertens huic periculo se exponeret, esset saltem suspectus de dispositione, de qua proinde saepius certitudo moralis haberi non posset : cur enim iste confessionem instituit, si non removet occasionem? Et tunc confessarius qui tali periculo illum exponeret, peccaret contra suum officium medici.

Excipe si, deficiente scandalo publico, 1) poenitens ex ignorantia vel animi levitate non sit conscius se in occasione proxima versari aut gravem esse obligationem illam removendi, et confessarius praevideat monitionem fore inutilem vel nocivam : tunc provisorie relinquendus est in bona fide, et paulatim instruendus de occasione fugienda, quod melius intelliget si experientia propriae fragilitatis noverit se frequenter propter illam peccare;

2) vel occasio de facili possit dimitti v. g. liber pravus, res detenta alterius dum restitutio spontanee promittatur;

i) vel poenitens signa extraordinaria doloris et propositi manifestet,

v. g. iam nuntium miserit ancillae de relinquenda domo, aut novam ancillam conduxerit;

4) vel gravis causa urgeat, ita ut praevia remotio occasionis magis noceat, v. g. instans periculum mortis, magna difficultas redeundi per longum tempus et accedendi ad alium confessarium, ut facile fit si poenitens veniat e loco dissito, periculum infamiae vel scandali ut facile fit si sacramentum sit recipiendum, periculum damni spiritualis v. g. alienationis a sacramento.

In his ultimis casibus admonendus est poenitens se non amplius obtenturum absolutionem nisi promissis steterit; quod si inutiliter admonitus fuerit, ut recidivus est habendus.

B. *Qui versatur in occasione proxima voluntaria et interrupta,* v. g. frequentando ludos, popinas, pravas societates, *potest aliquot vicibus absolvi, dummodo ab ea cavere firmiter proponat; — quod si pluries promiserit, et emendatio nulla appareat, ut recidivus est habendus et tractandus, et generatim, nisi forsan signa extraordinaria dispositionis praebeat, differenda est absolutio, donec occasionem reapse dereliquerit.*

Censetur enim dispositus, et ideo est absolvendus, nisi adsint signa contrarii, ut facile fit si pluries promiserit et iam habituatus sit, aut nisi melius sit remittere, ipso consentiente, ut promptius et firmius occasionem removeat.

C. *Qui versatur in occasione proxima necessaria, regulariter absolvi potest dummodo vere dispositus sit remediis opportunis et efficacibus occasionem reddere remotam.*

Ex una parte enim occasio non est peccatum neque inducit peccandi necessitatem, sed potest superari, quamvis difficulter. praesertim cum gratia Dei; ex alia parte ad impossibile nemo tenetur, et ideo qui est in occasione necessaria, potius invitus subit periculum quam illud amet et quaerat et occasioni se exponat. Unde, si media opportuna adhibet, et gratiam victoriae humiliter petit, eam sperare potest a Deo « qui non patietur vos tentari supra id quod potestis » (I Cor. X. 13).

Hinc : 1) *AI.solvi potest* dummodo a) occasio *in se* mala non sit, b) iusta adsit causa qualis est impotentia physica, vel peccatum alias committendum, vel periculum peccati aequalis aut maioris, vel bonum spirituale sui vel proximi, vel magna iactura bonorum temporalium (vitae, famae, fortunae); c) spes sit boni eventus, scii, tentationis superandae; et d) paratus sit poenitens media adhibere sufficientia.

2) *E contra* qui post plures monitiones semper eodem modo relabitur, etiam mediis adhibitis, ita ut nulla sit emendatio nec probabilis spes emendationis, ut recidivus est tractandus et *non potest absolvi;* — nisi forte signa extraordinaria praebeat vel et nova media specialia adhibere paratus sit, aut occasionem, si physice amoveri possit, prius deserat,

secundum Mt. V, 29 et XVI, 26 et XVIII, 9 : secus enim moraliter certo est peccaturus. Quoties enim aliquis in quadam occasione moraliter certo peccaturus est, tenetur illam fugere etiam cum periculo vitae.

Et quamvis Ballerini neget suppositum, dicendo ex adhibitis mediis necessario sequi emendationem, et ex absentia emendationis tantum concludi posse media fuisse insufficientia vel neglecta; id tamen, quamvis *raro* contingat, non est impossibile, imo *aliquando* dantur qui *serio* mediis non utantur nisi absolutio differatur usquedum maiora signa extraordinaria praebeant aut occasionem dimittant. Talis scii, aut emendatus redire, aut occasionem amovere debet priusquam absolvatur.

VII. Media contra occasiones proximas adhibenda. — Praecipua *media* quibus occasio necessaria e proxima moraliter remota fieri potest triplicis sunt generis :

1) Alia *vim occasionis minuunt,* uti sunt verba serio et firmiter complici dicta ad exprimendum horrorem peccati patrati; hiatus oris ad clamandum; relatio rei alicui facta qui potest remedium apponere (v. g. superiori, parentibus, hero), vel huius relationis comminatio; vitatio omnis familiaritatis aut solitariae conversationis cum complice; imo eius aspectum fugere, de eo nec loqui nec cogitare in quantum fieri potest; — si aliquae circumstantiae occasionem generent, v. g. vespertina confabulatio cum ancilla, conversatio in secreto cum persona cohabitante, sedulo tollendae sunt; pariter si periculum oriatur ex eo quod complex cubiculum ingrediatur, ianua claudatur et obseretur; si periculum sit ex potatione in taberna, ibi nil bibere omnino statuatur, etc.

2) Alia *vim concupiscentiae minuunt,* nullum ei fomentum praebendo per otium, libertatem sensuum, pravas cogitationes, lectiones, intemperantiam, etc. v. g. labor assiduus, ut sic vitentur mala quae docet otiositas; — modestia sensuum, praesertim oculorum; mortificatio curiositatis ac aliarum passionum qua inclinationibus licitis resistere solitus illicitis facilius quis resistat; pravae cogitationis, praesertim de persona amata, sedula vitatio; periculosae lectionis fuga; ab excessiva potatione abstinentia; moderata corporalis ad concupiscentiae frenum exercitatio, etc.

3) Alia *vires spirituales augent* : quolibet mane et vespere necnon urgente tentatione ferventer orare; quotidie ante imaginem crucifixi renovare propositum non amplius peccandi; ad B. V. frequenter recurrere; de novissimis saepe cogitare, vel ante somnum sibi dicere : si ita vivere pergam, aeternis devovebor suppliciis; pios libros legere; pias aspirationes recitare et in conspectu Dei ambulare; eleemosynas dare, sacramenta assidue recipere, et post lapsum statim confessarium adire, etc

Quae media non omnia simul adhibenda sunt, sed modo haec, modo illa, secundum personae indolem, occasionis naturam aliasque circumstantias.

VIII. Applicationes. — Ex dictis deducit Marc sequentes conclusiones (Th. M. II, n. 1825) :

1) Mulier debet malle prae penuria perire, quam frequentare domum, ubi donatur muneribus, quae iam transierunt, vel probabiliter tnox transitura sunt in stipendium meretricium.

[1] Cfr. Aertnijs, *Th. M.,* II, n. 308; Tanquerey, *o. c.*. n. 535.

2) Poenitens debet deserere confessarium, licet utilem, si soleat ex eius colloquio consentire in delectationem impuram.

3) Homo, a multo tempore furax, debet dimittere officium quod eum ad furandum impellit.

4) Gulosus debet vitare convivia; ebriosus tabernas; libidinosus familiaria et privata colloquia cum feminis, etc., etsi iustam ita colloquendi causam sibi habere videatur.

5) Adolescens et puella, intuitu matrimonii sese frequentantes, non sunt absolvendi nisi occasio e proxima fiat aut fieri possit remota, per media a confessario praescribenda.

6) Non est absolvendus (saltem saepius) filiusfamilias peccans cum ancilla, quae secum in domo paterna habitat, nisi praescriptis a confessario remediis diligenter utatur, atque ita occasionem vere removeat.

QUAESTIO SEXTA

De Pœnitentibus qui ad novam aut generalem confessionem sunt obligandi aut inducendi

I. Confessio defectuosa alia est *incompleta,* alia *invalida* : *incompleta* cui deest integritas materialis, quando aliquod peccatum mortale ex causa legitima, aut saltem absque gravi culpa, omissum fuit, uti fieri potest ex ignorantia aut ex oblivione; — *invalida* cui deest una ex essentialibus conditionibus ad eius valorem necessariis, sive poenitens non fuerit conscius huius essentialis defectus, et tunc confessio est *simpliciter invalida,* sive huius fuerit conscius, et tunc confessio est etiam *sacrilega*

Cum autem ex praecepto Christi omnia peccata mortalia clavibus Ecclesiae sint subiicienda ut vi absolutionis *directe absolvantur,* hinc :

[1] De confessione repetenda sicut de confessione generali conferri possunt: S. Alphonsiu, *Th. M.,* l. VI, η. 498-505; Reuter, *o. c.,* η. 189-191 ; Marc, *Th. M.,* II, 11. 1706-1713; Aertnijs, *Th. M.,* II, η. 201-203; *Th. P.,* η. 245 sq.; Gury-Ballerini, *Th. M.,* II, n. 511-520; Ballerini, *de Poen.,* n. 460 sq. ; Theol. Mechi.., *de Poen.* (4), n. 49-50; Haine, *Th. M.,* III, q .57-59; Lehmkuhi., *Th. M.,* II, n. 451-456; Genicot, *Th. M.,* II, n. 305-310; Noldin, *Th. M.,* III, n. 290-291 ; 437 sq. ; Prümmer, *Th. M.,* III, n. 386-390; Berardi, *Praxis Conf.,* n. 1131 ; Fraissinetti, *Th. M.,* diss. 12.

a) confessio certo *incompleta* est *complenda* ut peccatum oblitum *nova absolutione* directe remittatur, et secus confessio subsequens non erit integra;

b) confessio moraliter certo *invalida* aut sacrilega per *se* est *repetenda* ut peccata iterum subiiciantur potestati clavium, etiam si interea fuerint aliter remissa, v. g. vi contritionis perfectae.

Dicimus : 1) confessio *certo* invalida, quia in dubio per se consulenda est, sed non stricte imponenda confessionis iteratio : in dubio enim standum est pro valore actus et lex dubia non obligat;

2) *moraliter certo,* quia in moralibus non requiritur certitudo absoluta sed sufficit certitudo late dicta quae reddit moraliter certos;

3) *per se* repeti debet : si poenitens enim sit in bona fide (ut facile occurrit quando confessio fuit simpliciter invalida) et pravideatur non facile convincendus et confessionem non iteraturus, quamvis ad hoc valde sit invitandus, de invaliditate non erit monendus saltem hic et nunc, ad vitandum nempe maius malum [1] : sic enim ex una parte vitatur peccatum formale, et ex alia parte peccata nondum valide accusata indirecte remittentur per absolutionem quam bona fide accipit.

II. Confessio invalida esse potest tum ex parte confessarii, tum ex parte poenitentis :

A. Ex parte *confessarii :* 1) si potestate ordinis careat vei iurisdictionis, vel 2) formam sacramenti omittat aut substantialiter mutet, vel 3) intentionem absolvendi non habeat, vel 4) *nullum* peccatum audiverit, aut intellexerit ob surditatem, somnium, ebrietatem, distractionem vel aliam rationem huiusmodi, ita ut non habeatur materia a qua absolvat. — Quos defectus poenitens non potest nec tenetur corrigere nisi quatenus sibi sint noti.

B. Ex parte *poenitentis,* non solum si sit mere incapax v. g. si non sit baptizatus aut non habeat intentionem suscipiendi sacramentum; sed etiam si sit indispositus vel 1) defectu *contritionis* aut propositi, ut in illo qui ex *mero* respectu humano et absque ulla intentione mutandi vitam ad confessionem accesserit; ad quod reducitur defectus in cognitione veritatum de necessitate medii cognoscendarum, qui defectus reddit contritionem supernaturalem impossibilem; vel 2) defectu *examinis,* si in mortalibus investigandis

1 Imo ingeniosus confessarius aliquando quaestionibus supplere poterit et poenitentem ita examinare ut iste vel nesciens generalem confessionem peragat, v. g. quaerendo quanto tempore consueverit peccare, committere peccatum confessum, quoties in anno, an ea confessus fuerit, an alia graviora commiserit, etc.

negligentia eius adfuerit graviter culpabilis; aut 3) defectu *sinceritatis,* si scienter et volenter aliquod peccatum grave reticuerit vel in materia gravi confessionis mentitus fuerit, vel excommunicatus mala fide ad confessionem accedat. — Qui defectus facile oritur ex verecundia poenitentis et ex festinatione aut rigore confessarii, vel et ex consuetudine excusandi poenitentes.

III. Quomodo iteranda est confessio. — In modo iterandi confessionem est distinguendum.

A. Vel *apud alium confessarium* iteratur qui nihil novit, qui proinde omnia peccata distincte in particulari sunt declaranda et tota confessio ex integro est repetenda :

a) Si fuerit *sacrilega,* accusanda veniunt 1) sacrilegium in priori confessione voluntarie commissum, 2) peccata mortalia in illa confessione declarata, et 3) omnia peccata invalide declarata necnon varia sacrilegia commissa in subsequentibus confessionibus quae interim fuerint institutae cum memoria sacrilegii praecedentis, ita ut exinde fuerint invalidae et sacrilegae; e contra si immemor sacrilegii poenitens interim confessiones instituerit, quia hae sunt validae. « Tenetur, ait Billuart. De Poenit. diss. 7, a. 2 § 5, repetere illam primam confessionem cum accusatione sui sacrilegii, et etiam sequentes, si quas fecerit cum memoria huius peccati non confessi, quia non fuerunt validae defectu integritatis; alias quas bona fide fecerit sine memoria huius peccati non tenetur repetere quia fuerunt integrae formaliter, et ut supponitur aha necessaria adhibuit ».

b) Si vero confessio *tantum invalida* fuerit, non sacrilega, illa sola confessio repeti debet quando talis defectus agnoscitur; non autem subséquentes, quia validae fuerunt.

B. Vel *apud eumdem confessarium* instituitur qui iam singula peccata audivit et de iis iudicavit :

a) Si eorum *recordetur* saltem in confuso aut et status poenitentis, et

1) confessio fuerit *sacrilega,* sufficit se accusare, distincte in particulari de sacrilegio et de peccatis omissis (si quae fuerint), ac generali modo de omnibus aliis antea in tali vel tali confessione declaratis;

2) si autem confessio fuerit *simpliciter invalida,* sufficit generali modo se accusare, ut dictum est. Ex una enim parte

peccata fuerunt subiecta clavibus et confessiones fuerunt sacramentales; ex alia parte confessarius in confuso recordatur peccatorum, quod sufficit ad iudicium ferendum.

b) Si confessarius non *meminerit* statûs poenitentis, nec requiritur confessio omnino distincta, sed talis sufficit qua confessarius in confessione recordetur statûs poenitentis vel confusam de eius conscientia notitiam réassumât aut istam interrogationibus acquirere possit. Ad istam autem notitiam sicut et ad iudicium de statu poenitentis conferre et aliquando sufficere potest cognitio poenitentiae iniunctae, non tamen semper.

IV. Corollaria. — 1° Si quis *bona fide* confitetur confessario surdo, surdastro aut distracto vel dormienti, valet confessio dummodo confessarius *aliqua saltem peccata* intellexerit; quo casu repetenda sunt tantum ea quae constat non fuisse audita, et, si ignoretur quaenam praecise illa sint, confessio tota erit repetenda, saltem si sit brevior, quia de singulis nequit haberi probabilitas, sed prudenter dubitari debet ea fuisse intellecta. E contra, *probabiliter,* si sit prolixior et simul existimari possit pleraque peccata fuisse audita, quia tunc de singulis vere probabile est ea fuisse accusata, et ceteroquin lex integritatis non censetur obligare cum tanto incommodo omnia sigillatim repetendi; unde sufficit ea confiteri in communi, accusando certitudinem vel dubium de quibusdam peccatis non auditis. Si quis vero tali sacerdoti, sicut et indocto, confiteatur *de industria,* praecise ut iste audire vel intelligere non valeat peccata, confessio propter defectum sinceritatis, per *se* est sacrilega et repetenda, nisi tamen per ignorantiam egerit, nesciens talem confessionem esse malam.

2° Rustici, pueri, et indocti, qui bona fide confessi sunt peccata in confuso, non sufficienter speciem aut numerum explicantes, valide absoluti sunt (quia integritas materialis non est de essentia sacramenti), imo nec postea confessionem repetere tenentur si momento peccati non habuerint distinctiorem cognitionem speciei et numeri; e contra si insufficientia et confusio in declaratione tribuenda sit non ignorantiae sed actuali inadvertentiae, debent speciem aut numerum explicare qualem cognoverunt momento quo peccaverunt, nisi aliquando confessarius recipiens ultimam confessionem poenitentis, qui *vitam uniformem* duxit ac *defectus confessionum praecedentium patefacit et accusat,* possit alia peccata vitae praeteritae sufficienter intelligere.

3° Poenitens, qui frequenter in eadem mortalia relapsus est absque ulla emendatione et sine ulla resistentia primis quae occurrunt tentationibus, praesumi debet praevias confessiones sine sufficienti dolore et proposito fecisse; quarum proinde iteratio ad minus valde suadenda est, non tamen stricte imponenda nisi sint moraliter certo invalidae. E contra si per aliquod tempus perseveraverit, vel ante relapsum primis tentationibus vere restiterit.

V. Confessio generalis est omnium vel plurium confessionum repetitio; complectitur itaque totam vitam vel partem

notabilem (v. g. unum vel plures annos), et potest esse necessaria, utilis, aut nociva.

a) *Necessaria* est et regulariter *imponenda* si moraliter certum sit plures e confessionibus praeviis invalidas aut sacrilegas fuisse.

b) *Utilis* est et generatim *consulenda,* ob notabilem fructum spiritualem,

1) adultioribus qui nunquam confessionem generalem fecerunt;

2) iis quorum priores confessiones dubie validae censentur, ad pacem nimirum conscientiae et tranquilitatem;

3) iis qui serio ad Deum converti et meliorem vitae rationem instituere intendunt aut accuratiore institutione ad hoc indigent;

4) iis qui gravioris momenti vitae partem finiunt vel incipiunt, aut vitae statum vel novam vivendi rationem suscipiunt, uti sunt pueri grandiores qui ad Iam communionem solemnem se praeparant, nupturientes, vidui, milites qui contubernia ingrediuntur vel ex iis recedunt, studiosi qui altiora studia suscipiunt, etc.;

5) iis quos tenet perfectioris vitae desiderium, v. g. qui statum clericalem vel religiosum ingrediuntur;

6) iis qui in periculo vitae existunt vel tali periculo se committere coguntur;

7) denique in quibusdam occasionibus extraordinariis quae praebent opportunitatem expiandi conscientiam, ut sunt missiones, iubilaeum, secessus spiritualis, etc.; quibus in casibus generatim sufficit suadere confessionem generalem ab ultima generali instituta.

c) *Nociva* esse potest et regulariter *prohibenda :*

1) scrupulosis ac nimis timoratis qui iam semel confessionem huiusmodi peregerunt, quia in iis semper novi angores et scrupuli nascuntur eo quod peccata aliqua se non exposuisse aut non rite exposuisse timent;

2) iis qui vivida imaginatione praediti et ad carnales voluptates valde inclinati, multum et graviter contra castitatem deliquerunt : distincta et minuta recordatio delictorum cum minutis circumstantiis novas tentationes causaret, et in periculum peccandi induceret: quapropter isti nunquam permittantur aliquid repetere nisi modo omnino generali;

3) indispositis recidivis qui ita absolutionem extorquere volunt.

VI. Modus excipiendi confessionem generalem describitur apud varios auctores, quorum praecipua monita et consilia hic subiicimus.

A. *Ante confessionem.* « Cum quis confessionem generalem instituere petit, ait Aertnijs, Th. Past., η. 253, confessarius statim exploret utrum talis confessio sit necessaria — utilis — an vero nociva. Hunc in finem non expedit generatim, saltem extra dies missionis, poenitentem abrupte rogare an aliquod peccatum reticuerit, vel quid simile; facile namque continget ut poenitens reus sed turbatus neget, et postea retractare non audeat. Quare proderit petere a poemtente quaenam ratio eum impellat ad confessionem faciendam, an quid eum angat (vel : an alias iam confessus fuerit generaliter, a quo tempore, et quoties), etc. Hisce et similibus quaestionibus nitatur suaviter et sagaciter expiscari num forte sacrilegia lateant. Confessario sciscitanti poenitens saepe unum ex sequentibus responsis dabit :

1° *Quia peccata mea celavi;* tunc confessarius statim animum addat illi (dicendo v. g. non esse opus difficile, siquidem ipse libenter adiuturus est), benignum se erga eum fore promittat, eumque ad plenam sinceritatem adhortetur, (atque statim exploret quando facta fuerit ultima confessio valida, quoties per annum confiteri et communicare consueverit, num hoc tempore aliud sacramentum scii. Confirmationem, Extremam Unctionem susceperit).

2° *Confessionem generalem nunquam peregi;* tunc sedulo examinet utrum necessaria an utilis tantum videatur.

3° *Feci, sed non bene;* tunc quaerat quare non bene fecerit. Si poenitens nullum praeter anxietatem determinatum motivum allegare queat, scrupulositatis suspicionem ingerit.

4° *Ex concionibus intellexi confessiones meas fuisse malas;* tunc procedat ut supra. Notetur tamen, tempore missionis, poenitentes aliquando rem exaggerare.

5° *Intendo melius vivere;* tunc certe perutilis erit... »

Casibus praedictis aliquando fieri *potest* quod habet Reuter, *Neo-Confessarius,* n. 189, p. 308 : « Si confessarius deprehendat confessum multis annis sacrilege non praeparatum ad confessionem generalem, iubeat eum confiteri quae occurrunt memoriae, examinet illum de magis obviis, ut sic aperto ulcere et diminuta verecundia facilius redeat; deinde moneat, ut circa reliqua magis se examinet, nam tam subito omnia recor-

dari non potest; demum dicat, ut redeat designato tempore pro complenda confessione, addendo, modo non absolvi eum pro maiore sua quiete futura, atque ita bene animatum impertita benedictione dimittat. Quodsi non posset redire, nec putaretur alteri facile confessurus, adiuvandus esset examinando illum per praecepta decalogi, Ecclesiae, peccata capitalia, monendusque, si forte deinde peccata in mentem venerint commissa a tempore primae sacrilegae confessionis, ea confitenda esse; demum ei iniungatur pro poenitentia, ut proxima occasione, praevio diligenti examine confiteatur, si quid occurrerit, quod omissum et confitendum sit ».

B. *In confessione,* confessarius 1) ab initio poenitentem humanissimis verbis *hortetur ad perfectam sinceritatem,* et suggerat quod prius ea accuset quae ab ultima confessione sunt patrata (ut sic melius status poenitentis dignoscatur appareatque num quid obstet absolutioni); item, generatim ea quibus magis angitur, vel quorum accusatio magis molesta ipsi videtur v. g. peccata contra castitatem, religionem aut iustitiam, quibus expositis, conscientia poenitentis exoneratur, ac reliqua confessio facilior redditur.

2) Poenitentem *adiuvet discrete ac benigne interrogando,* praesertim si hic sit rudis et ignarus[1]; attamen, a) ordinario sinat poenitentem ea exponere quae sponte recordetur, imo si videat eum suam accusationem ex ordine praeparasse, generatim eum *non interrumpat* multis interrogationibus, ne forsan postea turbetur, putans se aliquid omisisse. Pariter b) a nimia brevitate aut praecipitatione abstineat, sed *tempus sufficiens poenitenti tribuat* ad ea explicanda quae ipsi necessaria videantur; secus hic forsan tranquillus non erit sed inquietus recedet, quia dicere non potuit ea omnia quae mentem eius angebant. A fortiori c) *eum non austere carpat.* quando gravius peccatum accusatur, ne forte hac severitate perterritus poenitens aliquid reticeat; sed e contra *paterno affectu* eum animet ad omnia candide aperienda, cum Deus sincere poenitentibus etiam gravissima delicta remittat.

3) Si confessio generalis sit *necessaria,* magna cum diligentia *accurate interroget* de specie et numero peccatorum. Quodsi, de peccatis interrogando, ipse confessarius proponat numerum v. g. numquid decies, centies fecisti? generatim expedit maiorem numerum proponere quam minorem, cum

1 V. g. sis quietus et bono animo, ego tuam peragam confessionem; novi sane omnia peccata quae patrare potuisti ; ego tibi omnia detegam ; tuum solum erit clare et sincere interrogationibus respondere, et de peccatis verum dolorem concipere.

facilius sit poenitenti minuere quam augere. Imo, si statim, proposito tali numero assentiri videatur poenitens, opportunum erit addere : nonne saepius id fecisti?

C. *Post confessionem* 1) ne praetermittatur generalis interrogatio : nonne aliquid aliud tuam angit conscientiam? si ita, dic, et te iterum interrogabo. — 2) Si nihil superesst videatur, monendus est poenitens ne disturbetur, si postea recordetur peccati gravis, quod non declaravit : sufficit enim illud confiteri in proxima confessione, si nondum fuerit valide accusatum; si vero antea fuerit valide declaratum, illud repetere necesse non est. — Imo 3) non amplius debet recogitare nec examinare conscientiam de praeteritis, sed ubi certum non est se aliquid omisisse, praesumere potest id fuisse declaratum.

VII. Animadversiones practicae. — A. Quando confessio generalis certo non est necessaria, sed *tantum utilis* :

1° omnino expedit ad iugem et uberiorem fructum, ut poenitentes per aliquot dies sese *praeparent* per examen conscientiae, doloris excitationem, et praecipue per orationem;

2° moneantur tamen ut non *nimis laboriose* se examinent;

3° et quod non sit obligatio confitendi omnia *mortalia;* unde nec multis interrogationibus omnia omnino peccata aut minutae circumstantiae ab eis extorqueantur;

4° si *peccatis luxuriae* fuerint obnoxii, unam tantum de iis confessionem instituant eamque nunquam repetant nisi modo generali:

5° puellae quae non ex vero spiritu profectus, sed *ex affectione aliqua* erga confessarium generalem confessionem volunt instituere, ab ea sunt arcendae; item qui ex vera levitate confessionem generalem repetere vellent, v. g. tempore missionis apud omnes missionarios, aut de contritione vitaeque mutatione nihil cogitantes toti sunt in repetendis confessionibus.

B. Confessarius *quoslibet poenitentes* primo sibi confitentes ne statim compellat ad confessionem generalem, etiam sub praetextu quod sic melius conscientiam eorum directurus sit; nam ita non solum irrationabiliter grave onus pluribus imponeret, sed et multorum conscientias perturbaret[2].

C. Confessarius, si ipse interrogando totam excipiat confessionem, quod cum rudioribus hominibus saepius facere praestat, delicta maxime obvia pro statu et conditione percurrat, secundum ordinem decalogi, praeceptorum Ecclesiae, et officiorum status (de quo est omnino indagandum); cui tamen ordini aliquando derogare utiliter poterit ut a gravioribus, quae onerant magis et pudent, incipiat.

Imo plures suadent ut procedat per *diversas vitae aetates,* ita ut primo

1 Tu Mechl., *de Poen.* (4), n. 50, q. 4 et 6.
' *Ibid.,* q. 5.

examinentur peccata pueritiae usque ad primam communionem solemnem vel annos pubertatis; deinde peccata adolescendae et juventutis; postea consideretur mutatio vitae in assumptione status vel in alia epocha maturae aetatis. Id tamen aliquando confessionem nimis prolixat.

D. Consulendum non est ut confessiones generales *totae* scribantur; nam ordinarie confusio in illis reperitur; scriptae tamen acceptari possunt a confessario et legi; at si confessio generalis sit necessaria, ipse poenitens per se et regulariter eam legere poterit. Permitti vero potest ut *praecipua capita* confessionis scribantur : hoc enim iuvat ad ordinem et memoriam [1].

1 Aertnijs, *Th. Past.,* η. 253.

CAPUT II

DE PŒNITENTIBUS VARIIS SECUNDUM CONDITIONEM CORPORIS

QUAESTIO PRIMA

De Pueris

I. Obligatio puerorum. — Praecepto confessionis tenentur pueri qui usum rationis adepti sunt, quo inter bonum et malum morale satis discernere valeant ad peccandum mortaliter, ac deliberare de seipso, et de fine ultimo totius vitae seu salute aeterna.

Quam discretionem generatim consequuntur circa annum 7um, paulo ante vel post. Id tamen non pendet ex sola aetate sed etiam ex ingenii acuitate et educationis qualitate, aliisque temporis ac loci circumstantiis : ita maturi fiunt prius in calidioribus quam in frigidioribus regionibus, in civitate quam ruri [1].

Usu rationis relate ad confessionem gaudere censentur quando peccata sua distincte explicant, quaestionibus a confessario propositis apte respondent, et intelligunt gravia delicta offendere Deum aut aeternis puniri suppliciis. E contra si nihil sponte dicere possunt vel non recitant nisi formulas memoriae commendatas, si ad omnes quaestiones propositas affirmative respondent vel negative absque ullo discrimine, aut si ita plerumque sibi contradicunt, merito censentur

[1] Consulit S. Carolus Bor. ut confessionem eorum incipiat audire sacerdos ab anno 6° ad probationem et assuefactioncm ; post 7um vero audiantur ter vel quater in anno; postea singulis mensibus.

rationis usu carere. In dubio utrum discretionem sufficientem consecuti sint, ut facile est si digitis ludunt in clathris, saepe respiciunt ad ea quae extra geruntur, etc., extra periculum mortis confiteri non tenentur.

II. Momentum confessionis puerorum. — Maximi momenti sunt confessiones puerorum, quia gratia sacramenti ac consilium confessarii efficax sunt medium tum praeservandi pueros a peccato, tum ipsorum defectus corrigendi, tum prompte erigendi illos qui iam in mortalia lapsi sunt. Hinc :

1° Adest obligatio invigilandi ut pueri recte et optimo modo confiteantur. Quamvis enim ad parochum pertinet eos de hac re instruere, confessarii tamen est illam instructionem in memoriam revocare aut aliquando eius defectui sicut et intelligentiae puerorum supplere.

2° Si animadvertat pueros ex incapacitate vel ignorantia nescire quomodo confiteantur, illos breviter de hac re instruat; saltem pro confessione sequenti.

3° Quodsi ex mera timiditate se non gerant sicut oportet, eos paterne hortetur et benigne inducat, ac animum addat, omnibusque modis auxilium praestet.

4° « Semper autem adhibeat omnem charitatem et modos suaviores quantum fieri potest » (S. Alphonsus, *Prax. Conf.* n. 90), ne timeant peccata sua accusare aut a sacramento avertantur.

5° Sedulo ad sinceritatem hortetur et a peccatis reticendis amoveat, dicendo a) nota esse Deo ubique praesenti, b) confessarium de iis nihil dicere posse, c) magnum peccatum esse gravia reticere ac offensam Dei.

6° Illos etiam interrogare debet, tum ut integritatem confessionis procuret, tum ut illos practice instruat de modo quo examen conscientiae et accusationem instituere debent. Attamen illos sinat prius peccata sua explicare, et non interroget, nisi :

a) videantur timere et verecundia ita angi ut nihil fere dicant;

b) postquam peccata sua accusarunt : tunc quaestiones aliquas addat etiam de materiis circa quas siluerunt;

c) generatim quaerat an praecedens confessio fuerit sincera, et an in praesenti nil tacuerint.

7° In interrogationibus et monitionibus praesertim inculcet

pietatem erga Deum. Christum, et B. V.; — obedientiam; — amorem iustitiae, veritatis, pudoris et castitatis; — necessitatem charitatis fraternae et bonae mansuetaeque indolis; — necessitatem orationis quotidianae ad virtutem colendam.

III. Munus confessarii. — Hinc intelligitur quomodo se gerere debeat confessarius in ipsa administratione sacramenti

A. *Ante confessionem :* 1) Speciali *benignitate et paterno affectu* excipiendi sunt pueri, ut, nedum deterreantur a sacro tribunali, potius libenter ad illud accedant suaque peccata sincere confiteantur.

2° Si plures pueri collective accedant, extra confessionem doceat in communi res necessarias ad salutem et omnia necessaria ad sacramentum bene suscipiendum, ac instructioni isti *subiungat exercitium practicum* eorum omnium quae ante confessionem, in ipsa, et post ipsam peragenda sunt. Hac occasione etiam de sigillo moneantur sacramentali, ut perfecte sinceri inveniantur.

3) Ipsis suadeat peccata sua explicare, praesertim si videantur timore et verecundia angi.

B. *In confessione :* 1) Sub initio libere sinantur loqui et peccata sua explicare.

2) Post ea quae ipsi accusaverint aut si in eo deficiant, opportunis iuventur quaestionibus quales sunt : utrum mane et vespere preces recitaverint; — num diebus dominicis et festivis missae interfuerint, utrum in ea confabulaverint; — an iuraverint, de sacris irreverenter locuti sint aut indecora verba usurpaverint; — utrum parentibus inobedientes fuerint, debita reverentia erga eos caruerint, senioribus irriserint; — num cum aliis rixati fuerint, iracundiae vel invidiae viam dederint, alios percusserint vel ignominioso nomine appellaverint, aut pravum exemplum praebuerint; — an verba mala locuti sint, vel et quid dixerint, an male cum aliis pueris iocati sint, et, si affirment, quid fecerint, an rem turpem commiserint, an solitarie indecentes fuerint; — num parvula furta commi-

1 Cfr. S. AlphoMsus, *Pr. conf.*, n. 90-91 ; Reuter, *o. c.*, n. 100-105; Marc., *Th. M.*, Π, η. 1848; Aertnijs, *Th. P.*, c. II, a. 1, n. 120-127; Lehmkuhl, *Th. M.*, II, n. 609-611 ; Theol. Mechi... *de Poen.* (4), p· 191, n. 65, sch. I; Tanquerey, *de Poen.*, n. 517-520; Berardi, *Pr. conf.*, n. 731-744; RASsiNiïTTr. *Th. M*,, diss. 15, § 4; Poiiė, *Gcestelijke leiding voor Kinderen;* X., *La Confession fréquente des fetits enfants.*

serint vel damnum aliis intulerint; — an mendacia commiserint, ioco vel ad aliis nocendum; — utrum carnem diebus vetitis comederint; — an scholam catholicam frequentent, an catechismo studeant... etc... Notetur autem a) non omnes istas quaestiones esse ponendas, sed varias pro vana opportunitate : non nimius sit confessarius in interrogando, ne pueri horrorem concipiant confessionis;

b) saepe proderit quaestionibus uti suggestivis, v. g. : et nunc dic mihi quoties haec fecisti? an quinquies, decies? etc...

c) de castitate solum quaestiones proponat quae innocentium curiositatem non excitent, et tamen reis occasionem praebeant delicta sua manifestandi, nam sunt puellae et pueri qui de hac re nil dicunt nisi interrogentur;

d) in fine addatur : num tacuerint aliquod peccatum?

C. *Post auditam confessionem* : 1) Pueri instruendi sunt de mediis ad vitanda peccata adhibendis, et de peccati turpitudine, quin tamen ut grave exhibeatur peccatiim quod est tantum leve; at doceantur etiam levia vitare ut placeant Christo lesu.

2) Ad contritionem hortandi sunt non longa exhortatione, quam forsan mente distracti non intelligent, sed a) conceptibus obviis, dicendo v. g. Deum esse ubique praesentem, peccatum grave animam reddere foedam ad instar diaboli et Dei inimicam, gratiam et virtutem reddere angelo similem, magis horrendum peccatum offensam Dei quam offensam patris, Deum velle in coelo coronare bonos et Christum ad hoc mortuum esse, etc...; item b) quaestionibus eorum captui accommodatis, v. g. Fili mi, diligisne Deum qui est Dominus tuus tam magnus et bonus, qui te creavit et pro te mortuus est? Christum pro te mortuum et passum visne de novo affligere? Patrem optimum tuum coelestem qui tot beneficia confert, visne graviter offendere? Nonne doles de peccatis quibus infernum meruisti. lesum ac Deum offendisti? Possesne per quadrantem inferni ignem sustinere? etc... — ùi venialia accusaverint, praestat eos alloqui de purgatorii poenis, de displicentia Dei, maxime de amore Dei et Christi. Cum enim in eis neque malitia aut affectus ad peccatum neque passiones inveteratae adsint, ope divinae gratiae facile disponuntur ad actum charitatis et contritionis etiam perfectae.

3) Poenitentia eorum aetati conveniens iniungetur, levior ac pro adultis, quam statim peragant ne in oblivionem cadat. Qua occasione etiam ipsis inculcetur devotos esse erga B. V.

et angelum custodem, ac quotidie orare pro emendandis peccatis et bona vita.

D. *Quoad absolutionem* : 1) certo denegari nequit pueris, qui gravia peccata commiserunt, si alias satis videantur *dispositi,* unde reprehendenda omnino est praxis eorum qui sine absolutione eos dimittunt qui ad primam communionem adhuc non sunt admissi. Nec ut signum indispositionis haberi debet si circa confessionale puerilia agunt, ludunt, rident, cum haec sint naturalis levitatis et inconsiderationis et in se gravia non sint.

2) Si autem dubium sit an usum rationis habeant, aut sufficienter sint dispositi, *sub conditione absolvendi sunt : si ex capax,* in periculo mortis, vel urgente praecepto annuae confessionis, imo quoties accusent ea quae *de se* sunt mortalia, ne scii, maneant in statu peccati si forte graviter peccaverint.

3) Si vero nonnisi *venialia* accusaverint, eos ad contritionem excitet, et si sufficienter sint dispositi, absolvendi sunt, ne sacramentali gratia careant; — si *dubie dispositi* post exhortationem maneant, quia v. g. dubium sit de sufficienti eorum discretione, non sunt absolvendi, etiam sub conditione, quia deest ratio sufficiens exponendi sacramentum nullitau; nisi aliquoties ratio sit timendi ne forte obnoxii sint peccato mortali occulto.

IV. Animadversiones. — 1) Etiamsi accusentur actus turpes, non raro expedit cognoscere num fuerint solae res contra decentiam et civilitatem. Quodsi cognitum fuerit, edocendus est puer omnino. Si autem revera deprehenditur turpia egisse, ab his omnino deducendus est; tunc quoque recte interrogatur (via indirecta) num cum alio dormiat, et in lecto modestus sit.

2) Actiones inhonestae puerorum, qui luxuriae adhuc ignari sunt, plerumque non sunt habendae peccata mortalia, quia vel commotionem Veneream non habuerunt, vel huius malitiam nondum apprehendunt. In praxi tamen tales pueros confessarius severius corripere tenetur, ut ab omni immunditia abhorreant; simul tamen paterno modo loquatur ne postea relabentes peccata ex timore reticeant.

3) Inveniuntur tamen in urbibus et regionibus industrialibus pueri mature corrupti, in quibus notitia et malitia luxuriae praevenerunt aetatem, et de quibus dici debet : Tantillus puer et tantus peccatori

4) Grave periculum et occasio proxima oriri possunt, si pueri et puellae, ‘altera post septennium imo etiam ante, in eodem lecto decumbant. In hac re parentes sunt severe arguendi, nec facile admittenda excusatio ob paupertatem vel angustiam loci. Quod si aliter fieri omnino nequeat, •■altem periculum imminuendum est, eo quod parentes filios filiasque vestitas lecto committant, atque invigilent, donec somno se dederint;

et insuper efficiant, ut unus ex filiis (aut una) cui fidere melius possint, ipsos de minimo mali conatu moneat. « Quodsi ex confessione noverit occasionem proximam confessarius, pueros tractare debet sicut alios in occasione proxima constitutos, eosque, et aliquando adigere debet, ut apud parentes instent pro separatione. Neque videtur aliqualis suspicio aut informatio apud ipsos parentes tanti semper aestimari debere quando sunt pueruli, quanti alias diffamatio aestimatur » (Lehmkuhl, Th. M., II. n. 610-611).

5) Si contingent pueros esse recidivos in gravia peccata, per se tractandi sunt sicut adulti, v. g. si perfecta discretione fruantur, quia spes est fore ut se emendent et redeant; saepe tamen dubium est an perfectum usum rationis habeant et tunc potius sunt absolvendi, quia dilationem absolutionis non facile intelligunt ac proinde ex ea non speratur fructus.

6) Pueris non est imponenda obligatio veniam petendi a parentibus *pro re determinata,* quia hoc est supra vires eorum; — nec obligatio restituendi, quia hanc obligationem non intelligunt et ad restituendum ordinario impares sunt; casu excepto quo puer rem ablatam adhuc habeat : tunc enim restitutio est iniungenda ut a furto abhorrere discat.

7) Omnino provideat confessarius ut pueros dedoceat qui erronee putant mortale esse quod non est nisi veniale : non raro enim contingit pueros a matribus hac in re perperam instrui et a levibus peccatis sub poena inferni deterreri, (v. g. a levi furto, mendacio, inobedientia). Curandum tamen ut levissimi peccati horrorem retineant.

QUAESTIO SECUNDA

De Semifatuis et Surdo-mutis

I. Perpetuo amentes absolutionem recipere nequeunt cuius sunt incapaces, non ita semifatui *(étourdis, demi-sots, simplots) :*

a) Isti si certo inter bonum et malum morale distinguere possunt, quamvis confuse, et aliunde bene dispositi videntur, absolvi possunt non solum semel, sed pluries in anno. S?d cum ob ingenii tarditatem, et memoriae debilitatem, veritates etiam necessarias vix memoria retinere valeant, curet confessarius eos ita disponere ut necessarios actus fidei, spei et contritionis eliciant, ita v. g. procedendo : Credisne in unum Deum? Credisne eum malos punire et bonis praemia largiri? Credisne tres esse personas in Deo, distinctas et perfecte aequales, et Filium Dei propter nos hominem factum fuisse suoque sanguine nos redemisse? Et ita porro pro motivis contritionis.

b) Si dubitetur de sufficienti usu rationis et utrum possint graviter peccare vel non, meliori quo fieri potest modo instruendi ac disponendi sunt et sub conditione absolvendi m periculo mortis, imo aliquoties in vita, saltem semel in anno, et quoties probabile sit eos esse in statu peccati mortalis, ne scii, in peccato maneant si forte aliquod commiserint.

c) Ut notat Reuter (o. c., n. 192), signum sufficiens discretionis non est quod quis revereatur clerum, aliqua mandata rite exsequatur, genua flectat, pectus tundat, quia haec facere potest eo quod videt ea ab alio fieri. At sufficiunt signa qualia indicata fuere pro pueris.

II. De surdo-mutis. —a) Hi per se et secluso gravi incommodo tenentur ad scribendam suam confessionem si scribere valeant et aliter confiteri integre non possint. At, quia id a quibusdam consideratur ut medium extraordinarium, non stricte imponatur, nisi aliter confiteri omnino non possent; sed ad id faciendum suaviter inducantur, si scribere valeant (v. g. in lamina ardosia), cum ita melius procuretur integritas confessionis. Ad vitandum periculum laedendi sigillum, peracta confessione, statim in praesentia poenitentis, scriptura destruatur.

b) Cum hodie sat facile instrui possint, curare debet parochus vel et confessarius, ut quantum fieri potest ad eas scholas mittantur ubi doctrinam christianam addiscere valeant, quo melius sua peccata confiteri ac detestari possint.

c) Si vero hisce novis methodis instructi non fuerint, confessarius primum ab eorum familiaribus inquirat quaenam peccata frequentius committant et quaenam signa dare soleant; deinde eos in aliquem locum occultum ducat, ubi signis peccata quaedam saltem modo confuso declarare suamque contritionem exprimere conentur; pariter quibusdam signis, v. g. oculos et manus ad coelum erigendo, crucifixum ostendendo, eos ad contritionem hortetur, et absolute vel conditionate eos absolvat, prout certus vel dubius erit de eorum capacitate. Simili quoque modo poenitentiam indicare potest, v. g. ostendendo rosarium aut quamdam eius decadem.

III. Animadversiones. — 1) Si confessarius non in initio sed in decursu confessionis advertat poenitentem esse surdastrum, non potest, gcneratim, eum coram adstantibus in locum remotum ducere vel monere ut alio tempore redeat, quando scii., ut facile fit, ingereret suspicionem peccati mortalis. E contra si omnino ab initio advertat.

2) Putabant olim surdum eumdemque mutum et caecum a nativitate habendum esse ut perpetuo amentem, utpote incapacem institutionis. Nostra tamen aetate ars institutionis magis exculta nec tales ab educatione excludit, et, quamvis res sit difficilior, non tamen reputatur impossibilis.

3) « Si ob imperitiam linguae confessarius nequeat percipere omnia mortalia peccata, mittendus est poenitens, si commode fieri possit, ad alium linguae peritum; si vero sine gravi incommodo remitti non possit et saltem unum peccatum certum indicaverit, absolvi potest in tempore, quo urget praeceptum vel necessitas, qualis est etiam status peccati mortalis hominis itinerantis, qui brevi tempore confessarium habere non possit; nam tunc sufficit integritas formalis. Tenetur tamen poenitens mortalia quae modo a confessario non fuerint intellecta, data occasione, alteri confiteri. Hinc etiam potest tacere peccata quae certo 'novit non intelligi. Quodsi habeat sola venialia, potest adire confessarium minus peritum linguae, neglecto altero... Denique si confessarius plane non intelligit linguam poenitentis, potest hic absolvi in necessitate, si se accusat per signa in genere ». (Reuter, *Neo-conf.,* n. 196). Potest etiam uti interprete, sed stricte obligatorium non est, ut constat ex resp. S. Off. 28 Febr. 1633, dummodo signis possit manifestare saltem peccatum in genere.

Ad auditionem illorum quorum linguam confessarius ignorat, utile esse potest schema quaestionum in variis linguis sibi invicem correspondentium, a D'Herbigny editum : *Prudens* 16 *linguarum confessarius.* Non tamen sufficit pro omni casu : rudes enim plerumque non intelligunt linguam excultam, sed uti solent vulgari idiomate vel specialibus terminis, praesertim ad designanda quaedam peccata; imo nec semper legere valent.

QUAESTIO TERTIA

De Adolescentibus et Iuvenibus

I. Momentum confessionis iuvenum. — Confessarius ante oculos ponat :

1) tanto inaioris momenti esse hoc efformandae iuventutis negotium, quanto iuventus pluribus gravioribusque periculis exposita est, tum generatim ex passionum evigilantia, tum speciatim hodiernis temporibus, ex sociis mundanis aut perversis, lectionibus maleficis, pravis scholis, periculosis oblectamentis, timore humano, etc.;

2) ut cum fructu operam suam conferat, imprimis necessarium esse a) ut sibi devinciat iuvenum animas eorumque fiduciam sibi conciliet, tractando eos cordialiter et affectu plene paterno, modo tamen semper digno et virili; b) caveat ne severe cum ipsis agat, sed fragilitati et inexperientiae

eorum compatiatur : tunc viribus propriis confidere addiscent et monita confessarii, quibus erigentur, exsequi;

3) deinde opus esse ut eos ad confessionem frequentem adducat, puta singulis mensibus vel hebdomadis, qua fiat ut a) a peccati habitu praeserventur, b) virtuti et pietati assuescant, c) etiam in reliquo vitae saepius ad sacramenta accedant;

4) optimum esse ut ducem habeant qui eos dirigat ut addiscant : a) moderari suas passiones, b) pericula vitare, c) ad vocationem tendere quam Deus eis destinavit[1].

II. De passionibus moderandis. — *Ut passiones* moderari addiscant oportet :

1) Investigare quaenam sit eorum passio praedominans quae ex modo ordinario eorum cogitandi, loquendi et agendi sat facile innotescit.

2) Investigationes factas iis manifestare, quo de necessitate sese corrigendi persuadeantur; quod eo facilius erit si iis ostendatur, qualis fiet vir qui illos, quos ipsi habent defectus, aetate iuvenili corrigere neglexit.

3) Media suggerere opportuna, contra respectives defectus. Ita iis qui non cogitant nisi de delectatione, imponat agere ex amore officii et praecepti, secus in prohibitas delectationes se proiicient et vitam agent inutilem, — iis qui sunt vehementes, ardentiores, irascibiles praescribat temperamentum, secus omnis excessûs capaces, ad minus in societate difficiles erunt et molesti; — iis qui pigritia laborant ac energia et animo carent, strenuum laborem et continuum conatum voluntatis praescribat, ne fiant inutiles omnino; — qui aliis invident serio moneat quia facile devenient ad calumnias et crimina[1].

[1] Cfr. Reuter, *o. c.,* n. 106-109; S. Alphonsus, *Pr. Conf.,* n. 92-93; Aertnijs, *Th. P.,* n. 128-138; *Th. M.,* II, n. 340-344; Marc, Th. M., II, n. 1849-1850; Theol. Mechl. *de Poen.* (4), p. 192, n. 65, sch. II; et P. 239, n. 85; P. X. Nicolay, *A la conquête des âmes. Essai de psychologie et de pratique pastorale. Moralité des enfants et des jeunes gens;* De Saegher, *Bidden en strijden;* Salsmans, *Geestelijlce leiding voor studenten,* in *Pastor Bonus,* 1920 en 1925.

[1] Satis communitur, etiam hodie, quatuor praecipuae complexiones distinguuntur, quae tamen saepius mixtae in uno codemquc individuo inveniuntur et quidem variis gradibus, ita tamen quod una dominari soleat. Inter homines scii, alii sunt magis *sensitivi* quia vividius sentiunt, alii magis *activi* quia vehementius in sensationes reactionem

4) Speciatim advigilent confessarii ut a saeculi corruptela et a carnis illecebris immunes praeserventur, aut in impudicitiam lapsi statim erigantur, tum ob periculi universalitatem, tum ob lapsus facilitatem, tum ob emendationis difficultatem.

5) luvenum indolis transformandae causa confessano opus est a) magna animi firmitate in fine prosequendo et mansuetudine in monendo, b) magna prudentia et recto iudicio, quibus se aptet diversis iuvenum dispositionibus, c) multa patientia, quia opus est longioris durationis.

exercent: inter priores alii sanguinis abundantia, alii nervorum organisatione pollent; inter posteriores alii promptius et intensius ut *cholerici,* alii nisi tarde et remisse agunt, ut *phlegmatici.* Hinc quatuor complexiones:

1) qui sensitivi sunt et *sanguinei* prompte et vivide sentiunt non autem intense et perseveranter, quare multum instabiles sunt; unde, si pietati et devotioni student, facile peccant et contritionem concipiunt, sed promissorum obliti, mox in peccatum retabuntur. Inter sanguineos numerantur Marcus Antonius, Ludovicus XIV, et Mirabeau;

2) qui sensitivi sunt et *nervosi* multo intensius et durabilius sentiunt; unde et in iis passiones, sive ad bonum sive ad malum, multo vehementiores sunt, (ac proinde moralis character maxime pendet ab obiecto ad quod sese vertunt); aliquam tamen instabilitatem pariter habent cx diversis emotionibus quibus dediti sunt (v. g. Voltaire, Fredericus II) et facile *melancholici* fiunt, quando idealem perfectionem quam prosequuntur attingere nequeunt (ita Pascal);

3) *cholerici* non solum intense sed perseveranter cum maxima vi agunt, ambitiosi sunt, aliis dominari volunt et gloriam quocumque modo adipisci. Ita Caesar, Cromwell, Napoleo I;

4) *phlegmatici* sunt duplicis generis: alii debiliores omni energia quasi destituti; alii fortiores, qui, licet magis frigide et lente, cum magno tamen robore et invicta constantia agere possunt. Ita sunt multi Batavi, inter quos eminuit Gulielmus postea rex Angliae factus.

Cfr. de his Fouillée, *Tempérament et Caractères,* Paris, 1895.

Confessarius totis viribus conetur iuniores iuvare ut quidquid boni in eorum charactere est assidue excolat, quidquid mali contrariis actibus corrigat. Ipsi variarum complexionum psychologica notio maxime utilis est, quo tutius suos poenitentes ad praxim virtutum dirigat:

i. *Sanguinei* sunt suaves, affabiles, animosi, liberales, tractabiles, at etiam fervidi, contentiosi, ad voluptates proni et amores: laetabundi et leves animo amant dcli< ias, libenter ineunt amicitias, amantes sunt societatis, etc Ipsis suadendum est tum ut phantasiam cohibere studeant et piis imaginibus imbuant, sensuum oblectamentis in minoribus renuntient quo de se victoriam referre discant, mores graviores induant, vanitatibus et inanibus amicitiis valedicant; tum ut omnia magis *deliberate* et *constanter* perficiant ex convictione et amore officii debiti, ne transuente ardore permoti aliquid supra vires assumant, et postea animo deiecti in desperationem cadant. — Similia valent, servata proportione, de nervosis; isti enim sunt valde excitati, propensissimi ad amorem, unde facile affectionem concipiunt, obnoxii sunt commotionibus veneriis. Mutabiles tamen sunt ct phantastici, proclives ad itnpa-

III. De periculis arcendis. — *Pericula* a quibus arcendi sunt, praecipua enumerantur :

a) lectiones nocivae tum fidei tum moribus; b) item colloquia turpia aut impia; c) mundana oblectamenta quae nostra aetate tam periculosa sunt, v. g. choreae, spectacula, cinema, frequentiora itinera voluptuaria quae sensum religiosum debilitant; d) nimia familiaritas cum altero sexu : puellis gcneratim inculcandum est ut quantum fieri potest a societate et conversatione masculorum se abstineant; e) socii corrupti qui ad impudicitiam alliciunt, aut in religione indifferentes, impios aut incredulos se manifestant, qui et in institutis catholicae iuventutis inveniuntur, ac fugiendi ut daemonis emissarii, et superioribus denuntiandi sunt[1]; f) nimia familiaritas amicalis cum uno sodali, quae, etsi bono fine inchoata, frequenter degenerat in amicitiam non puram.

IV. De vocatione et electione status. — Si adolescens mentionem faciat *de electione status,* confessarius dirigat illum ad veram eius vocationem. Ad quod recolere oportet :

1) Ipsius non esse vocationem poenitentis determinare, sed solum detegere vocationem a Deo datam : est enim vocatio specialis destinatio quam Deus eligit et dat alicui cum qualitatibus et auxiliis ad hoc necessariis.

tientiam et zelotypiam ; unde apud illos amor ex teneritudine aliquando in aversionem convertitur.

2. *Cholerici* sunt audaces, animosi ad aggrediendum, generosi ; sed etiam praecipites, impatientes, iracundi, superbi, inhumani, duri, tenaces in propositis conceptis. Isti, sicut et nervosi, moderandi sunt ne, prae nimio ardore, excessibus indulgeant, sed praesertim movendi sunt ut suas passiones ad bonos fines vertant. Insuper contra pericula irae, vindictae, odii, inimicitiarum sunt muniendi, et monendi ut diffidant sibi.

3. *Melancholici* sunt circumspecti, modesti, considerabundi, constantes; at etiam singulares, suspiciosi, proprii iudicii amantes, critici : vix amicitiam inire valent, solitudinem amant, ad odium, invidiam, vindictam moventur. Isti solatio indigent, ne tristitia et desperatione opprimantur; vitare debent solitudinem, otium et invidiam, utili labore sunt· occupandi, in virtutibus erga proximum exercendi.

4. *Phlegmatici* sunt mansueti, fideles, pacifici, ductiles, sed etiam possunt esse pusillanimes, inconstantes, desides, tepidi; difficulter excitantur ad bonum, carent fervidis passionibus, mediocritate facile contenti sunt, pacem amant et quietem, imo pacem et requiem virtuti falso tribuere solent. Hi sunt animandi, excitandi ne sopiti, pigri et laxi fiant; non tamen acriter reprehendendi ne animum abiiciant. Attollendi sunt ad considerationem aeternorum ut terrena bona et mala dcspiciant, et conatus ad maiora faciant.

1 De quo casu vide *Revue Eccl. de Liège,* t. IX, p. 410 sq. (mai 1914).

2) Deum semper facere necessaria ut homo vocationem suam sequatur, tum aptitudines requisitas dando, tum in circumstantiis externis ponendo convenientibus; quibus vocationi Dei correspondere, si non peccet, saltem sit possibile.

3) Deum variis modis aliquem vocare, praesertim tribus :

a) vocatione subitanea et extraordinaria, uti fecit pro S° Paulo,

b) mediantibus inspirationibus quibus, durante praesertim oratione, suaviter inclinat ad talem vivendi modum, ita ut clare constet de Dei voluntate; inclinatio oportet sit constans, tranquilla et purae intentionis,

c) solo medio reflexionis naturalis, qua aliquis tranquilla mente et recto animo examinat quisnam sit status vitae qui eius aspirationibus, dispositionibus, mediis et intentionibus, ac saluti magis congruat. Duo ultimo modi saepe iunguntur, nam facile inclinatio sine reflexione, sicut etiam aliquando reflexio sine inclinatione exponit fallaciae.

4) Ad cognoscendam poenitentis vocationem, sicut illum, ita et confessarium oportet orare, ac examinare dispositiones, aspirationes, qualitates, media et intentiones iuvenis, et omnem influxum humanae considerationis removere, de sola voluntate Dei sollicitum.

5) Re autem decisa, poenitens magna cum firmitate est dirigendus contra quascumque repugnantias, et difficultates obvenientes, aut considerationes amore proprio vel deceptionis timore suscitatas. Obstacula enim sive ab imaginatione vividiore, sive a mente haesitante, sive a natura rebellante, sive a daemone ortum habent.

V. Speciatim A. circa statum religiosum : 1) quantum ad *aptitudinem* necessaria sunt : bona valetudo, ingenium relative sufficiens cum recto iudicio, unde non conveniunt *notabiliter* melancholici vel scrupulosi, indoles bona quae ferre valet onera vitae communis, pietas; — 2) quantum ad *finem*·. sit supernaturalis, v. g. sanctitas, zelus, reparatio, aut praeservatio; non naturalis aut mundanus, ut commoditas vitae, complacentia parentum aut ambitio honorum; — 3) quantum ad *conservationem vocationis,* confessarius iniungere debet cautelam secreti, orationem assiduam et sacramentorum frequentationem, separationem a mundo, scii, quantum fieri potest ab omni dissipatione, mundanorum consortio, oblectamentis mundanis.

B. Pro statu sacerdotali in saeculo, confessarius debet serio examinare sufficientem capacitatem praesertim intellectualem et scientiam competentem, maxime iudicium practicum, rectum finem (sicut pro religioso) et probitatem vitae. Aspirantes ad sacerdotium sicut ad religionem oportet esse sanctos, imo potius sanctiores quia remanent in saeculi periculis, et ideo ut quis bonus evadat sacerdos in saeculo, oportet ut prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a mundanis oblectamentis, ab otio et a malis sociis, et deditam orationi et sacramentorum frequentationi, ac maxime castam, alioquin periculo damnationis se exponit.

Notetur ea esse intelligenda de indiciis voluntatis divinae seu de vocatione in actu primo et aptitudine proxima, nam vocatio formaliter et in actu secundo datur ab episcopo, nomine Christi.

C. Pro statu matrimoniali, ad quem plerique homines, communi vocatione destinati sunt, confessarius moneat adolescentes 1) ne praemature de nuptiis inducendis cogitent aut procationem incipiant, aut puellae inter plures procos omnino leviter volitent; — 2) ut omne propositum vel propositionem matrimonii mox ad parentes referant, ad consilium et assensum eorum petendum, nec unquam cum dedecore familiae aut invitis parentibus velint matrimonium contrahere, quin iustam causam habeant ob quam excusentur; — 3) ut finem honestum proponant in contrahendo matrimonio : non meram voluptatem scii., sed salutem suam et filiorum, ac felicem in honestate et virtute mutuam vitam; — 4) sponsalia non contrahant nisi instante iam matrimonio.

Sponsi autem a) doceantur : ipsis, quoad carnalem delectationem, nil amplius licere quam omnino solutis; quapropter, ne tentationibus succumbant, caveant nimiam familiaritatem, et matrimonii celebrationem ne diu differrant: maxime vero caveant, tum propter periculum tum propter scandalum vitandum, ne in eadem domo cohabitent; b) hortandi sunt ut peccata sua diligenter confiteantur et ad s. Eucharistiam et matrimonii sacramentum pie accedant; c) quamvis proprio parocho incumbat sponsos docere obligationes status coniugalis, utiliter tamen et a confessario breviter moneantur circa ea quae in matrimonio licent aut non licent, circa pacem servandam, et prolem conservandam, baptizandam et educandam.

D. Quoad statum virginitatis in saeculo, puellis « quae virginitatem suam lesu Christo consecrare cupiunt in saeculo, non permittat confessarius castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus, et edoctas in vitae spiritualis regulis, et praecipue in oratione exercitatas. Sub initio iis tantum permittere potest, ut castitatem per aliquod determinatum tempus voveant, nimirum a solemnitate alicuius ad aliam alterius ». Ita S. Alphonsus, *Pr. conf.* n. 93.

VI. Dc procationibus [1]. — Occasione ineundi matrimonii solet fieri *procatio,* quo nomine vocari solet conversatio adamantium, *intuitu futuri matrimonii* aut saltem eius *praetextu.* De qua dicendum :

A. *Procatio quae fit intuitu futuri matrimonii de se est licita.* Nemo enim tenetur ducere ignotam personam, sed quisque experiri potest qua indole, quibus moribus quibusque dotibus praedita sit. Unde in plerisque regionibus visitationes adamantium intuitu matrimonii moribus populi adeo inomerunt ut necessariae dici debeant.

Sunt tamen periculosae, praesertim inter personas iunioies et minus timoratas, quia facile praebent occasionem peccandi contra castitatem, maxime ubi incipit maior familiaritas et libertas, et appropinquet tempus matrimonii, uti experientia constat et facile intelligitur ex concupiscentiae depravatione.

B. *Procatio illicita* est inter personas quae non possunt, aut non serio intendunt matrimonium contrahere intra rationabile tempus. Seria enim spes futuri matrimonii unica est ratio ex qua licita evadere potest procatio; et ea absente non esset causa legitima periculo se exponendi. lamvero matrimonium contrahere

1) non *possunt* illi qui carent sive aetate idonea ad rem familiarem instituendam (secus enim procatio nimium protraheretur), sive immunitate ab impedimento matrimonii nisi legitima adsit causa dispensationem petendi, sive libertate, uti aliquando milites, vel filiifamilias si parentes iuste dissentiunt propter indignitatem personae quacum conversari volunt, aut propter indigentiam auxilii filiorum;

2) non serio *intendunt,* saltem ordinario, quantumvis etiam protestentur, iuvenes, qui divites sunt, respectu puellae pauperis, aut qui iam a primis colloquiis puellam ad peccatum sollicitant, vel saltem cautelas necessarias abnuunt; aut qui post rationabile tempus propositum matrimonii minime manifestant, nuptiasve sine iusta causa iugiter differunt;

3) non possunt aut non volunt intra *rationabile tempus,* qui procationem cum lapsus periculo per annos continuant. Quantum tempus sit legitimum, certa regula pro omnibus

1 Cfr. Haine, *Th. M.,* I, q. 105; Marc, *Th. M.,* I, η. 825-828; Th. Mechl., *de Poen.* (4), η. 85; Aertnijs, *Th. M.,* II, n. 340-344; Frassinetti, *Th. M-,* nota 145 ad n. 460; Ballerini, *de Poen.,* I, n. 205-212; Noldin, *Th. M.,* Ill, n. 433-434-

casibus definiri nequit, sed prudenti arbitrio secundum diversas circumstantias relinquitur; cui faciendo multum conducunt timoratorum praxis modusque cautus vel incautus conversandi. Generatim loquendo si intra annum vel paulo plus matrimonium contrahitur, tempus modum non excedit. Quodsi iam nimis duraverit, curet confessarius ut vel abrumpatur, vel ad tempus interrumpatur, vel quamprimum matrimonium contrahatur.

C. *Ut honesto modo peragatur* et occasio peccandi avertatur, procatio effectivis cautelis moderanda est, cuiusmodi sunt:

1) ut adamantes sub eodem tecto non habitent, saltem diu, ob maximum periculum ex nimia consuetudine et familiaritate oriundum;

2) ut quamprimum obtineant consensum parentum (vel eorum qui ipsis loco parentum sunt) : si enim invitis vel insciis parentibus se frequentent, clanculo se invisuri sunt cum magno periculo;

3) ut non solus cum sola versetur in locis a conspectu aliorum remotis, vel tempore nocturno; id enim si non fortuito sed consulto fiat, nonnisi ex causa libidinis aut cum summo periculo fiet. Haec est summi momenti cautela, ita ut obligatio parentum (praesertim matrum) sedulo invigilandi hac in re a confessariis tamquam gravis satis urgeri nequeat, non solum ratione conscientiae, sed et timore ne filiae corruptae in paterna domo dehonestatae consenescant;

4) ut visitationes non nimis frequentes aut protractas habeant, quae familiaritatem et passionem pariunt. Quod aestimatione prudentum est diiudicandum : generatim semel vel bis in hebdomada per unam alteramve horam immodicum non est; et immodica etiam tolerari potest si timor sit ne prosperae nuptiae amittantur, dummodo cautelae rigidiores serventur;

5) ut omnia vitent quae periculum augere possunt, praesertim *impudicos* tactus, amplexus et oscula. Quod maxime inculcandum post inita sponsalia, aut instante matrimonio, cum sponsus sponsam ut suam respiciat, imaginatio matrimonii brevi secuturi libidinem commoveat et timor praegnationis evanescat;

6) ut spiritualibus subsidiis speciali modo se muniant, praecipue frequentatione Sacramentorum.

D. *Adamantibus et sponsis licita sunt* amplexus, oscula

et tactus *honesta,* ad manifestandum et fovendum amorem, iuxta morem patriae; non tamen oscula vel amplexus pressi, saepius repetiti et per notabile tempus protracti, quia ordinario constituunt periculum proximum peccandi, scii, consentiendi delectationi venereae. Et sicut honestus est amor sponsorum, ita et *delectatio sensibilis* quae ex illo et eius manifestatione sequitur, dummodo non sola intendatur propter se, sed ob alium honestum finem : amorem fovendum aut benevolentiae signum. Quodsi delectatio *venerea* forte oritura sit, sufficiens adest ratio illam permittendi, modo excludatur consensus in eam. Qui tamen in his demonstrationibus magis imminentem pollutionem sentiat, demonstrationem tunc suaviter interrumpere debet, si commode facere possit.

E. *Sponsa maxime hortanda est* 1) ne quidquam permittat quod coniugio reservatum est, tum ut suae dignitati, tum ut felicitati matrimonii consulat. Nam a) si sponsus insolenter agat cum puella, qua reverentia, urbanitate et moderatione se geret erga uxorem subditam? — b) secus brevi fiet ut sponsa iam ita sit in potestate sponsi, ut optionem frangendi sponsalia aut relationes iam non habeat; — c) nuptiae iam minus amabiles erunt pro viro, si ante matrimonium quodammodo satietur; — d) quo magis ante nuptias carnalis libido foveatur, eo minus propter nobiliorem affectum iungentur;

2) ne manifestationes amoris *nimis liberas* aut *nimis multas* admittat, nec a fortiori eas sollicitet : noverit a se facilius quam a iuvene sine commotione carnali plura exerceri posse; unde timeat peccato sponsi cooperari. Non peccat tamen si *moderate* admittit oscula quae exterius honesta sunt, quamvis intentionem minus bonam suspicetur : soli enim actioni exteriori, non internae intentioni consentit [1].

F. *Si procatio sit aliquibus occasio proxima peccandi,* debent :

1) illam *abrumpere,* si absque gravi damno possunt praesenti matrimonio renuntiare et alius matrimonii *aequalis* valons occasionem expectare : tunc enim occasio peccati voluntaria est;

2) illam *emendare,* si sine peccato vel sine gravi damno illi matrimonio renuntiare nequeunt : v. g. ob sponsalia, prolem legitimandam, graves lites vitandas, aliud conveniens matrimonium vix sperandum. Tunc enim occasio moraliter ne-

[1] Cfr. Vermeersch, *De Castitate,* p. 297-298.

cessaria est. At tunc matrimonium quamprimum contrahant, et interea solitarie *nunquam* degant; quem in finem puella matrem aut sororem roget ut amasio praesente nunquam discedat;

3) ad tempus illam *suspendere,* vel saltem diminuere notabiliter, si spes matrimonii sit omnino remota, (v. g. post mortem parentum); tunc enim occasio non est hic et nunc necessaria et separatio temporalis est imponenda.

VII. De castitate et vitio pollutionis. — luvenes utriusque sexus frequenter *vitio pollutionis* seu solitarii peccati contra Sextum sunt subiecti, aut periculo illud contrahendi exponuntur; quapropter confessarius advigilet ut adolescentes ab eo praeserventur, aut si contraxerint, illud extirpent.

Confessarius eis inspiret : firmam spem et persuasionem certae victoriae, — odium vitii, — voluntatis robur acquirendum per firmam et fortem rationem agendi, — moderatas mortificationes, — propositi renovationem, — fiduciam ita ut non se existiment statim consensisse, — adspirationem vitae idealis, — atque confessionem post lapsum immediate instituendam, quantum possibile apud eumdem confessarium.

Sedulo inquirendum est de tempore ex quo vitio dediti sint, de corporali eorum complexione, et de peccati circumstantiis.

Quantum autem ad causam vitii, omnino notare oportet :

1) Sunt iuvenes utriusque sexus, qui, habitu pollutionis irretiti, aut ob corporis complexionem nervosam vel sanguineam, vehementes tentationes experiuntur, et quamvis resistant et orent, nihilominus polluuntur. Sciant pollutiones quas vere inviti patiuntur, sine peccato esse.

2) Sunt iuvenes qui primum tentationi resistunt, deinde vero, si tentatio urgere pergat, ei cedere solent, putantes frustraneam esse resistentiam. Hi animandi sunt ad ulteriorem resistentiam : mox enim forsan secutura erit pollutio quae, utpote praeter voluntatem secuta, inculpabilis erit.

3) Tandem inveniuntur alii qui, decumbentes in lecto, vehementes tentationes carnis patiuntur, quibus si positivam resistentiam opponere pergant, obdormire nequeunt. His suadendum est ut, implorato divino auxilio, et elicito dissensu, tuta conscientia passive se habeant, quidquid evenerit (S. Alphonsus, Th. M., l. V, n. 9).

•4) Rarius inveniuntur abnormales, qui caeco et quasi insuperabili impulsu ducuntur ad pollutionem sibi active procurandam; de quo casu, qui maiorem requirit prudentiam, dicetur in q. 5.

VIII. Animadversiones. — A. < Quod ad poenitentias iniunqendas aut consulendas spectat, utiliores adolescentibus sunt illae quae iuvant ad bonam consuetudinem inserendam vel malam extirpandam,

v. g. 1) ut preces matutinas et vespertinas ad tempus bene persolvant; vel 2) ut examen vespere per octiduum faciant; vel 3) ut missae sacrificio (per dies aliquot) devote intersint illudque offerant ad certam virtutem consequendam vel vitium extirpandum; 4) si potui sunt detiti, ut proxima hebdomada (vel mense) popinam non adeant, cum sociis his vel illis non conversentur, vel ut aliquot diebus in honorem Christi vel B. V. aut angeli custodis vel sancti extra tempus prandii et coenae nihil comedant vel bibant; 5) si lusui sunt dediti similiter abstineant per tempus; 6) si sunt dediti otio, ut proximis quindecim diebus per horam mane, et per horam a prandio studeant; legant serium librum aut spiritualem, adeant imaginem B. V. in suo cubiculo appensam petantque per eius intercessionem gratiam tempus tam pretiosum ex meritis Christi concessum ad salutem operandam bene impendendi; 7) si sunt négligentes in rebus divinis, ut per aliquot hebdomadas nunquam absint a cathechismo, concione, sacro etc. Et similiter procedendum in aliis consuetudinibus (Reuter, *Neo-confessarius,* n. 108).

B. Cum nostra aetate omnes cuiusvis conditionis homines curiosa inquirere et legere velint, omnes hortandi sunt, ut *bonos* libros legant, *honestos* qui licite recreant, *serios* qui utiliter instruunt, maxime *pios* qui ad virtutem et devotionem inducunt; insuper a legendis malis scriptis, diariis, ephemeridibus, sive obscenis sive impiis, omnino abstineant, praesertim quae fidem catholicam aut omnem religionem impugnant.

C. Illis qui ad universitatem pergunt vel in officinis industrialibus laborant, commendandae sunt studentium aut operariorum catholicorum associationes, quibus Christiana eorum vita protegatur; ac etiam summi momenti est ut iuvenes isti habeant pium et doctum sacerdotem cui fideliter exponere possint non solum animi sui motus et tentationes, sed etiam difficultates et obiectiones, quas audierint contra fidem, ad illas diluendas. Atque etiam, prudenter edocendi sunt de periculis, si quibusdam exponantur, quantum ad castitatem, et, si necesse sit, de pertinentibus ad vitam sexualem.

D. Iuvenes praesertim interrogandi sunt de pravis cogitationibus, de indecentia in locutionibus, de otio et modo tempus terendi, de dilapidatione pecuniae, de vanitate in vestitu, etc. Hortandi sunt ut horrorem concipiant nimiae familiaritatis aut aspectus morosi alterius sexus, ac omnis turpiloquii; imo ut socios carpant et fugiant qui sermones de rebus inhonestis miscere et secreti colloquii occasionem capere velint. Quare, exceptis probatissimis, potius tres quam duo tantum simul ambulent et ludant.

QUAESTIO QUARTA

De Viris et Mulieribus

I. Momentum confessionis virorum. — Regulariter, in ministranda Poenitentia, *viri* praeferendi sunt mulieribus, tum quia saepius maiora commiserunt peccata et magis indigent

confessione, tum quia fructuosiores sunt eorum confessiones utpote qui maiore reflexione et constantia sunt praediti, tum quia, si in Christiana vita instituantur et conserventur, melius bonum erit, quod latius patet et maioris est efficaciae. Hinc maior cura iis quam piis mulieribus est impendenda, utpote necessaria magis ac utilis; praesertim iis qui de pietate non sunt multum solliciti et raro confitentur, de quibus in praesenti specialiter dicemus

Nostris autem temporibus dolendum multos viros, in maioribus urbibus praesertim et regionibus industrialibus, et ex omnibus fere ordinibus, a sacramentorum frequentatione et religionis exercitio abalienatos existere. Cuius mali complures sunt causae :

1) plures immerguntur ita in rebus materialibus et temporalibus ut animum ad altiora attollere vix possint;

2) dein mores existunt depravati, quos multi emendare nolunt aut se posse desperant, unde fit ut a sacramentis Ecclesiae se excludant;

3) denique ipsa fides languet vel etiam extinguitur, quae est radix omnis vitae christianae morumque honestatis. Quam fidei iacturam praeparant et faciunt :

a) sciendi curiositas, superbia, et omnimodae libertatis et dissolutionis nisus qui aegre fert subiectionem quamlibet;

b) cupido legendi impia et irreligiosa, atque usus conversandi cum incredulis qui iam inveniuntur non solum inter homines cultos sed et inter ipsam plebem;

c) voluptates et luxuria quae late admodum patet et omni pudore deposito in publicum prodit, imo palam laudatur vel iam non pro vitio reputatur aut ab ipsis medicis consulitur;

d) labores immoderati sive ex necessitate ad sustentationem, sive ex immoderata siti bonorum temporalium, sive ex parte nimia vitae publicae aut sociali data, qui tempus ad cogitanda coelestia et ad pietatem non relinquunt.

II. Modus agendi cum viris. — Ut praedictis malis remedium praestetur : 1) curandum ut viri expectare non cogantur, ne scii, abeant et reverti amplius nolint, imo si possibile sit, eos prius quam feminas audiat confessarius, quia magis impatientes et occupati; unde timendum ne abeant, dum feminae facilius redeunt;

1 Cfr. Reuter-Lehmkuhl, *Neo-conf.*, n. n8 a ct b; Frassinetti, *Th. M.*, diss. IS, § 2; Berardi, *Praxis conf.*, η. ıï34 et 1083.

2) excipiendi sunt laeto vultu et affectuosa affabilitate, ita ut intelligant confessarium libenter eorum confessionem audire, etiamsi sint inferioris conditionis;

3) regulae perfectionis (exceptis viris religiosis aut valde piis) non sunt iis suggerendae; sed potius confessarius totus in eo erit ut magnum contra peccatum mortale horrorem concipiant et muneribus proprii status satisfaciant;

4) erga ipsos maiori indulgentia et omni bonitate possibili procedendum est, denuntiando iis dumtaxat obligationes de quarum existentia dubitari nequeat, sincere tamen, imo omnino firmus et inflexibilis sit confessarius si agatur de fuga occasionis voluntariae et proximae, de onere restituendi, et de propriis officiis; nimia bonitas in hoc esset crudelitas;

5) non sunt increpandi asperisque modis obiurgandi, sed potius paterna obsecrandi charitate, ex quo fiet ut, si confessarius omnino aliquid exigat, intelligant eum ex necessitate officii et ex vera charitate agere, ac aliter facere non posse, ad eorum bonum;

6) uno verbo curandum est ut contenti maneant; unde sic ad redeundum alliciantur, idque maxime si sint magni peccatores, aut si raro ad sacramentum accedant.

III. Consilia specialia. — *Speciatim* a) insistendum est ut viri matrimonio iuncti curam familiae vitaeque domesticae non negligant, sed hanc obligationem ut praecipuam habeant;

b) non tamen inter parietes domesticos includantur, ne a rebus publicis abstineant, praesertim boni catholici; sed ii adhortandi sunt, quantum possibile est, ut coetus ineant ad defensionem religionis et ordinis socialis;

c) attendendum est quid legant et quos frequentent, ita ut consortium cum impiis declinent et a pravis libris aut foliis avertantur, cultiores ab illis quae liberalism! et indifferentismi spargunt errores, plebei a scriptis socialisticls; imo boni libri aut diaria iis prudenter commendanda sunt.

IV. Periculum in confessionibus mulierum [1]. — Nemo inficiatum ibit omnium scopulorum quos in hoc saeculo adire potest sacerdos, nullum esse magis luctuosum et periculis plenum; unde omnes auctores theologiae moralis, asceticae vel pastoralis et quotquot scripserunt pro sacerdotibus ministerio sacro deditis, insistunt relationibus confessariorum

1 Cfr. Reuter, *o. c.,* n. 110-113; S. Alphonsus, *Pr. Conf.,* n. 119-120; Fraissinetti, *Th. M.,* diss. 15, § 3; Berardi, *Pr. Conf.,* n. 1135 et 1083; Aertnijs, *Th. P.,* n. 139-143.

ct poenitentium sexus feminei debite regulandis. Cuius rationes sunt :

1) Indoles feminea : a) ordinario mulieres vivida imaginatione ac sensibilitate praeditae, minorem rationem ac voluntatem manifestant, unde sunt sensibilibus commotae, inconsideratae et inconstantes; curiose inquirentes et multum loquentes; magis inhaerentes minutis circumstantiis quam solidis et immutabilibus principiis; facile querelas moventes et multa, etiam quin sciant, exaggerantes; b) natura debiliores et propria de infirmitate consciae, finem suum assequi tentant variis artificiis, diverticulis ac insinuationibus, miraque cum patientia; c) propter virum factae, et ipsi naturaliter subditae, facile ei subiiciuntur, libenter eius societate gaudent, illum naturaliter quaerunt, maxime autem sacerdotem aut religiosum vel quia alii mulieri non addictus, vel ex vanitate quia consideratione gaudet, vel quia character generosus eius vocationis allicit; quodsi aliquem ament, facile amor in vehementem passionem transit; d) ordinario minus depravatae quam viri, peiores evadunt feminae si corrumpantur, quo casu magis insaniunt et multo sunt periculosiores.

2) Hinc primum periculum timendum est nimia erga feminas fiducia : non facile credendae sunt in earum querelis et lacrimis, sed potius hortandae ad patientiam, nec audiendae in iis quae de aliis dicunt, nec ob ipsis magis est postulandum quam publice repeti possit, nec insidiosis quaestionibus respondendum quibus ideas, gestus et praesertim fragilitates nostras cognoscere student, maxime facta quae respiciunt clerum aut Ordinem religiosum.

3) Periculum gravius est affectio erga eas nimia aut inordinata. Rarae sunt feminae quae occasionem huic non. praebent, quam saepius sine prava intentione, aliquando etiam malitiose provocare solent :

a) Multae sunt quae, multiplicatis bonitatis signis et tenerae attentionis, sacerdoti se devovent, quibus affectio earum nutritur et augetur, et a quibus socerdos non semper manet immotus; quodsi aliquatenus cedat, facile oritur tentatio periculosa quoad personas quibus frequentius et intimius conversatur, maxime dum adsit in istis personis formositas.

b) Aliae ex quadam indigentia ut ament et amentur ductae, de industria quaerunt affectionem provocare sacerdotis; erga quas opportunum erit summam adhibere vigilantiam, insuper eas, pro posse, edocere ut aspirationis satisfactionem

quaerant vel in altiore erga Christum amore, vel in legitima unione coniugali.

c) Aliae denique impudentes, idem ex malitia intendunt, quae noscuntur levioribus et nimis liberis actibus ad quos ordinario devenerunt propter imprudentes concessiones sacerdotis. Istas oportet irrevocabiliter recusare, quia ipsis sacerdos iam nullum bonum procurare potest; unde sibi quaerant alium confessarium, quem ceteroquin facile invenient.

Quamvis itaque eximiores sint quaedam mulieres quae, virtute spectatissimae, etiam supra viros erigantur, rarissimae tamen sunt tales mulieres fortes, rariores adhuc omnino tutae, quae nulli periculo causam praebent : omnes enim sumus fragiles ac lapsum timere possumus; unde nec aetas nec virtus, nec maxima perfectio, nec habitus religiosus possunt esse legitima ratio severas cautiones relinquendi.

V. Modus agendi cum mulieribus. — Itaque confessarius, iunior praesertim, si sit consideratus et prudens, periculum istud non potest non pertimescere. Qui timor sanctus ipsi pro custodia erit. Sequentia autem media adhibebit qui periculum timet.

1) Qui periculum timet assidue fervideque auxilium divinum flagitat, suumque ministerium exercendo cor suum saepius ad Deum attollit ad conservandam illam animi tranquillitatem, imo quasi insensibilitatem et indifferentiam nunquam satis existimandam, ne erga mulierem concipiat affectum qui ruinosus esse potest et tam facile subintrat, maxime inter iuvenes.

2) Qui timet periculum, oculos custodit nec illos unquam iniicit in accedentes aut recedentes poenitentes, nec istas fixo aspectu considerat. Nonnulli omnes poenitentes statim cognoscunt...; beati qui nullam cognoscunt nisi forte aliquam extra confessionale quis alloqui *debuerit :* signum erit quod cor et oculos apprime custodierit.

3) Qui timet periculum, non utitur locutionibus nimis familiaribus aut blandis verbis quae affectum sensualem redolent vel passionem suscitant, sed modeste, serio, ac reverenter omnino poenitentes alloquitur, — etiam si talem observantiam non expectent, — in iis respiciens solam imaginem L C. eius sanguine redemptam. Sermo cum feminis, ait S. Bernardus, sit (etiam in confessione) *rarus.* non nimis frequens; *brevis,* de rebus scii, necessariis, ita ut etiam in consiliis spiritualibus brevitati studeatur et simplicitati; et

austerus, ut paterna cum gravitate semper procedatur atque expressiones nimiae teneritatis et levitatis omnino evitentur.

4) Qui periculum timet, rectitudinem ac magnam puritatem intentionis habet, ac aditum cordis severe praecludit teneris affectibus, etiam si provocentur praeclaris animi dotibus vel singularibus virtutibus quae in una alterave relucent; imo erga tales maiori advertentia opus est, quia periculum est maioris adhaesionis, et spiritualis amor solet limites debitos transgredi : sanctitas enim, ut experientia probavit, hallucinationibus ansam saepius praebet.

5) Qui timet periculum, in certis materiis quam purissime interrogat : contentus si speciem peccati cognoscat eiusque causas et occasiones, de modo non inquirit curioso.

6) Qui timet periculum, cavet ab omni cum feminis amicitia et familiaritate illasque, etsi pluribus annis audiat, tamquam extraneas habet, domi non invisit, nec permittit eas ad domum suam venire colloquendi gratia. Si enim sit iunior est vigilantia opus; si senex, ut aliis sit exemplum, nec etiam tunc semper abest periculum.

Has adhibendo cautiones poterit confessiones audire quin in sancti ministerii exercitio ullum casum lugere debeat, cum gratia Dei.

VI. Speciatim cavenda.— 1) Meminerit Eccli. XLI, 15 : « Curam habe de bono nomine », ut non solum sit castus, sed curet haberi ut talis, procul ab omni suspicione conscientiae minus purae, exemplo Christi qui contra castitatem numquam passus est sibi quidquam obiici; — quodsi extra confessionem poenitentes suas videre oporteat, circumspecte agat, solus cum sola secreto non sedeat, nullius manum tangat, nec suam ab ulla tangi permittat.

2) Caveat insuper ne videatur aegre ferre si poenitentes ad alium confessarium divertere contigerit : id enim ex inordinato affectu procedit et occasio esse potest confessionis sacrilegae. Quapropter si poenitens manifestat desiderium alium adeundi, congratuletur ipsi sacerdos, nisi forte confessarium noverit minus idoneum; quo casu curet ut ad alium, cui ignota est, accedat. Quodsi alium ipsa adierit, non interroget confessarius de tempore quo ultima vice confessa sit; in his scii, totalem indifferentiam servet.

3) Quando accedit poenitens inconsueta, non ostendat se eam cognoscere; quodsi semel vel altera vice fiat, nihil quaerat; si autem ageretur de stabili confessarii mutatione, inquirenda essent motiva, utilis consilii dandi causa.

4) Caveat confessarius omnem inter varias poenitentes partlalitatem.

5) In personis mundanis, ut corrigantur, attendendum est ad peccata sibi propria, praesertim si sint vel putent se esse melioris conditionis. « Quaedam magni diei partem comendo corpus et fucando faciem litant

superbiae aut vanitati: stant ad ostium et templum frequentant ut videant et videantur, laudari et honorari appetunt; aliis laudem et honorem invident iisque detrahunt, sectantur luxum in vestibus, pectus gestant nudum, amant visitationes, tempus ludendo et confabulando... perdunt, mane in plenam diem vertunt, divina negligunt, aut tantum ultimo sacro interesse volunt. Idolum earum est commoditas et mundus muliebris » (Reuter, *Neo-Confessarius,* n. 111). Quodsi tales sint coniugatae, invigilantes erunt magis vanitati quam rei domesticae et proli educandae; quibus *firmiter* sunt exponendae obligationes status et media emendationis praescribenda.

VII. De viduis notat Aertnijs, Th. P., n. 143, q. 2. : Confessarius : « 1° quantum in ipso est, det operam ut castitatem custodiant. Si conatus esset irritus, impellat eas ad secundas nuptias. 2« Hortetur ut familiam diligenter administrent, filios suos in officio contineant, integramque servent auctoritatem suam. 3° Illas, quae honeste se gerunt, et a secundis nuptiis abstinere decreverunt, in suo proposito confirmet; ideoque moneat eas ut quemcumque expetitorem *statim* abnuant, omnemque familiaritatem cum altero sexu caveant, nam secus propositum brevi evanesceret. 4° Matronas divites avertat a vita otio, vanitati, et deliciis dedita; excitet vero ad pietatis charitatisque opera factitanda ».

QUAESTIO QUINTA

De Abnormalibus

I. Varii status pathologici. — Causae in hodiernis temporibus nervosae agitationis non raro occurrentes, quae plus minusve humanam libertatem impediunt et vitam moralem, sunt *status pathologici* seu *morbi animi,* qui ita dicuntur, non quod anima seu spirituales facultates in se aegrotae esse possint, sed quia, propter male affecta corporis organa, in specie centra cerebri, et facultates sensitivas, in actione impediuntur transitorie vel permanenter. lamvero, qui tali statu morbido laborant, solent vocari *abnormales.* Hi secundum diversa distinguuntur genera, iuxta diversos eorum morbos, quorum praecipui hic numerantur [1]:

[1] De his solent theologi tractare in doctrina de actibus humanis. Praecipua desumpsimus ex Vermeersch, Prümmer et Tanquerey; etiam optima habet Salsmans in opere *Geneeskundige plichtenleer;* et in articulo: *Abnormalen in den biechtstoel,* in *Pastor Bonus,* Aug. 1927. — Praeterea conferri possunt: P. Janet: *Les Obsessions et la Psychasténie,* les *Névroses; Névroses et idées fixes;* Dr Raymond: *Névroses et Psychasténie;* Rauh et Revault: *Psychologie appliquée à la morale;* Ribot: *Les maladies de la volonté;* GrasKet: *Demifous*

1) *Phrenisis,* in qua falsa proferunt aegroti iudicia quae radicitus insanabilia sunt, quia perpetuis vel temporaneis hallucinationibus decipiuntur, aut perturbatas habent consociationes imaginationis, ita ut eorum vita psychica vitae somniantium aequiparari possit. Hinc in delirio (etiam si sit monomania, seu hallucinatio ad unum argumentum circumscripta) liberi non sunt; per deliriorum intervalla nihil *per se* libertatem impedit.

2) *Obsessio* mentem ita occupat ut obsessus quibusdam rebus cogitandis aut faciendis adstringatur. ludicium practicum satis turbat, ut saepius levi tantum culpae locus relinquatur, et vix in illis possit dari peccatum mortale. Sed, praeter obsessiones perpetuas, aliae sunt quae in quibusdam tantum adiunctis gignuntur; unde extra statum obsessionis, tenentur infirmi praecepto de fugiendis occasionibus morbidae excitationis ad inhonesta patranda, et si id libere violent rei sunt.

Ad obsessionem reducuntur phobiae, ideae fixae, scrupuli intensiores [1].

3) *Impulsus caeci* seu *propensiones invincibiles* in statu morbido esse possunt, sive immediate obtineant actum aon

et demiresponsables; Psychisme inférieur; La responsabilité des criminels; Axenfeld et Huchard: *Traité des Névroses;* Pitres et Regis: *Les Obsessions et les Impulsions;* Van Velsen: *Hypnotisme, suggestion, psychothérapie;* Francotte: *La raison et la folie* (Rev. des Q. scient, d. 27); Vigouroux: *Traité de médecine, t. III;* Dubois: *Les psychonévroses et leur traitement moral;* Père Raymond: *Le guide des nerveux et des scrupuleux;* Eymieu; *Le gouvernement de soi-même* (vol. 2); Surbled: *La morale dans ses rapports avec la médicine et l'hygiène,* t. III; Boule: *Questions de responsabilité* (N. R. Thél. 1910); D'Agnel *et* d'Espiney: *Direction de conscience et Psychotérapie des troubles nerveux;* Capellmann-Bergmann: *Pastoralmedesin* (lat. et gai. vers.); Familler: *Pastoral-Psychiatrie;* Bessmer: *Storungen in Seelenleben; Die Grundlagen der Seelenstôrungen; Seelische Helfe ei Nervenleiden; Die Krankhaften Hemmnisse der Willensfreiheit* (in Stimmen); Schloss: *Propädeutik der Psychiatrie* (gall, vers.); Huber: *Die Hemmnisse des IVillensfreiheit;* Krieg: *Die IPissenschaft der speziellen Seelensorge;* Rômer: *Psychiatrie und Seelesorge* (optimum opus quamvis auctor sit protestans); Weber: *Zwangsgedanken und Zzvangszustande in pastoral-psychiaticher Bcurleilung;* Tummers: *De nieuwere richting in de strafwetenschap;* Van der Hoeven: *Psychiatrie* (ubi aliquando sunt conceptiones positivistac); Roels: *De Psychologie van den zeil;* Schimm Van der I,oeff *en* Harnhoorn: *Zielsziekten en hunne verpleging;* Antonelli: *Medicina pastoralis;* Gemelli: *De scrupulis, psycho-pathologiae specimen;* etc. etc...

1 De remediis et educatione contra obsessionem et phobias. Cfr. Prümmer, *Th. M:,* I, n. 95; et Vermeersch, *Th. M.,* I, n. 85

deliberatum, sive frustraneam resistentiam vincant, ita ut actus nihilominus eliciatur. Hinc alii sunt mere *mechanici* seu *motivi,* qui saepe sunt sine affectu, ut v. g. apud idiotam; — alii *psycho-mechanici* vel etiam *mere psychici,* qui fiunt cum distinctiore perceptione et fortiore affectu, ac saepe relinquunt partialem libertatem.

Omnes supponunt personam suggestibilem, nam passiva eius docilitas pendet ab intensitate cuiusdam phantasmatis quod motum insuperabilem sat facile gignit. Ita alii noscuntur ad mendacia, alii ad internas blasphemias, alii ad suicidium aut homicidium proni, alii ad furta, ebrietates vel incendia prout cleptomania, dipsomania, pyromania laborant; quibuscum tamen non sunt confundendi qui ex habitu sunt fures, ebriosi, mendaces, etc. : hi enim profecto non sunt abnormales, sed peccatores ex malitia.

Non facile dignoscitur utrum impulsus sint vere irresistibiles, sed ex omnibus adiunctis diiudicandum est utrum solummodo minuatur an tollatur libertas. Ultimum facile supponi potest a) si actio naturali concupiscentia explicari nequeat, b) si post actionem malam animus quietus et contentus manserit, c) si aliquid fiat quod quis ceteroquin omnino abhorreat; — non tamen semper tollitur libertas. Unde applicari possunt quae in Tr. de Actibus humanis traduntur de violentia, de metu et de concupiscentia.

4) *Abulia* reddit voluntatem impotentem ad volendum efficaciter quod exoptatur, sive otiosa maneat, sive quasi invita, contra iudicia practica sua, quaedam quaerere vel fugere cogatur. In 1° casu, infirmus saepe a quibusdam positivis officiis excusatur, quia libertas ad minus satis diminuta est; in 2° casu valent dicta de impulsibus.

Abulia tamen quandoque non est universalis, sed ad quosdam actus aut certa tempora limitatur. Insuper potest esse voluntaria et libera in causa, quando quis scienter et libere hunc statum induxit, v. g. sine sufficienti ratione voluntatem constanter abdicando.

5) *Neurasthenia* est status pathologicus.consistens in fatigatione habituali systematis nervei ex causa organica aut psychica, in quo nervi apparent debilitati et exhausti, ita ut agens, quamvis sui compos, maxima inconstantia laboret, multumque physice et moraliter deprimatur. Quare minuitur, quin tamen tollatur libertas. Hinc infirmi satis facile excusari possunt, quando, taedio cedentes, praecepta quaedam positiva, praesertim mere ecclesiastica, tamquam nimium onus.

negligunt. *Per se* tamen peccare existimandi sunt si, prae tristitia, quaerant turpes delectationes ad quas morbus ipse non impellit.

6) *Hysteria,* quamvis de eius causa disputent, etiam secum fert deordinationem et pertubationem nervei systematis, sed multo graviorem quam neurasthenia, quae in ingenti suggestabilitate morbida consistit, ex qua sensibilitas minuitur aut ad tempus extinguitur in quibusdam corporis partibus *(anesthesia)* dum in aliis multo intensior redditur *(hyperesthesia);* nascuntur quoque corporis motus plus minusve deordinati, necnon vividae hallucinationes aut vehementes passiones quae valde instabiles sunt, liberumque voluntatis exercitium, sicut rectum iudicium et sensum moralem, valde praepediunt. Unde in praxi, nonnisi ex omnibus circumstantiis, et ipsorum hystericorum declaratione, cognosci potest quanta libertas in ipsis maneat. Agitatio tamen hysterica *(crise, accès de grande hystérie)* cum gravi reatu componi nequit.

7) Gravior adhuc est *epilepsia* larvata seu recondita quae ad varia mira, turpia, atrocia patranda impellit : ad iniuriam inferendam, blasphemias, turpia colloquia, percussionem, homocidium, etc.; non quidem constanter, sed interpositis longioribus intervallis, quin infirmus horum omnium memoriam retineat. Agitatio seu crisis epileptica certo cum gravi reatu componi non potest. Sed extra furorum tempora mens est sana et perfecte libera; nisi aliquando accedat transitoria perturbatio psychica

Praedictae perturbationes omnes, etiam si affectum aut voluntatem afficiunt, originem trahere videntur ex obnubilatione aut diminutione cognitionis intellectualis.

II. Signa conjecturalia invincibilis inclinationis, quibus plus minusve dignosci potest an ineluctabili inclinationi quis cederit, desumuntur *ex variis circumstantiis,* praesertim *simul sumptis :*

1) si pluribus vicibus et quasi instinctive et velociter ad modum meri instrumenti actionem quamdam posuerit, sine ullo proprio commodo, sensibili delectatione aut satiatione vilis instinctûs;

2) si egerit ex nervosa quadam anxietate seu inquietudine

1 De hypnotisme non instituitur sermo, quia non est morbus, sed phaenomenon causa extrinseca inductum.

quae, actione peracta, statim decidit et quiescit; dum e contra in statu tranquillo et quieto ita numquam agat;

3) si sincere, et sine ulla dissimulatione, miretur propriam operationem, ac se sponte conscium affirmet quod sub impulsu cuiusdam violentiae egerit;

4) denique si haereditaria labe videatur infectus, qua scii, etiam parentes vel consanguinei eadem pathologia videantur laborare.

Speciatim, in materia castitatis et luxuriae, abnormalis aliquando datur propensio quasi invincibilis ad sexualem delectationem, nempe *hyperesthesia sexualis* seu *erotismus,* qui pro diverso sexu vocatur : satyriasis aut nymphomania. Cuius diversae species numerantur [1] :

a) *propensio* vehementissima *ad pollutionem* sibi procurandam, praesertim apud quosdam iuvenes utriusque sexus;

b) *exhibitionismus* seu inclinatio ad exhibendas in publicum venereas partes aut operationes, omni pudore relicto;

c) *homosexualitas* seu uranismus, i. e. perversa inclinatio ad eumdem, et quasi insensibilitas ad alterum sexum;

d) *perversio sexualis,* qua delectatio procuratur venerea ex iis quae eam procurare non sunt nata. Quae manifestatur in *sadismo,* quo violentias et cruciatus inferunt aliis ad delectationem sexualem sibi procurandam; — in *masochismo,* quo e contra, intuitu eiusdem delectationis, violentias et cruciatus subire volunt; — in *fetischismo* quo libido excitatur visione vel imaginatione rerum indifferentiarum (capilli, calcei, panni, etc.) quas mens consociatas concipit rebus sexualibus : cui medendo oportet illam consociationem disrumpere et, pro posse, e memoria delere.

III. Quoad imputabilitatem et responsabilitatem, non audiendi sunt Deterministae et Criminalistae, qui omnes fere malefactores ut aegrotos irresponsabiles habent, nec multi medici aut Psychiatriae cultores, qui nimis facile negant libertatem actionum et imputabilitatem. Sed e contra, meliores inter eos affirmant non solum libertatem generatim non extingui, verum etiam in corpus, non obstante huius nativa propensione, maximum ab anima exerceri influxum; qui proinde in morbis mentalibus curandis suggestionem seu persuasionem moralem solent adhibere, imo et beneficum influxum sacerdotis agnoscunt. Insuper, pro maiore parte homines sani sunt, non abnormales; hi ultimi constituunt exceptionem.

Hinc pro praxi notetur :

1) abnormales perfecte liberi manent relate ad alia in quibus abnormales non sunt;

1 De quibus conferri possunt nostrae *Quaestiones de Castitate et Luxuria,* p. 99-102.

2) in iis circa quae abnormi affectu laborant, saepe libertas et imputabilitas est attenuata et diminuta, non tamen ita ut semper mortale fiat veniale;

3) generatim tamen non extinguitur libertas; quaproter id non est supponendum, sed e contra praesumitur adesse libertas sufficiens;

4) etiam si libertas valde imminuatur aut extinguatur, id potest esse et saepius est voluntarium in causa : quo enim magis conscii sint de invincibili propensione, eo magis occasiones et circumstantias fugere tenentur morbidae excitationis qua ad inhonesta feruntur;

5) casu quo responsabilitas valde minuatur aut quasi extinguatur, id non est dicendum poenitentibus, quia augeret eorum concupiscentiam et ad actus magis temerarios induceret, ita ut iam sine ullo freno aut retentione ruerent in vitium·, resistere scii, desperantes, iam omnia sibi permitti putarent.

Quare imprudenter iudicant confessarii qui statim ex paucis indiciis ad gravem abnormalitatem et multo magis qui ideo ad inculpabilitatem concludunt et excusant; imprudentius adhuc agunt si, consolamenti causa, id talibus poenitentibus revelent.

Et ita praesertim in materia castitatis, relate ad illos qui habent complexionem extraordinariam *eroticam* (sive nativam, sive adventitiam ex lectionibus, spectaculis, vesanis amoribus), qua assidue premuntur libidine indomitae carnis, ita ut minima scintilla magnum producat incendium quod nonnisi expleta passione extingui solet, cogitationibus et phantasmatibus repleantur et vehementibus carnis tentationibus agitentur, ac finaliter in opus prorumpant. Tales

a) generatim et per se excusari non possunt, praesertim si ad opus pervenerint; nec etiam, si dubia sit eorum responsabilitas, possunt iis permitti praefatae commotiones et actiones, sub praetextu quod probabiliter non sunt peccata formalia : non enim licitum est se exponere periculo proximo consensus etiam dubii, sed peccatum formale certo modo est vitandum. Est scii, casus in quo systemata probabilitatis applicari nequeunt, sed via tutior est eligenda;

b) hinc, quoties saltem in opus proruperint, potius praesumendi sunt rei, et tunc regulariter non permittantur accedere ad sacram communionem sine praevia confessione;

c) praeterea, nisi media omnia naturalia et supernaturalia diligenter adhibeant, caste vivere non valent;

d) unde confessarius eorum misereatur, eosque paterna sollicitudine et magna cum patientia adiuvet; ideo animos illis addat ad luctandum, urgeat eos ad sedulo fugienda omnia pericula castitatis, ad frequenter orandum et bonum propositum resistentiae renovandum, ad frequentationem sacramentorum, ad mortificationem in cibo, potu et somno, ad adhibenda quoque alia media physica aut certas medicinas;

e) generatim benignus sit erga illos in concedenda absolutione, etiam si sint recidivi, propter eorum fragilitatem intrinsecam; si tamen etiam essent occasionarii, rigidius tractandi essent ob proclivitatem eorum ad voluptates.

IV. Quoad curam et medicationem notandum : Qui gradu acuto abnormales sunt, simpliciter committendi sunt medico psychiatri fido et catholico; pro aliis confessarius ad sanationem persuasione rationali et suggestione conferre potest, ut scii, obsessiones, ideae fixae et impressiones nocivae paulatim minuantur et e mente deleantur. Ad quod, invocato saepius divino auxilio,

I) *fiduciam* excitet poenitentis : oportet enim ut iste sanari velit et intelligat id sui docili submissione et voluntatis educatione esse procurandum:

2) magna *bonitate* et simul inflexibili *firmitate* procedat;

3) *media* quaerat *indirecta* quibus mentem poenitentis a nocivis paulatim avertat et sanis ideis bonisque affectibus repleat. Ita v. g. agat ut abnormalis egoismus personae hystericae abstergatur, ad quod etiam consulat distractiones et delectationes honestas, nimia exercitia mortificationis prohibeat, opera misericordiae et charitatis erga proximum praescribat.

V. Animadversio de hystericis. — Cum confessarius etiam personas hystericas utriusque sexus audire debeat, oportet muniatur contra pericula et damna quibus exinde exponitur.

Ad quod utile erit signa distinctiva cognoscere, seu *hysteriae stigmata.* Quae symptomata quasi infinita sunt et semper variabilia, ita ut in hysteria nil constans videatur quam eius inconstantia. Praecipua autem signa tradimus ad quae alia reducuntur.

A. *Physiologice* hysteria est morbus mentalis qui triplici phasi manifestatur : la est scn.wif/o *globuli n ventre* ascendentis ad guttur, ubi sensum cuiusdam constrictionis producit; 2a est *nervosa crisis* cum clamoribus et destitutione sensuum; 3a est *anesthesia* vel et partialis paralysis.

B. *Psychologice* autem character distinctivus, ait Card. Mercier *(Psychologie,* n. 233) est mentalis *inaptitudo coordinationis syntheticae,* ac proinde *perpetua animi mobilitas et inconstantia abnormis.* « Mira quaedam mutatio affectuum laetitiae et tristitiae usque ad anxietatem, irritabilitas, pavor, amor, odium, quorum causae minime comprehenduntur, infirmos istos quam maxime molestos reddunt omnibus, qui cum iis agere debent ». Ita medicus Capellmann, *Medicina pastoralis,* de V« praec..

app. de hysteria; et Prümmer. Th. Mor., I, n. 96 : « Persona hysterica nunc exsultat mentis iubilo, postea propter futiles rationes tristatur usque ad mortem; hodie cum magna fiducia accedit ad confessarium vel medicum corumque mandata fidelissime observat, cras conqueritur de confessario et medico tamquam de hominibus sine corde et intelligentia ». Exinde :

1) Sub respectu *sensationis,* perceptiones ita ultra modum augentur et exaggerantur, ut et *hallucinationes* producant. « Exigui impulsus in nervos sensibiles, ait Capellmann (l. c.), ad vehemcntissimas eos promovent querelas de acerbis doloribus; phantasia iis simulacra proponit eosque in statum adducit, qui extasi et somnambulismo valde similis est. Non raro simulato religionis fervore excitatio libidinosa, crescens usque ad nymphomaniam, satis callide occultatur, ita ut circumstantes, imo ipsi medici clericique iuniores miserandum in modum fallantur. » E contrario, ita morbus aliquando aggravari potest, ut persona alias pudica omnem pudorem abiiciat et aperte tentet alias ad impudicitiam.

2) Sub respectu *consociationis,* imagines et repraesentationes tam vividae sunt ut habeantur pro realitate. Ex quo sequitur *defectus veritatis et veracitatis,* et quasi appetitus mendacii. « Qui defectus se manifestat tum in actionibus, tum in verbis. Persona hysterica decipit se. decipit alios, licet id non faciat semper scienter aut ex malitia. Hinc apud illam inveniuntur aliquando actiones, quae prima fronte consideratae apparent miraculosae, v. g. visiones coelestes, apparitiones diabolicae, ieiunium per complures hebdomadas protractum (clam autem ipsa manducat), imo et stigmata sanguinea in manibus, pedibus et latere. Haud raro etiam putida mendacia narrat hystericus de rebus et factis aliorum, imo pessime denigrat honorem confessarii » (Prümmer, l. c.).

3) Sub respectu *affectionis,* adest *egoismus exaggeratus,* seu *ingens propensio omnia ad se ordinandi,* ita ut omnes ipsi attendant. « In plurimis horum infirmorum exoritur studium indomitum commovendi misericordiam atque miserationem, sibi comparandi aestimationem et omnium oculos ad se convertendi » (Capellmann, l. c.); ex quo nascitur exigentia emotionum et vitae intensae cum periculorum discrimine. « Persona hysterica solet omnia ad seipsam referre. Quapropter continuo lamentatur, alios homines ipsam non satis considerare vel ipsam offendere multigenis iisque reapse futilibus rebus. Exinde etiam conatur, ut alii ipsi commisereantur. Magnam satisfactionem persentit, si alii homines eius dolores, angores, labores agnoscunt vel admirantur. Sin autem alii ipsam negligere videntur, tunc omnibus viribus, etiam exaggerationibus et mendaciis obtrudit se suumque statum. De proximo non curat, nisi propter egoismum. Hinc etiam saepe offendit proximum, non quidem factis gravibus, sed quasi ictibus acûs, ita ut cohabitantes aut saepe conversantes cum illa tolerare debeant multa incommoda. Uno verbo : persona hysterica, quidquid agit, quidquid patitur, omnia ad suum honorem aut utilitatem aut satisfactionem refert » (Prümmer, l. c.).

Ex quibus facile intelligitur quantopere oportet ut caveat ab hystericis clericus, monet sapienter Capellmann (l. c.), « ne fallatur rebus nonnunquam valde miris, neve fraude decipiatur ab istis infirmis valde callidis vereque pervicacibus ad ea, quae sibi proposuerunt assequenda. Infirmi isti, ut satisfaciant cupiditati suae fallendi, nec dolorem, nec laborem, nec molestias cuiuscumque generis recusant. Cum perversae cogitationes fraudesque. sive ab infirmis ut tales cognitae, sive non cognitae, saepissime ad fervorem religionis *piefatisque* spectent, clerico et praesertim iuniori saepius datur occasio, ut ab istis infirmis revera fati-

getur saepeque sero cognoscat, se melius iisdem nunquam operam praestitisse ». Imo, cum mendaces sint, non raro falso accusant alios de luxuria secum commissa; qua de causa sacerdos extra confessionem ne loquatur solus cum sola, ut calumniose accusari nequeat.

Notetur autem hysteria, praesertim paroxismo hysterico, rarissime quemquam mori; quapropter sacerdos, quoad sacramentorum administrationem, si persona quam scit esse hystericam crisi laboret intensiore, cautus sit oportet.

VI. Monitum. — Ex eo quod in foro civili, a crimine quidam absolvantur, non est concludendum ad absentiam omnis imputabilitatis et reitatis. Ius humanum non punit nisi eos qui certo rei *probentur* signis externis; insuper plura crimina puniri non solent nisi ab hominibus *integrae mentis* committantur, cuiusmodi certo non sunt qui morbo psychologico laborant. Qui in foro autem conscientiae nihilominus rei esse possunt.

QUAESTIO SEXTA

De Infirmis et Moribundis

I. De Sacramento Poenitentiae moribundis ministrando. — De moribundis ordinariis nihil speciale occurrit dicendum; solum spectandi sunt illi qui loqui non possunt et saltem apparenter sunt sensibus destituti. Isti hac ratione ab integritate materiali confessionis excusantur; sed in contritione aut eius sensibili manifestatione ac confessionis essentia possunt deficere, quae tamen sunt materia proxima sacramenti aut conditio sine qua non absolutionis.

De iis valet principium : eos absolute absolvendos esse si certo sunt dispositi, eamque dispositionem aliquomodo manifestaverint, conditionate quotiescumque aliquomodo, etiam tenuiter, probabile sit absolutionem iis esse profuturam.

Nam sacramenta sunt propter homines, et in extremis extrema sunt tentanda; unde in casu necessitatis extremae licitum est uti materia dubia et sacramentum exponere periculo nullitatis, dummodo aliqua, etiam tenuis, *probabilitas* adsit absolutionis validae et suscipienti utilis. — Non tamen sufficit mera *possibilitas,* cum in rebus practicis probabilitas, non mera possibilitas, attendatur; secus omnes essent rebaptizandi, et omnes sacerdotes rcordinandi, quia stricte possibile est Baptismum vel Ordinem esse collatum invalide.

Aliis verbis : lex religionis est sacramentum non posse ex-

poni periculo nuilitatis; lex charitatis obligat in casu necessitatis ad assistendum proximo. Charitas autem magis obligat quam religio. Unde in casu extremae necessitatis, lex religionis cessat manente lege charitatis. Melius est enim sacramentum exponere periculo nuilitatis, dummodo aliqualiter probabile sit quod possit esse validum, quam hominem relinquere expositum periculo aeternae damnationis.

Hinc 1) moribundus *est absolvendus absolute:* a) si habeat in praesenti quaedam sufficientia signa contritionis, vel b) si momento absolutionis, sensibus omnino destitutus, signa iam praebet nulla, sed antea quaedam praebuit ipsi sacerdoti, imo c) si coram testibus petierit sacramentum vel sacerdotem et interim loquelam et usum rationis amiserit : in istis enim casibus adest contritio virtualiter permanens, et confessio sufficiens saltem mediante interprete facta; a materiali autem integritate confessionis certo certius excusat tanta necessitas.

2) Moribundus, qui nullum poenitentiae signum praebet nec explicite praebuit, *absolvendus est conditionate :* a) si christiane vixerit, vel b) fidem servaverit. Tales enim merito praesumi possunt velle christiane mori, insuper actum contritionis elicuisse antequam usum rationis amitterent, vel et tunc elicere per lucidum aliquod intervallum atque per suspiria vel motus oculorum vel labiorum vel alia huiusmodi signum sensibile forsan exhibere, etsi sacerdos non distincte percipiat. Unde possunt absolvi, sub conditione tamen, quia non certa adest contritio, sed solum aliqua contritionis probabilitas. Tales censentur qui catholicae fidei signa servarunt, v. g. numismata, rosarium, scapulare, hisque aequiparantur ignoti qui probabiliter sunt catholici, eo quod in regione catholica vitam degerunt. Imo c) moribundus catholicus qui in ipso actu peccati, v. g. in ebrietate, adulterio, duello, rationis usum amisit, secundum aliquos *probabiliter* ita absolvi potest, *dummodo* ex eius vita habeatur aliqua probabilitas contritionis, quatenus momento quo usum rationis se amittere senserit, mentem forsan mutaverit et peccatum detestatus sit.

3) *Nullo modo est absolvendus* ille qui post vitam impie peractam, antequam rationis usu privaretur, ex contemptu positive recusaverit (nisi talis agendi ratio revocata censeri possit *aliquo* contritionis *signo)* : tunc enim deest *omnis* conversionis *probabilitas.* Quamvis enim influente gratia insigni certo certius converti potuerit, id omnino est improbabile, utpote nulla solida suffultum ratione.

4) Eodem modo ac catholici, *schismatici* sensibus destituti, qui sunt in bona fide, absolvi possunt sub conditione, remoto tamen scandalo (S. Off. 20 Iui. 1898 et 17 Maii 1916).

5) Item haeretici qui sunt in bona fide, et simul sacramentum Poenitentiae admittunt; non tamen si hoc reiiciunt, quia illis deest intentio illud recipiendi Et quamvis habeant voluntatem sese salvandi, non tamen voluntatem sacramentum recipiendi et confitendi, seu sese salvandi per tale medium. *Vellent* forsan confiteri, si sacramentum Poenitentiae esse necessarium salutis medium scirent, nunc autem id non *volunt.*

Quando sacramentum schismaticis aut haereticis ministrare licitum non est, curet sacerdos ut eliciant actus fidei, spei, charitatis et contritionis perfectae.

Notetur in praedictis casibus semper expedire ut sacerdos, antequam absolutionem impertiatur, moribundum alloquatur et ad contritionem excitet : Experientia enim constat esse moribundos, qui audire, quamvis non loqui nec signa certa dare, valeant; quo casu et ipsi hoc modo ad contritionem iuvantur.

II. Corollaria practica. — 1) Si de valore Baptismi acatholicorum sit *probabile* dubium, clam sub conditione baptizari debent, antequam absolvantur.

2) In dubio positivo an aliquis sit paganus, haereticus vel catholicus, potest absolvi sub conditione.

3) Non possunt absolvi (nec ungi) etiam sub conditione, qui certo mortui sunt; sed ex recentibus experimentis constat vitam per aliquod tempus in corpore posse manere, etiam quando quis ultimum suspirium edere visus est, quia generatim vita non nisi successive a corpore recedit. Hinc quidam ex iis qui apparenter mortui erant (v. g. suffocati, aquae vel igni erepti), post tres horas, rythmico linguae tractu, ad vitam reducti sunt. Quapropter, coeteris positis conditionibus, absolvi (et inungi) possunt ii qui tali processu quaedam signa vitae saltem sensitivae praebent; imo, sub conditione, ii qui, quamvis mortui videnntur, iuxta ordinaria signa, prudenter supervivere existimantur. Certa tamen mortis signa merito habentur cessatio completa ct per tempus durans motus cordis, et invadens corruptio corporis seu putredo iam incepta; minus certum rigiditas cadaverica.

In praxi, deficiente certo mortis signo, si non possit hic et nunc haberi iudicium medici :

1 Quidam concludunt a pari sicut pro schismaticis, et arguunt ex allegato decreto S. Off. 17 maii 1916. At decretum loquitur de schismaticis, non de haereticis; paritas autem non adest, quia schismatici admittunt sacramentum Poenitentiae, non ita generatim haeretici.

a) in casu mortis omnino *repentinae, generatim* absolvi possunt infra 2 vel 3 horas, quia tunc probabile est per aliquod tempus manere vitam propter resistentes vires vitales quae non subito destruuntur; non diutius, quia probabile amplius non est, etsi possibile sit, in casu extraordinario, vel per aliquot dies vitam manere latentem. Excipitur, si mors fuerit *violenta,* v. g. ex compressione vel abruptione membrorum principalium, quia tunc mors est evidens.

b) In casu mortis *ordinariae ex* diuturno et paulatim consumptive morbo, non possunt absolvi, quia vitam manere non est probabile.

c) In casu mortis *intermediae, ex* morbo diuturno sed cum influxu repentino novo, quae « complicatio » audit et expectatam mortem valde accelerat, videntur posse absolvi per lapsum circiter semihorae post obitum apparentem.

4) Conditio apponenda haec est *: si es capax,* non autem illa : *si es dispositus.* Cum enim *probabile* sit aliam contritionem (sinceram scii, sed non appretiative summam) requiri ad capacitatem et validitatem recipiendae absolutionis, aliam (scii, appretiative summam) ad dispositionem requisitam ut producat fructum (gratiam), et ideo sacramentum posse reviviscere : formula *si es dispositus,* in casu quo dispositio abesset, sacramentum redderet prorsus nullum et eius reviviscendam in perpetuum impediret. E contra forma *si es capax,* sacramentum relinqueret validum in casu quo contritio illa minor adesset quae sufficeret tamquam pars sacramenti, et non adesset illa maior quae requiritur ut dispositio ad iustificationem; unde moribundo contritione maiore sese disponente, sacramentum revivisceret et poenitens consequeretur gratiae effectum. Et hoc sensu S. Thomam (Suppi., q. 9, a. 1) interpretantur Caietanus (opusc. de confessione), S. Antoninus, et veteres Themistae, ut Capreolus et Paludanus.

A fortiori idem est dicendum de Extrema Unctione, quia certum est dispositionem, scii, contritionem, requiri ad solum fructum, non ad essentiam et validitatem, sed ad hanc sufficere solam intentionem sacramentum recipiendi ‘.

5) In casu extremae necessitatis, forma brevissima est adhibenda : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Arnen.*

6) Quot autem vicibus potest moribundus absolvi? Si sit sui compos, quoties brevem confessionem instituat seu signa doloris de novo manifestet et velit absolutionem recipere. Si sensibus sit destitutus, quoties ratio probabilis sit certioris dispositionis aut novae necessitatis; sine speciali ratione id facere bis vel ter in die aut interiecto 3 vel 4 horarum spatio, ut quidam dicunt, non videtur admittendum, quia non adest ratio sufficiens tam facile exponendi sacramentum periculo nullitatis.

III. De Extrema Unctione. — Extrema Unctio non est danda Christianis omnibus qui sunt in periculo mortis, sed

1 De sacramentis sub conditione *si es dispositus* non ministrandis, articulum conscripsimus in periodico *Revue Eccl. de Liège,* nov. toot), qui sat generatim approbationem tulit peritorum. Quasdam tamen difficultates movit P. Castillon in *Nouv. Revue Thiol.,* maii 1910, quas examini subiecimus et quibus fecimus satis in *Revue Eccl. de Liège,* iul. 1910. Huic nullum ulterius succedit responsum.

adultis periculose aegrotantibus : ad eius valorem enim, praeter Baptismum, requiritur ut quis sit a) peccator ac proinde adultus, seu usum rationis habeat; b) aegrotans periculose; c) intendens recipere sacramentum. Itaque sacramentum recipere non possunt ;

1) Amentes nisi antea usum rationis habuerint, et tunc intentionem formaverint recipiendi Extremam Unctionem.

2) Sani, etiam si sint in periculo *extrinseco'* mortis, ut damnati ad mortem; periculose navigaturi vel praeliaturi, nisi postquam lethale vulnus receperint; mulieres quae regulariter cum aliquo periculo mortis pariunt, nisi ob specialem *infirmitatem* timenda sit mors, aut ex partu vires iam sunt valde 'debilitatae; ac qui periculosam incisionem sunt subituri, nisi ex infirmitate contracta iam sint in periculo mortis; — e contra ungi possunt ii quibus ex infirmitate non tantum imminens sed etiam probabile est periculum *intrinsecum* mortis, uti omnes qui infirmitatem contraxerunt quae probabiliter mortem inferet, veneno infecti, graviter vulnerati, qui post incisionem chirurgicam valde debilitantur, imo et senes decrepiti etiamsi nullo speciali morbo laborant, nam ipsa senectus est ipsis morbus insanabilis (can. 940, § 1).

3) Qui non intendunt sacramentum recipere; intentio autem non requiritur actualis aut virtualis, sed sufficit *habitualis,* non retractata, etiam implicita, qualis est intentio non moriendi sine sacramentis catholicorum aut moriendi sicut catholicus, non autem simplex intentio sese salvandi. Hinc :

a) Per se *regulariter* danda Extrema Unctio, infirmis omnibus quibus conceditur absolutio, etiamsi sint sensibus destituti. Ratio est quia est medium salutis securius quam ipsa absolutio, nam certum est Extremam Unctionem remittere peccata mortalia (lac. V, 15) et certum est etiam ipsam esse validam, si absolutio certo valida haberi nequit. Quando enim sufficientia desunt signa externa contritionis et ideo absolutio est valde dubia, Extrema Unctio valide recipitur, quia contritio, quae est pars sacramenti Poenitentiae, non est pars Extremae Unctionis ad eius valorem requisita, sed tantum dispositio ad eius fructuositatem.

b) Per *accidens* tamen fieri potest ut sit deneganda Extrema Unctio, quando sine scandalo adstantium dari non possit alicui homini impio iam sensibus destituto, cui absolutio clam concessa fuit; item illi qui iam apparet mortuus. Scandalum saepe praecaveri potest clam administrando unctionem

unam, vel etiam monendo adstantes; quodsi ita fieri non possit, sacramentum denegetur, quia malum spirituale multorum praevalet conjecturali bono unius.

c) *In dubio* num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, sacramentum ministretur *sub conditione* (can. 941).

d) Extrema Unctio ministretur *absolute* iis omnibus etiam peccatoribus qui intentionem in vita habuerunt non retractatam catholice moriendi (can. 943) — *sub conditione : si es capax,* si agitur de ignotis, vel de iis qui non certo vivunt, (ut iam dictum est), vel de peccatoribus ita impiis ut dubitari possit an habeant intentionem catholice moriendi; — non vero illis qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant (can. 942).

e) In casu necessitatis. Extrema Unctio est ministranda una sola unctione *in fronte,* cum forma : per *istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Arnen.* Quodsi mors non sit secuta, aliae unctiones adiungantur sicut in rituali indicatur, et quidem absolute, non sub conditione. Unctio in renibus iam est omittenda; unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest (can. 947).

IV. De Viatico. — Sensibus destitutis Viaticum A) *denegandum* est 1° peccatoribus etiam ordinariis et occultis, nisi certa signa poenitentiae dederint; 2° item illis quorum dispositio ignoratur; 3° amentibus et semifatuis, nisi antea habuerint intentionem saltem implicitam communicandi. Ratio generalis est quia ex una parte Sacramentum non est necessarium, ex alia parte reverentia erga tantum Sacramentum anteponenda est utilitati coniecturali fidelium.

B) E contra *concedendum* est iis qui certo sunt in statu gratiae, dummodo tamen absit omne pro Sacramento periculum irreverentiae, quod provenire potest ex iis qui sint furiosi aut qui Sacramentum sunt evomituri, aut qui illud deglutire non valent. In casu vomitus non est danda Sacra Communio nisi pluribus horis vomitus cessaverit; consulatur medicus, alias experimentum potest tentari, tantillum panis dando, et. si aegrotus illud sat diu retineat, etiam potest dari particula consecrata. Quodsi grave dubium permaneat, potius denegandum est magnum illud, cum non sit necessarium. Sacramentum, quam tantae exponendum irreverentiae.

Notetur autem tussim non esse confundendam cum vomitu, quia sputa

non proveniunt ex stomacho; unde ex tussi non est periculum pro sacramento, nisi sit assidua.

Si autem de capacitate deglutiendi dubium sit, experimenti causa aegroto administratur quid liquidi, et si hoc deglutiri valeat, sacra Hostia vel saltem particula ipsi conferri potest in parva quantitate aquae vel vini ope cochlearis.

Ceterum etiam extra periculum mortis, ut hostiam vel particulas ori adhaerentes possint infirmi deglutire, post hostiam dari potest ablutio aquae vel vini, quamvis haec prius deglutiatur quam hostia : violatio enim ieiunii saltem moraliter non praecedit communionem, imo lex ieiunii praescribit tantum ut nihil sumatur ante Sacramenti sumptionem, et hoc adimpletur.

V. Casus. — In articulo mortis nonnulli possunt occurrere casus, qui specialem praebent difficultatem, quique, nisi praevie fuissent examinati, recte solvi non valerent.

1. Saepe accidit ut sacerdos vocetur ad peccatorem publicum moribundum. Quo in casu sacramenta non sunt ei publice ministranda, praesertim Viaticum, nisi *publice* reparetur scandalum; quodsi sit impossibile, deferri potest occulte. Et quidem :

a) regulariter pro peccatoribus ordinariis ipsa publica delatio Eucharistiae, est sufficiens retractatio seu signum quod poeniteant,

b) pro magnis peccatoribus declaratio fiat retractatione coram testibus.

c) pro iis autem qui vivunt in occasione proxima, v. g. in concubinatu publice noto, prius auferenda est occasio; quodsi sit impossibile vel urgens extrema necessitas, absolutio et Extrema Unctio dari possunt clanculo post promissionem scandalum tollendi; et communio deferatur occulte, post promissionem coram testibus scandalum quamprimum tollendi.

In casu concubinatus vel matrimonii civilis examinetur an matrimonium non sit ineundum ad legitimandam prolem vel ad promissionem adimplendam; quo casu sciat confessarius Ordinarium dispensare posse ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, exceptis presbyteratu et affinitate in linea recta (can. 1043), et si tempus desit recurrendi ad Ordinarium, id etiam posse parochum vel ipsum sacerdotem (can. 1044).

2. Fieri etiam potest quod mulier aut puella illegitime gravida, nemine id sciente, in imminente sit mortis periculo, Iamvero post quartum praegnationis mensem inceptum, fundata adest spes ex utero matris mortuae, foetum vivum extrahendi. Unde mulieri est gravis obligatio ut rem directe personae cuidam detegat, ita ut post eius mortem operatio

caesarea fieri possit et infans baptizari. Quod praestare potest :

a) scribendo litteras in quibus declaret se velle ut post mortem uterus aperiatur et proles baptizetur, quas litteras subsignatas et occlusas tradat personae fide dignae solum post mortem aperiendas. Sic enim famae suae in quantum fieri potest, ac saluti prolis providetur.

b) Si scribere non valeat, aut non velit, viva voce rem manifestet personae omnino discretae quae nonnisi post eius mortem factum revelabit.

c) Ceteris paribus, ad eiusmodi munus prae aliis eligendus est medicus qui fortasse rem sub secreto professionali iam novit, qui aptius famae matris familiaeque providere valet et qui, urgente necessitate, statim ad sectionem et Baptismum procedere potest; minus apti sunt parentes qui timore infamiae nimio a revelatione forsan abstinebunt.

d) Ipse confessarius nonnisi aegre et loco ultimo onus revelandi in se suscipiat, praesertim si timeat ne exinde sacramentum reddatur odiosum propinquis puellae [1].

Confessarius autem poenitentem ad hoc inducat suadendo et commendando, non autem tamquam obligatorium imponat, si experiatur id poenitentem certo recusare : tunc enim inutiliter bonam fidem turbaret, quod de facto non prodesset infanti et matris saluti obesset. Si tamen haec dubitet et de obligatione interroget, confessarius obligationem fateri debet.

Puellae quae infirma est ex ipsa graviditate possunt clam deferri sacramenta ad servandam famam.

3. Moribundus potest etiam esse impius qui opere vel scripto fidem impugnavit, de quo casu, si tempus sit, prius consulatur Ordinarius. Est autem talis aegrotus admonendus de obligatione scandalum auferendi et retractandi errores; ad quem finem declaret (per se vel per confessarium) coram testibus se errores omnes ab Ecclesia damnatos retractare et profiteri doctrinam catholicam integram, vel for-

1 Notat De Smet (de *Sacr. in gen. Bapt. et Confie.*, p. 257, nota 3); « Melius forte erit si permittat puella quod iam ante mortem cautissime et sub gravissimo secreto moneatur medicus vel obstetrix ad hoc ut, morte superveniente, praesto sint ad operationem parati. Bonum etiam videtur ut, si fieri potest, praeter personam extraneam idoneam, etiam pater vel mater ab ipso puella moneatur, ne postea operationi peragendae contradicant ». Dubitamus tamen ista semper fore opportuna.

mulam retractationis subscribat, aut saltem coram testibus consentiat ut confessarius suam retractationem divulget. Quodsi scandalum perseveret, tollendum est in quantum est possibile, v. g. scripta e commercio sunt tollenda, aut scriptum retractationis legendum publicetur.

Qui autem nomen dedit sectae massonicae, debet insuper abiurare sectam, et si possibile sit et tempus sinat, insignia et scripta massonica dare, et nomina ducum, si quae noverit. Ordinario manifestare.

Notetur autem excommunicatum posse ab omnibus censuris in periculo mortis a quocumque absolvi.

4. Aliquando moribundus ad restitutionem tenetur vel ad reparationem damni, quo casu :

a) si reperiatur in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut praevideatur non profutura monitio, ea omissa est absolvendus,

b) si speretur fructus aut si poenitens non sit in bona fide (v. g. si dubitet), tunc monendus est et ad restitutionem statim adiuvandus, nam si ipsa valeat tunc impleri, non sufficit hoc onus transferre ad haeredes, quibus non facile est fidendum,

c) si restitutio statim fieri nequeat et obligatio occulta sit, committat pecuniam confessario vel potius alii viro fideli ut creditori secreto remittatur. Si vero pecunia non habeatur, illam summam ipsi creditori in testamento relinquat, omissa restitutionis mentione; vel etiam codicillum adiiciat quo iubeat haeredes dare summam personae fidae secundum voluntatem aegri expendendam; aut si notarius commode haberi non posset (in regionibus vel circumstantiis ubi huius officium requiritur), verbo vel scripto declaret se tertio schedulam reliquisse ad notificandum quid post mortem fieri velit seque velle id habere valorem testamenti;

d) si obligatio non sit occulta, nec statim impleri possit, confessarius procuret ut per haeredes certo facienda sit restitutio, sive per schedulam creditori tradendam, etc...

Si dubia sit obligatio restituendi, ut fieri potest in administratione bonorum, curet aegrotus ut re examinata, suum cuique tribuatur.

Si autem *fama* sit restituenda, faciat meliori modo quo possit, verbo, vel scripto si opus sit publicando, aut retractatione coram testibus qui publice possunt attestari. Optima autem restitutio famae fit per tertiam personam magnae auctoritatis.

5. Quomodo agendum sacerdoti, si ad peccatorem occultum *cum viatico* adveniens eiusque confessionem excipiens, eum *indispositum* inveniat?

Respondet Haine, Th. M. Ill, de Euch. q. 43 :

Sacerdos a) « eum omnino disponere conetur.

b) Si certo maneat indispositus, quia v. g. occasionem proximam nolit relinquere, vel restitutionem gravem et certo debitam promittere non velit, non licet eum absolvere.

c) Quod communionem spectat, enixe inducendus est, ut, peracta confessione, declaret *publice* se nolle iam Eucharistiam suscipere.

d) Si hoc declarare deneget ac communicare velit. Eucharistia ei, licet indisposito, ministranda est, ne violetur secretum confessionis ».

Ad quod periculum vitandum, praestabit ut in hospitalibus vel domibus clinicis, sacerdos aut soror infirmis curandis praeposita, non ex proprio motu omnia ad S. Communionem praeparent ministrandam, sed tantum postquam infirmus confessus eam petierit; interrogatus autem sacerdos uniformiter dicat : interroga poenitentem an communicare velit.

VI. Animadversiones. — 1) Moribundis quibus sacramenta ministrantur, etiam concedenda est a quocumque sacerdote *absolutio generalis* secundum can. 468 : « Cuivis sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi *Benedictionem apostolicam* cum indulgentia plenaria in articulo mortis secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri non omittat ».

Nomine absolutionis generalis itaque venit indulgentia plenaria quam Romanus Pontifex per se vel delegatos moribundis impertitur, sub forma benedictionis, et sub hac ratione omnino distinguitur ab indulgentia plenaria quam absque ulla benedictione lucrari possunt in articulo mortis ii qui rem benedictam aut piam (v. g. crucem aut tabulam) detinent cui adnexa est indulgentia apostolica, vel membra confraternitatis cui tale privilegium est concessum.

Absolutio generalis omnibus in gravi periculo (etiam ex alia quam morbi causa) constitutis, concedi potest, sed indulgentia suspensa manet et non consequitur effectum nisi in vero et physico mortis articulo. Et ideo iterari aut ex pluribus titulis dari nec debet nec potest in eadem infirmitate quantumvis diuturna, cum id omnino inutile sit, etiam si postea moribundus in novum peccatum mortale sit lapsus; — sed

solum iteranda est si infirmus convaluerit, et postea in novum periculum inciderit. (S. C. Indg. 24 Sept. 1838; 12 Mart. 1855: 12 Feb. 1842).

Conditiones ad eam lucrandam, ex bulla Benedicti XIV : *Pia mater,* 5 Apr. 1747, in infirmo requisitae sunt : a) ut non sit excommunicatus aut manifeste impoenitens; quodsi sit dubie dispositus, concedatur benedictio apostolica, quoties absolutio aut extrema unctio detur, etiam tantum sub conditione;

b) ut sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, si possit, susceperit; quodsi non possit, sufficit gratiae status dum supremum edit suspirium;

c) ut se paratum offerat ad acceptandum quidquid Deo placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando ipse promeruit;

d) ut SS. Nomen lesu ore si possit, sin minus corde, devote invocet; et actum doloris et charitatis eliciat.

2) Communiter non expedit confessionem audire publici peccatoris nisi emendationem et debitam satisfactionem promiserit, nam si nolit obedire mandatis confessarii, hic sigillo obstructus tenebitur ministrare Viaticum indigno. Quod incommodum vitabit si non admittat ad confessionem nisi qui paratus sit.

3) Pueris Viaticum, Extrema unctio et benedictio apostolica sunt administranda dummodo sufficientem discretionem habeant.

4) Etsi moribundus, notat Noldin, Th. M. III, n. 459, ante administrationem Extremae Unctionis absolvendus sit, quia Extrema Unctio est sacramentum vivorum et complementum sacramenti Poenitentiae, et quia Ecclesia ita praecipit, id tamen non tanta necessitate requiritur ut non liceat moribundum ante absolutionem inungere, ubi merito timetur, ne tempus ad utrumque sacramentum deficiat.

5) Sacramenta ministrata peccatoribus sensibus destitutis, qui nulla signa contritionis dederunt, non sunt titulus ad sepulturam ecclesiasticam.

VII. De modo iuvandi moribundos — Nullum sane charitatis opus magis est Deo acceptum quam infirmos et moribundos ad sanctam

1 Cfr. S. Alphonsus, *Pr. conf.,* n. 105-107; et 227-280; Reuter, 0. *c.,* n. 209-227; Billuart, *de Poen.,* diss. 6, art. 10, §7; Aertnijs,

mortem iuvare; quapropter unum e praecipuis sacerdotalibus officiis est aegrotantium curam habere. Quod imprimis spectat parochum, qui, ait Rituale (tit. 5, c. 4, n. 1), « cum primum noverit quemquiam ex fidelibus suae curae commissis aegrotare, non expectabit ut ad eum vocetur; sed ultro ad illum accedat, idque non semel tantum, sed saepius, quatenus opus fuerit; horteturque parochiales suos ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia sua aegrotare contigerit, praesertim si morbus gravior fuerit ». At, addit S. Alphonsus, cura infirmorum non parochorum tantum munus est, sed opus omnium confessariorum.

Ad quod munus rite exercendum auctores solent varia monita tradere, non invariabiliter sed pro opportunitate applicanda, quorum praecipua hic subiicimus. Imprimis :

A. *Consilia generalia* : 1) « Sacerdos accedat ad aegrotum, ait Rituale (ib. n. 7), ita paratus ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta; ac praesertim Sanctorum exempla, quae plurimum valeant, quibus eum in Domino consoletur, excitet ac recreet ». — Quapropter a) divino confidat auxilio et oret Christum, B. V., angelum custodem pro infirmo quem visitat, et quem non convincet nisi gratia Dei ita suadeat ut persuadeat, b) Et quo melius iuvet, eius ingenium, mores ac conditionem (in itinere vel in domo infirmi) pro posse exploret, v. g. an sit vir eruditus et prudens, utatur sensibus, petierit confessarium, credatur morti vicinus, sitne iam confessus, an confecerit testamentum, qualem vitam duxerit, sitne aliquid cuiusdam momenti de quo monere eum necesse sit, nonne alium confessarium desideret, etc. c) Dein modum agendi cum aegroto praemeditetur, quae dicenda et agenda sint mente revolvens.

2) Si cognati praevideantur sacerdotem non facile admissuri, a) indirectis saltem mediis et amicorum interventu curet ut tamquam amicus advocetur; b) quodsi frustra id tentaverit, cum omni prudentia postulet ut, saltem urbanitatis causa, aegrotum visitare possit; c) et si cognoscat ab infirmo desiderari eius ministerium, instantius urgeat et causam infirmi meliori modo personaliter agat; d) si infirmum sine testibus adire nequeat qui recedere nolint, integram confessionem non urgeat, de sola accusatione generali aut levioris culpae contentus, qua posita, aegrotum prius ad contritionem excitatum absolvat; — quodsi omnino adire nequeat, quid impediret, in casu extremo, per ianuam aut fenestram eum alloqui alta voce et ad contritionem inducere ac sub conditione absolvere?

Admissus vero et cubiculum ingressus, infirmum benevole salutet, magno cum charitatis et commiserationis affectu inquiret de morbo, doloribus, incommodis, quiete, etc., consolationem afferat et ad patientiam hortetur, exemplo praesertim patientis Christi.

B. *Speciatim quoad sacramentum Poenitentiae.* 1. *Ante confessionem* : Si non fuerit ab infirmo vocatus ad confessionem nec mortis periculum immineat, non statim de illa loquatur, praesertim si infirmus eam instituere timeat, sed a) prius studeat eius animum sibi conciliare, exponendo Dei misericordiam eiusque beneficia et paternam curam, ac Christi erga peccatores amorem, b) Secunda aut tertia visitatione, confessionis utilitatem proponat ad quietem animi, simulque ostendat eam non esse difficilem nec multum tempus requirere, sacramentum posse conferre ad morbum

Th. P., n. 187-203; Theol. Mechl., *de Poen.* (4), n. 74, p. 21&-219; Berardi, *Pr. conf.,* n. 772-791; Marc, *Th. M.,* II, η. 1854-1855; Lehmkuhl, *Th. M.,* II, n. 645-658; Noldin, *Th. M.,* III, n. 292-295; Tanquerey, *de Poenit.,* n. 557-569.

fructuose ferendum, imo ad sanitatem obtinendam; et tunc hortetur ut aegrotus statim confiteri velit, c) Si iste moram aliquam petat ut se praeparet, concedi potest, v. g. una vel altera hora, nisi obstet periculum; at cavendum ne diutius differatur, d) Si autem ad confitendum adduci nequeat, confessarius sedulo exploret causam : si sit operis difficultas, exponat difficultatem exaggerari ac omne auxilium et facilitatem promittat; — si sit absentia fiduciae vel et desperatio, omni conatu ad spem et fiduciam erigat, in memoriam revocando passionem Christi, parabolas filii prodigi aut ovis deperditae, exempla Davidis, Petri, Magdalenae. boni latronis, etc.; — si denique sit cordis obduratio, hisce addat infelicitatem peccatoris impoenitentis, rigorem iudicii divini, aeternitatem poenarum, ac felicitatem et pacem conscientiae illius qui redit ad Deum. Nec unquam desperet, sed aliorum sacerdotum aut proborum, imprimis medici, exhortationes sollicitet, simul ac privatas et publicas preces ad gratiam obtinendam pro salute decumbentis, e) Quod si infirmus ad confessionem iam paratus sit, inquirat a quo tempore confessus sit, ad perfectam sinceritatem illum hortetur, et benigne petat an dubia vel anxietates habeat circa praeteritas confessiones, cum nunc optima adsit opportunitas corrigendi omnes defectus.

2. *In confessione* a) per *se* : interrogare debet, sed parce, ita ut vitatis nimiis et indiscretis quaestionibus, curet ne infirmus debeat multum loqui, de contritione plus quam de integritate materiali procuranda sollicitus; saepius tamen opportunum erit interrogare de quatuor : de peccato numquam accusato, de odio, de prava consuetudine olim habita et generali confessione numquam expiata, et de restitutione aut reparatione praestanda. Audita accusatione, fiduciam excitet rememorata Christi misericordia erga pecatores verbis et exemplis, immediate ante absolutionem quaerat utrum infirmus aliquid habeat quod eius animum disturbet, breviter ei proponat contritionis motiva eumque iuvet in eliciendis actibus fidei, spei, charitatis et contritionis, ac satisfactionem leviorem imponat;

b) per *accidens,* si restitutio, satisfactio, aut reconciliatio sit praestanda, aut scandalum reparandum, viam planet confessarius et media efficacia statim indicet aut adhibeat secundum modum quo diximus supra, η. V.

3. *Post confessionem* : a) si certum adsit periculum mortis (ad quod agnoscendum poterit — per se vel per alium — *clam* interrogare medicum), hortetur infirmum ut de suis rebus opportune disponat propter pacem familiae et conscientiae levamen; b) item ut se praeparet ad suscipiendum Viaticum magno desiderio et Extremam Unctionem; c) clam dicat domesticis ut interrogent infirmum an non cupiat alium confessarium, addatque id sibi non fore ingratum.

C. *Instante uffonin.* I. ‹ /nprauc.sccnte *morbo,* ait Rituale, a) parochus (item confessarius) Infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter iuvare non desinet; monebltque instante periculo se confestim vocari ut in tempore praesto sit morienti ». Quibus verbis proclamatur obligatio diligentius adluvandl agonissantes; cuius gravitas a moribundi diversa conditione pendet ; si enim iste christiane vixerit et a personis piis circumdetur, sacerdotis praesentia perutilis erit, minime autem necessaria; si vero vitiosam duxerit vitam gravibusque tentationibus maneat obnoxius, multo magis si hucusque ultima sacramenta non receperit, sub gravi tenetur parochus (vel et confessarius) omnia tentare ad ipsius salutem procurandam vel certius procurandam. Quod ultimum praestabit adiuvando precibus, exhortationibus ac praesertim repetita (post con-

fessionem saltern brevissime renovatam) absolutione vel et s. communione.

b) Si vero sit legitime impeditus, officium committat alii sacerdoti, horteturque personas pias de vicinia ut moribundum visitent et ad bene moriendum auxilium ferant.

c) Curet, pro posse, ut in cubiculo infirmi, omnia sint ordinata et nitida, etiam apud pauperiores; et praesertim ut ibi altum servetur silentium et nonnisi *submissa* voce loquantur, et solum de iis quae infirmum aedificent et reficiant; nec quivis admittantur ad alloquium, sed ii tantum quorum consuetudine sublevetur infirmus. Hic iubeatur totus esse in negotio animae, nec sermones profanos admittere; arceantur nimis crebrae visitationes parentum, liberorum, uxoris, et maxime aspectus eorum ex quibus tentatio oriri posset. Prope aegrotum ponatur aqua benedicta, et in conspectu eius Crucifixus et imago B. M. V.

2. *Appropinquante morte* : a) moneat tempestive aegrotum de imminente mortis periculo, non importune sed caute, ita ut obscurius ab initio, dein aperte denuntiet, suaviter tamen, et simul suggerendo pios affectus;

b) nominatim inspiret aegroto — sed paucis verbis, et tantum per intervalla, — actus fidei, spei, charitatis, contritionis praesertim perfectae, conformitatis voluntati divinae et acceptationis mortis, et alias breves orationes iaculatorias, pro adiunctis, v. g. « O mi Jesu, misericordia! Fiat voluntas tua! »

c) Crucifixum et B. M. V. imaginem saepe osculanda praebeat;

d) curet ut aegrotus omnes, quas possit, lucretur indulgentias, praesertim indulgentiam plenariam in articulo mortis quam sibi adnexam habet benedictio apostolica;

e) hinc admoneat ut nomina lesu et Mariae semel vel saepius (ore si possit, sin autem corde) imploret;

f) frequenter eum aqua benedicta aspergat (praesertim si tentationibus diabolicis vexetur), frequenter quoque cum crucis signo muniat eique benedicat.

3. *Tempore expirationis iam instante,* sacerdos (vel ipso deficiente, persona pia) flexis genibus morientium preces recitet, et animae commendationem (‹ Proficiscere..., »), monendo assistentes ut simul pro moriente orent; tradat morituro *candelam benedictam* ut eam teneat ad significandum se in sancta fide mori. Ipse vel alius suggeret agonizanti saepiusque ad illius aures alta voce repetat breves aspirationes : « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum » — « Sancta Maria, mater mea, adiuva me in hora mortis » — « lesu, Maria, loseph,... » — etc.

4. *Post mortem.* — Caveat sacerdos ne praepropere dicat infirmum esse mortuum. Attamen, statim ac de morte iam moraliter constet, circumstantes hortetur ut pro defuncto cum ipso orent, v. g. « *Subvenite...* », aut decadem rosarii, vel Litanias B. M. V. Dein, mortuum aqua benedicta aspergat; postea coniunctos soletur, de magna Dei misericordia et de aeterna felicitate dicens fidenter et cordatim; ac circumstantibus, pro opportunitate et adiunctis, inculcet defuncto magis profuturas preces quam lacrimas; in memoriam eorum revocet vitae brevitatem, mundi vanitatem, felicitatem bene morientium, eosque hac occasione excitet ad vitam vere Christianam. Haec omnia paucissimis, sed cordatis verbis.

VIII. Quoad moribundorum tentationes, cum variis tentationibus impeti soleant, contra illas munire debet confessarius. Et quidem :

1. Debet *tollere impedimenta salutis;* unde a) removeantur pravi socii et proximae occasiones peccandi, quales sunt periculosae imagines, vel personae in peccato complices; e contra coram infirmis appendantur piae imagines Crucifixi et B. M. V., quibus in piis cogitationibus de Deo et aeterna vita iuventur;

b) si impedimentum praebeat amor vitae, proponantur magnum meritum mortis acceptatae propter Deum, magna miseria et calamitas vitae praesentis simul ac gaudium futurae, ac divinae bonitatis consilium quae vitam nobis abrumpit cum ad salutem nostram maxime conducit;

c) si obstaculum proveniat ex amore *coniunctorum,* dicatur Deus in tutelam paternae suae providentiae accepturus coniugem, liberos, familiam, et cuncta negotia illius qui propriam voluntatem subdit voluntati divinae et ex ea mortem libenter acceptat;

d) si inquetum reddat *cura temporalium,* hortandus est infirmus non solum ut tempestive de omnibus disponat, sed etiam, si bonis fortunae dotatus sit, ut animae suae prospiciat et curet de missis celebrandis et eleemosynis faciendis, quin tamen sacerdos ullam cupiditatis suspicionem excitet, aut odium familiae in se commoveat.

2. Debet confessarius *contra tentationes tueri :* si infirmus tentationes experiatur

a) *contra fidem,* de iis non discurrat, sed mentem alio divertat ac frequenter simplici affectu fidem profiteatur, repetendo : Credo quidquid Deus revelavit, quidquid Ecclesia docet. Credo Domine, sed adiuva incredulitatem meam;

b) *si contra spem,* in memoriam revocet verba vel exempla Scripturae, quae Deum ostendunt ad condonandum pronum esse; nolle mortem peccatoris sed ut convertatur et vivat; Filium suum misisse Christum qui dixit : « Non veni vocare iustos sed peccatores »; statim condonasse publicano dicenti : Propitius esto mihi peccatori; latroni in cruce pendenti paradisum promisisse, etc.;

c) *si contra charitafcm proximi,* ita ut determinatam personam odio habeat, recogitet : verba orationis dominicae, quibus cognoscat eum qui non dimittit, nec veniam a Deo sperare posse; — maiores iniurias ipsum intulisse Deo; et Christum In cruce pendentem pro crucifixoribus orasse, et pro nobis, dum Inimici eramus, vitam dedisse;

d) si *contra patientiam.* Inculcentur ista tria : nccesse est pati, tum quia homines sumus quorum communis est sors dolores non posse vitari, tum quia chrlstlanl, quibus crucem ferre convenit sicut Christus qui innocens pro nobis peccatoribus in anima et in corpore acerbissimos est passus dolores; – *aequum* est pati quia contra Deum insurreximus, peccatores, quos rursus subllcl per adversa cogere oportet; et quia peccando plus pati meruimus quam dolore:, imius vitae; — *utilissimum* est pati : si enim impatienter ferantur dolores, augentur ac infructuosi manent; si autem patienter, propter Deum : *purgant affectum* dum a terrenis et illicitis abstrahant et ad coelestia erigant; — *delent peccata* praebendo obviam et opportunam reparationem, poena Purgatorii benigniorem; — novo merito *merentur gloriam,* nam « momentaneum et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operatur in nobis » (Il Cor., IV, 17). Quapropter *gloriosum Deo* habere filios qui de manu eius quaecumque

libenter acceptant, *nobisque erit gloriosum* in aeternum; adversa vero a Deo ipso immissa impatienter ferre nocivum animae, periculosum, ac maxime indecens.

3. Debet confessarius omne *subsidium ministrare;* imprimis

a) *sacramenta;* quare opportunum erit, ut post renovatam veniae petitionem et contritionem, aliquoties absolutionem de novo impertiatur et ad s. communionem rursus invitet; quodsi contigerit aegrotum incidere in peccatum mortale, fiduciam ei insinuet, contritionem suggerat ac statim absolvat;

b) *breves orationes iaculatorias* proponat ac pios ad Deum affectus saepius repetendos, et removeat terrena, de filiis, uxore, bonis non habens sermonem;

c) *actus virtutum* paucis suggerat, fidei, spei, charitatis, contritionis, desiderii vitae aeternae, conformitatis Dei voluntati, condonationis, acceptionis mortis : « necessaria haec est, non sumus Christo et B. V. maiores,procurat felicitatem et a valle lacrymarum liberat! » etc..., quin longioribus exhortationibus molestiam afferat;

d) *imagines* Crucifixi aut B. V. praebeat osculandas, et SS. *nomina* lesu et Mariae ore aut saltem corde suggerat invocanda;

e) *scapulare* imponat et *rosarium* benedictum procuret, ac indulgentias pro viribus infirmi lucrari curet, maxime indulgentiam in articulo mortis plenariam.

QUAESTIO SEPTIMA

De Incarceratis et capite damnatis

I. Modus agendi cum capite damnatis. — Usque ad recens bellum putabamus, in nostro Belgio, ministerium erga capite damnatos exercendum non amplius pertinere ad tempora nostra; at errorem depulit dira realitas! Cum itaque similes casus adiuncta rursus secum ferre possent, confessario sciendum *quomodo cum capite plectendis se gerere debeat.* De quo optima praesertim S. Alphonsi monita transcribere placeat[1]:

A. « Cum his maxima charitas et patientia adhibenda est.

I. Prima vice qua confessarius reum visitat, incipiat ei significare, mortem illam donum esse Dei, qui vult eum salvum facere. Dicat quod nos omnes ex hoc mundo discessuri sumus, et de brevi, ut ad aeternitatem perveniamus quae non habet finem.

[1] *Praxis Conf.,* n. 108-109. — Cfr. Reuter, *o. c.,* n. 242-243; Aertnijs, *Th. P.,* n. 119.

2. Hinc ipsi loquatur de felici Beatorum vita, et de miseria damnatorum.

3. Deinde hortetur eum, ut gratias agat Deo, qui usque ad illud tempus ipsum expectavit, nec permisit ut moreretur tempore quo erat in peccato.

4. Demum inducat, ut mortem hilari animo acceptet, eam coniungendo cum morte quam Christus Dominus suo amore perpessus est.

5. Eumque confortet dicendo, quod ipse mortem propter sua peccata acceptando certe salvus est, et cum magno merito salvus, unde in coelo grandi remunerabitur praemio.

6. Insinuet ei postea, ut confiteatur; et omnia peccata sua libere manifestet. Praecipue interroget, an odio adversus aliquem teneatur (puta in iudicem vel partem adversam) etc...; postquam autem eum absolverit, curet, ut ille pluries communicet, monendo etiam, ut frequenter Deiparae se commendet, ut bonam ipsi mortem obtineat ».

Quibus praestitis, si supplicium instet, damnatus, remotis aliis omnibus, solum alloquendus de iis quae spectant animam; — nocte mortem proxime antecedente persuadendus ut dormiat, ne altero die sit indispositus; — die mortis illucescente, animandus, ut hunc diem maximi meriti Deo consecret, et Christi passioni patiendum supplicium unire intendat.

B. Dum e carcere reus ad patibulum pergit, confessarius

1. « dicat ei : Eia, fili mi, sequere lesum Christum, qui ante te profectus est ad calvarium, ad subeundam pro te mortem tua longe amariorem ».

2. In via ne urgeat reum ut progrediatur, sed illi se accommodet; oculos eum iubeat custodire et, neminem salutando, dimissos tenere, aut in Crucifixum defigere, ipseque iugiter cum eo oret.

3. « Cum ad locum supplicii perventum sit, iterum eum conciliet, et absolvat... ct deinde dicat : Eia, N., hilari esto animo, iam nunc manes in gratia Dei; iam patet tibi Paradisi ianua, ibi te expectant lesus et Maria. Coniunge mortem tuam cum morte lesu qui pro tuo amore exsanguis inter ludibria et cruciatus mortuus est. Amasne illum? dic mecum : Domine super omnia te diligo; mori volo, ut tuam faciam voluntatem. Mortem pro meis peccatis accepto. Spero iam mihi te pepercisse, iterum te offendisse me poenitet. Cupio

cito venire ad coelum, ad tuas pedes osculandos, ac ad te amandum in aeternum.

4. Dum... scalam ascendit, ei dicat : Fili mi, invoca Dei matrem, ut tibi assistat. Offer mortem tuam pro culpis tuis. Protestare te nolle consentire ulli daemonis tentation!.

5. Dum sententia execution! demandanda est, dicat : Ecce lesus Christus qui expansis brachiis te expectat ut amplectatur; Domine, te offendi, mihi displicet; nunc te amo toto corde. Deus animae meae, tu me vocas, ecce iam venio. Maria Virgo, adiuva me. Domine, in manus tuas commendo spiritum meum. lesus, Maria, loseph! »

C. Si autem reus obstinate nollet confiteri, quid agendum?

1. « Confessarius quaerat eum orationibus (imprimis Missae sacrificio) adiuvare, et curet ut etiam ab aliis ille Deo commendetur, ac praecipue a communitatibus religiosis, ut missis et precibus ipsi auxilientur.

2. Intimet damnato, quod, sive ipse convertatur sive non, sententia exequenda erit.

3. Interroget, an forte de sua salute desperet..., an aliquem odio insequatur, ex quo proveniat sua obstinatio (ex superbia, incredulitate, odio, desperatione, etc.), ad detegendum modum quo apte suadeat.

4. Insuper advertat, primis vicibus quibus talem obstinatum alloquitur, ne importune cogat ut statim confiteatur, quoniam obstinatior fiet. Melius erit sermonem secum facere de morte cui omnes tenemur, de misericordia Dei, de poenis inferni et de paradisi gaudiis. Enarret et exemplum alicuius peccatoris, qui mortuus est impoenitens; aut nonnullius capite damnati, qui sanctam sortitus est mortem... Dictis his, confessarius relinquat reum, ut secum ista animo revolvat.

5. Postea iterum siscitetur, an forte mutatus sit, eique dicat : Fili mi, iam tua mors appropinquat, quid decernis? In tua potestate est infernum aut coelum eligere. Animadverte, quod si decedis, per totam aeternitatem te paenitebit, sed tanto malo nullum amplius remedium suppetet.

6. Cum adhuc ipsum videat durum, curet ut circumstantes orent pro eo; et praesertim Litanias B. V. recitent, et deinde ante eum genuflectat, rogetque ne velit perire. Si ne proficiat quidem eum alloquendo, se vertat ad alloquendum Crucifixum » ne scii, permittat perire animam pretioso suo sanguine redemptam.

7. Denique, si iam advenerit tempus supplicii... « prodesse quoque poterit eum terrere dicendo : Discere maledicte in infernum, quandoquidem vis te perdere. Sed scito quod tua poena acrior in inferno erit memoria huius temporis quod Deus tibi largitur, et tu abuteris. At postmodum dulcem resumat sermonem.

8. Si unquam damnatus iam scalam ascenderit, et petat confiteri, flagitet iustitiae ministros ut permittant... — Hoc tamen currit pro eo qui nondum confessus est; nam si reus iam alias confessus fuerit, tunc confessarius moneat eum, ut actum contritionis eliciat, et inde sic interroget : Eia fili mi, nunc nonne intendis confiteri mihi omnia peccata tua, et praesertim illa quae mihi dixisti? Et cum reus annuerit, levissimam ei satisfactionem imponat (v. g. ut invocet lesum et Mariam), et absolvat ».

II. Animadversio. — Si damnatus ad mortem est vere innocens, uti facilius fieri potest apud delinquentes politicos, aut apud illos qui, in casu belli ad hoste, non propter delictum iuris communis, sed iustitia militari condemnati sunt, sat facile adduci poterit ad mortem sanctam, imo et heroicam, pro nobili causa patriae, vel causa ideali iusta, aut etiam pro Deo et extensione eius regni oblatam et acceptatam. Cuius plura et nobilia, durante recenti bello, fuerunt a nostris concivibus data exempla.

III. Modus agendi cum incarceratis. — Damnationem solet praecedere captivitas. — lamvero *erga incarcerates* a confessario variae recensentur *cautelae adhibendae*[1].

1. Confessarius imprimis curet ut habeat jurisdictionem ad omnes, si qui sint, casus reservatos, et ad frequentiores censuras reservatas.

2. Non expedit, ob periculum insinceritatis, ut captivos ad confessionem admittat, antequam instructio iudicialis ad exitum perducta sit, nisi iam delictum suum coram iudice agnoverint.

3. Ut autem confidentius secum agant, et se innocentes falso non dicant, nec peccata sua sileant, instruat eos, illa quae secum in foro conscientiae agant nemini manifestari posse, ideoque, sive nocentes sive innocentes, id eis non obfuturum nec profuturum.

4. Caveat etiam ne facile fidem habeat eorum dictis quae

1 De his et sequentibus apud Reuter, *Neo-Conf.,* n. 242, et Aertnijs, *Th. P.,* η. 117-11&

ad confessionem non pertinent, neque temere evulget ea quae extra confessionem acceperit.

5. Si innocentes se proclamant, de facta sibi iniuria querentes, non facile credat, nec tamen statim contradicat, sed ad patientiam ac resignationem eos disponat.

6. Nunquam spondeat aut assumat illos patrocinari apud magistratum, sed solam animam curet. Nec, sine certa scientia, spem mitioris poenae iis affulgere faciat quia, si spes cadit, tristitia magis accrescit.

7. Denique, absque venia officialium carceris nec munuscula captivis donare, nec pecuniam offere suis necessitatibus providentem videtur opportunum.

IV. Modus agendi cum reis sit sequens :

1. Studeat confessarius eorum animos conciliare, tum verbis affectum compassionis significantibus, tum, si possit, eleemosynis; deinde conetur, paulatim eos adducere ad venerationem et submissionem erga Dei providentiam, ad patientiam, et ad contritionem, ut cupiant se reconciliare Deo in sacramento Poenitentiae. Haec ut assequatur, et ut eos soletur, saepe, si possit, ad eos accedat.

2. Cum huiusmodi homines in negotio religionis ut plurimum rudes sint, oportet eos de veritatibus principalibus fidei et de praecipuis officiis christianis interrogare, et, si opus sit, viva voce aut et libro eorum captui proportionate instruere, quin tamen colloquium nimis protrahatur et taedium generet.

3. In confessione, paucis hortetur reum ut absque ullo metu sua peccata candide aperiat, ac certo confidat Deum sincere confitenti et dolenti omnia peccata condonare. Non importune urgeat eum ad crimina coram iudice confitenda, antequam in iudicio convictus fuerit. Speciatim examinet an reus neminem odio prosequatur, an non obligetur ad confessionem quamdam vitae anteactae repetendam aut et generalem instituendam. Ac imprimis attentus sit ad obtinendum verum dolorem et firmum propositum,

4. Si reus damnatus est ad diuturnum carcerem, confessarius varias exhortationes ut captivitatem forti animo toleret illi proponat, ut poenam a Deo velut iusto iudice acceptet, ut afflictionem admittat temporalem et ita parcat animae suae in aeternum, ut Christo innocenter passo configuretur. Curandum quoque est ut captivus semper sit utiliter occupatus, pro sua capacitate laborando, orando, legendo, etc.

V. Animadversio. — Tempore paschali aut occasione exercitiorum spiritualium, quando multi detentorum ad sacramenta accedunt, non semper possibile est confessionem recusare illorum quorum causa adhuc sub iudice est. Tunc maxime opportunum erit (ut iam notavimus n° III, 3), insistere plenae quo confessarius gaudet independentiae erga iudiciariam potestatem quacum nullo colligitur vinculo, ac strictae obligationi qua tenetur servandi sigillum sacramentale.

CAPUT III

DE PŒNITENTIBUS VARIIS SECUNDUM CONDITIONEM ANIMÆ

QUAESTIO PRIMA

De Piis et Devotis

I. Confessarii obligatio poenitentes dirigendi in viam virtutis Christianae et perfectionis. — Confessarius non solum evellere vitia e suis poenitentibus, sed etiam illis inserere debet virtutes; non tantum curare tenetur ut poenitentes in gratiam Dei redeant et iusti in eadem perseverent, verum etiam ut isti in virtute et sanctitate proficiant, et id tamquam minister Chrisi qui venit ut vitam habeant et abundantius habeant (Ioan. X, 10). « Opus est multum Deo acceptum, ait S. Alphonsus *(Pr. conf.* n. 121), sponsas illi adornare, animas scii, spirituales excolere, ut totas se illi donent tradantque. Unde cum videt confessarius poenitentem vivere immunem a culpis mortalibus, omnem curam adhibere debet ut eum in vitam perfectionis et divini amoris introducat ».

Cum igitur ubique non pauci dirigendi sint poenitentes qui ad spiritualem perfectionem tendere possint, oportet ut etiam in theologia ascetica vel et mystica theoretice et practice sit versatus, vel, illius studio incumbens, in hac materia saltem non omnino peregrinus inveniatur. Ad quod lumen divinum oratione imploret et libros spirituales sanae indolis legat ’.

* Utiliter consuli possunt: S. Alphonsus, *Praxis conf.,* η. ρρ-ιοι; 121-125; 145-171; 217-226; Reuter, *Neo-conf.,* η. 245-253; Marc, *Th. M.,* II, η. 1841-1842; Aertnijs, *Th. P.,* η. 215-244; Tanquerey, de

II. Principia generalia directionis. — Ut confessarius spirituali horum poenitentium utilitati vere consulat, haec *principia generalia* tamquam *regiminis regulas* sibi ante oculos ponat. Tria nempe curare debet :

1. Ante omnia curet tum ut *rectam* iis praebeat *ideam sanctitatis,* quae non consistit in longis precibus et particularibus devotionibus, vel in diuturna mora in templo, aut in pietate sensibili, nec in ieiuniis et austeritatibus, operibus exterioribus, consolationibus spiritualibus, aut visionibus extraordinariis, sed in recta intentione et vita conformi ad voluntatem Dei, ac in prompta et generosa voluntate omnia propter Deum faciendi: tum ut *magnum et constans desiderium perfectionis* — et quidem maximae, ad quam etiam non sint perventuri, — in iis excitet et foveat, ac *firmum* eam attingendi *propositum,* « illis repraesentando meritum, quod habet Deus ut ametur, et gratitudinem quam debemus lesu Christo, qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis; necnon periculum in quo versantur omnes animae, quae, vocatae a Deo ad vitam perfectiorem, illi resistunt »

Intentio finis, quia est principium in operabilibus, nata est maximum influxum exercere in totam nostram activitatem. Unde oportet quod altum perfectionis statuamus nobis finem et quidem constanter, quo fiet ut omnes actus totamque vitam ad illum ordinemus, ad reliqua omnia indifferentes facti, et quidquid ad illum non conducat existimantes deperditum.

2. Curet ut non *omnes eodem modo ducantur :* non conetur scii, *omnes* pios in saeculo viventes ad altissimum perfectionis gradum perducere; sunt enim qui, bonam indolem sortiti, a malo declinant et bona ordinaria faciunt, sed altioris perfectionis capaces ,non videntur. Et sunt alii qui vere devoti non sunt, sed quorum devotio est illusio aut hypocrisis; unde veros pios a falsis devotis sedulo secernat. — Nec omnes *eodem modo* aut spiritu dirigat, sed attendat ad eorum conditionem, naturalem indolem, et Spiritus Sancti ductum.

a) *Ad conditionem :* non eodem regendi modo coniugati et caelibes, saeculares et religiosi, et qui assiduo labore tenen-

Poen., n. 548-556; *Précis de Théologie ascétique et mystique;* Theol. Mechl., *de Poen.* (4), n. 65, p. 192-194; *de Virt.,* n. 88-90, p. 220-223; Frassinetti, *Th. M-,* diss. 15, § 5; Berardi, *Praxis conf.,* n. 1136-1138; Lehmkuhl, *Th. M.,* II, n. 633-638; et alii tractatus de vita spirituali aut ascetica, quorum plures indicantur, p. 126, nota 2.

1 S. Alphonsus, *0. c.,* n. 121.

tur aut multo fruuntur otio; nihil enim consulendum quod impletioni officiorum status obstare posset.

b) *Ad naturalem indolem :* aliter enim tractandi qui alia complexione praediti sunt[1]. *Sanguinei,* ad amores et voluptates proni, *continendi* sunt, ne inordinato affectu moveantur aut, subito ardore permoti, aliquid supra vires assumant et postea deiecti in desperationem cadant, ac inducendi ut omnia *deliberate* et *constanter* perficiant. *Cholerici,* natura audaces, animosi, sed simul impatientes et superbi, *coercendi* sunt ne excedant et subito altiorem gradum attingere velint et postea cadant; unde humiliandi sunt, licet cum discretione; ac monendi ut sibi diffidant, et tamen simul ut passiones *ad bonum finem* vertant et ad nobiliora et excelsiora in Dei servitio dirigant. *Phlegmatici,* ad teporem et pusillanimitatem proclives, magis et constanter *excitandi* sunt ne sopiti, tepidi et laxi fiant, sed e contra in omnibus fortiter procedant, ita tamen quod opera aliquatenus attemperentur, ut, spectatis congenitis inertia et languore, ea valeant exercere. *Melancholici* denique, ad tristitiam et suspicionem propensi, *benignius tractandi* sunt et consolandi, ne tristiia et fracto animo opprimantur et in deiectionem propellantur, a solitudine et otio avertendi, et occupandi utilibus laboribus, quin tamen graviori oneri supponantur.

c) *Ad ductum Spiritus Si,* quem indagare et sequi, non anteire, debet confessarius, ne opus Dei consiliis suis evertat: Spiritus Sanctus in donis est multiformis, et vario modo animas ducit variis inspirationibus. Unde non enitendum altius quam Deus vocat, nec retinendum ab eo ad quod impellit.

3. Curet ut *ordinate et gradatim,* a minoribus et facilioribus incipiendo, in perfectione progrediantur. Doceantur itaque

a) cavere a minimo defectu deliberato, ita tamen ut, levi culpa admissa, non deiiciantur animo, sed actibus humilitatis, doloris ac propositi a lapsu statim surgant, etiam si centies caderent in die;

b) actiones ordinarias, et preces, meditationes aut lectiones, Missae auditionem, usum Sacramentorum, parvas mortificationes, conversationem cum proximo, officia status, praecepta Dei et Ecclesiae, devotiones communes (e. g. visitationes SSmi et rosarium B. V.), etc. bene peragere cum omni

[1] Vide iam supra, pag. 68, nota 2.

sollicitudine et rectam in omnibus habere intentionem, sed extraordinaria vitare;

c) ferre levia, priusquam appetant gravia;

d) primum conari ad patientiam, deinde tantum ad gaudium in adversis;

e) prius mortificare curiositatem, vanitatem ac sensualem amorem; dein exercere virtutes morales, praesertim prudentiam, rectitudinem et sinceritatem, fortitudinem, mansuetudinem, etc.; denique magis ambulare in spiritu fidei, filiali erga Deum fiducia, ac ferventi eius amore;

f) ante omnia tamen humilitatem, obedientiam et amorem crucis simul cum propria abiectione fovere : ad huius finem enim si exercitia spiritualia non conducant, devotio suspecta habeatur.

III. Media proficiendi in vita pia atque devota, alia sunt generalia et communia, alia particularia.

Particularia sunt diversa secundum diversum gradum quem pii attigerunt, et secundum inclinationem gratiae, conditionem, ac indolem ipsorum : ita ut illae virtutes praesertim ipsis inculcentur quae vitio praedominanti opponuntur, aut officiis status vel motibus gratiae melius respondent.

Generalia ac omnibus communia media sunt exercitia spiritualia, scii, praxis orationis mentalis, praesentiae divinae frequens recordatio, mortificatio, et conscientiae discussio. Quibus addi possunt et *externa,* scii, directio confessarii cum lectione librorum qui de vita agunt spirituali, definita regula seu bona ordinatio vitae, susceptio sacramentorum, et sanctificatio relationum socialium quas habemus ad alios.

IV. Oratio mentalis, quamvis non sit necessaria ad salutem, est tamen medium aptissimum ad animam amore divino sanctificandum: nam, ut testatur S. Alphonsus, *Pr. conf.* n. 122, « non possunt cohabitare oratio et peccatum; sed anima aut relinquet orationem aut peccatum » (cfr. Eccli. VIII, 40; 1er. XII, II), Hinc confessarius pios in orationis mentalis consuetudinem inducat, — tempus huic exercitio impendendum iis constituat, v. g. semihoram mane et vespere, — veritates meditandas iis ipse assignet, — methodum fructuose meditandi eos edoceat, — et huius methodi rationem interdum, v. g. singulis mensibus, reposcat. — Ac invigilet, ut nullam diem absque aliqua veritatum consideratione tran-

sigant, ut pios affectus et fervidas orationes iaculatorias frequenter fundant, et pro posse, in libro spirituali attente et pie legant.

Oratio autem mentalis tribus constat partibus : praeparatione, meditatione et conclusione.

1. *Praeparatio* tribus continetur actibus et breviter eliciendis, videlicet actu fidei ad Dei praesentiam, actu humilitatis propter peccata admissa, actu supplicationis divini luminis.

2. *Meditatio* seu recogitatio ipsa, quae ordinario, et ab incipientibus semper, in libro spirituali est instituenda, ac de materia quae unicuique magis videtur proficua, maiori scii, affectu devotionis, fructu virtutis, utilitate in defectibus vitandis, uti sunt novissima, Dei bonitas aut beneficia, peccati malitia, et prae ceteris vita et passio Christi. — Porro pars principalis ac finis meditationis non est ipsa speculativa consideratio veritatum ab intellectu, sed potius est in affectibus eliciendis, petitionibus faciendis, et propositis firmandis per facultates appetitivas : ad hos fructus ipsa meditatio tendere debet et propter eos derelinquenda est cum homo se animo commoveri sentiat. Unde :

a) *Affectus* congruum responsum constituunt quo anima Deum alloquitur postquam Deus ipsam illuminaverit et intime sit allocutus; prae variis adiunctis eliciendi veniunt actus fidei, fiduciae, gratitudinis, adorationis, laudis, humilitatis, contritionis, et praesertim charitatis, qua anima totam se offerat Deo et sanctae eius voluntati se conformet, et quam iterato exercere satis non potest. Ita ut affective et effective velit duci a Deo et ipsi submitti.

b) *Petitiones* iuvat in oratione repetere : Deus enim non solet concedere auxilia nisi petentibus, et nullum opportunius ad petendum tempus quam tempus orationis mentalis. In quo igitur cum humilitate et fiducia postulentur lumen, remissio peccati, perseverantia, etc., imprimis donum sancti amoris; omnia tamen per merita et passionem Christi.

c) *Propositum* necessarium est ut fructus orationis perduret et lumen a Deo concessum vitae dirigendae applicetur : propositum autem, ut sit efficax, non sit generale (v. g. evitandi quemcumque defectum vel se totum dandi Deo), sed concrete determinatum et particulare, v. g. vitandi talem defectum tali modo aut tali occasione, melius exercendi aliquam virtutem hoc speciali medio, tolerandi talem molestiam, obediendi tali superiori aut tali regulae, se mortificandi in tali re et in hoc momento, etc.

3. *Conclusio* tribus actibus perficitur : a) gratiarum actione pro luminibus in meditatione acceptis; b) determinatione propositis formatis firmiter standi, et statim ea exequendi; eaque, sicut sententiam quae magis animum commoverit, saepius in die rememorandi; c) instanti a Deo petitione auxilii, per Christum et Mariam obtinendi, ad exequenda proposita

V. Praesentiae divinae frequens recordatio, ex quo pluries actus nostros offerimus Deo, in pias iaculatorias preces prorumpimus, intentionem supernaturalem saepius renovamus, et ita peccata vitamus ob timorem et reverentiam erga Deum

1 Conferri etiam potest Garrigou-Lagrange, *L'Oraison commune,* in per. *La Vie spirituelle,* t. VIII.

praesentem, et ex amore eius in praxi virtutis quotidie proficimus, iuxta illud : *Ambula coram me est esto perfectus* (Gen. XVII, 1).

Est scii, frequens et habitualis elevatio mentis et cordis in Deum praesentem, amorosa attentio animae ad Deum quem perspicit in omni re, in omni eventu et praesertim in seipsa; simplex aspectus sed amore plenus in Deum directus, quo anima, sine ulla vi aut intensiore conatu, sed quasi connatural! tendentia in Deum fertur quem scit praesentem. Ita anima vivide conscia est Dei praesentiae; se sentit sub oculo eius cuncta perscrutanti et sub eius operosa activitate; atque saepius se recolligit in se ad inveniendum Deum in actu amorosae jucunditatis.

Est enim Deus vere : 1) *in omnibus rebus* per essentiam, praesentiam et potentiam, ut curam habeat de omnibus, maxime de illis qui cum fiducia eum invocant, nam prope est *Dominus omnibus invocantibus se;*

2) in cunctis eventibus, quia omnes reguntur sua sapienti providentia, neque recte diiudicantur nisi spectentur secundum intentionem causae primae;

3) *speciatim in anima iustorum* : Pater, Filius et Spiritus Sanctus ad eos veniunt et apud eos manent, ut vitam divinam habeant atque gaudeant laetitia divinae praesentiae et dilectionis (Ioh., XIV, 23).

Recordatio divinae praesentiae multum confert :

a) ad vitandum peccatum, ex timore et reverentia erga supremam et infinitam maiestatem praesentem;

b) ad proficiendum in virtute et spirituali vita, ex eo quod pugnam sustinemus et conatum, vidente et quasi plaudente nostro Deo;

c) ad stimulandam fiduciam et charitatem in Deum, qui ex mera ad nos benevolentia, cum sua scientia, sapientia, amore, consilio et omnipotentia est in nobis ad nostrum bonum;

d) ad consolationem supernaturalem et gaudium spirituale fruitionis de Dei praesentia et summa eius bonitate.

Ad hoc exercitium iuvat in praxi ' : 1) aliquod speciale signum gestare vel intra cubiculum habere; 2) saepe elevare mentem et cor in Deum ubique praesentem vel et animae inhabitantem, et repetere actum amoris, sine ulla tainen vi, aut desiderio consolationis sensibilis : qui enim vere amat, nunquam obliviscitur personae amatae; 3) solitudinem amare et pro possibilitate quaerere ad (ruendum de Dei praesentia et eius amore; 4) et a Deo hunc amorem petere ac memoriam suae praesentiae. « Omne malum, ait S. Theresia, provenit ex eo quod non consideramus Deum praesentem... Ne putemus relinqui irremuneratam a Deo vel unicam elationem oculorum ad eius recordationem >.

VI. Mortificatio, in ordine praesenti, necessaria est omnino ad impedimenta perfectionis tollenda, speciatim' a) ad

' S. Alphonsus, *o. c.*, n. i68.

' P. Garrigou-Lagrange in eph. *Vie Spirituelle,* t. XI et XII.

progressivam sanationem vulnerum peccati originalis; b) ad destructionem peccati personalis et sequelarum eius; c) ad perfectam subordinationem activitatis naturalis ad vitam gratiae (Galat, V, 24). Oportet enim non solum vivamus ui rationales, sub ductu rationis, sed etiam ut filii Dei, sub ductu fidei et Spiritus sancti; et ideo necesse est activitatem mere naturalem compescere et etiam primos motus inordinatos reprimere, ne haec activitas naturalis nimis excrescat nosque distrahat, in detrimentum superioris activitatis gratiae. Impedimenta autem perfectionis tollenda sunt interna et externa : interna oriuntur sive ex sensibus inordinatis internis seu ab immortificatis passionibus; externa sunt a divitiis, honore et gloria, delectabilibus rebus aut personis nimis aut voluptuose amatis.

In hac materia autem confessarius oportet moderate procedat secundum prudentiam christianam, qua caveat ab omni excessu et defectu. Sicut enim error nocivus est collocare perfectionem in ieiuniis, vigiliis, ciliciis, flagellationibus, etc., ita maximus est error mortificationem contemnere ut inutilem progressui spirituali, aut absolute asserere mortificationes externas nihil aut parum prodesse [1] : quamvis enim internae mortificationes passionum et appetituum animae potius sint exercendae, uti sunt : non respondere iniuriis, cedere in contentionibus, aliorum voluntatem sequi, seipsum non quaerere, etc., externae tamen et corporales adiuvant internas et necessariae sunt ad refrenandos sensus; unde et ab omnibus Sanctis fuerunt frequentatae.

Curet tamen confessarius 1) ut non sit nimis facilis in illis concedendis, maxime in primo devotionis aestu; et poenitenti iniungat ut nullas agat nisi iuxta praescriptiones ipsi traditas;

2) nec generatim eas concedat nisi requisitus : non enim prosunt nisi multum desiderentur; unde ita poenitentes instituat ut sponte eas expostulent;

3) concedat minus quam postulent;

4) concedat gradatim, ita ut excessivum fervorem temperet incipientium quibus tantum paucas permittat; liberalior sit cum iis qui in virtute sunt bene radicati;

5) concedat congruenter ad vires, facultates, conditiones et circumstantias sanitatis, officiorum, fervoris uniuscuiusque;

6) concedat secundum delectum : a) praecipue suadeat gulae mortificationem, quae minus solet attendi, ac aliis est durior, et tamen utilissima; b) parcus sit in concedenda mortificatione in sommo *necessario,* quae debilitat corpus et inhabilem reddit ad exercitia pietatis; c) advigilet ut in mortificationibus negativis, utpote utilioribus, constanter cxerceantur

[1] S. Alphonsus, *o. c.,* n. 145.

tur, v. g. ut abstineant a curiosis aspiciendis, audiendis vel legendis, parce loquantur, ingratis cibis contenti sint, nihil sumant extra tempus refectionis, hieme ad ignem non accedant, gaudeant de defectu alicuius necessarii, de incommodis, infirmitatibus, persecutionibus non conquerantur, et passionibus imperent;

7) addat tamen, ut omnem auferat superbiae occasionem, illas mortificationes prorsus nihil esse, si comparentur illis quas Sancti fecerunt, aut doloribus quas Christus perpessus est.

Itaque mortificanda sunt :

1® *Sensus externi,* constanti custodia : tactus circumspectione in usu, vel et poenitentiis afflictivis; — gustus ope temperantiae, abstinentiae, ieiunii; — loquela vigilantia qua verba ponderentur antequam proferantur, et silentio quo non loquamur nisi oporteat; — visus custodia et modestia oculorum praesertim erga personas diversi sexus; — auditus avertendo a sermone malo contra pudicitiam, proximum, superiores; — odoratus abstinendo ab odoramentis et perferendo foetorem, maxime si cbaritas erga pauperes aut infirmos expostulet.

2. *Inordinatae passiones,* quae originem dant vitiis capitalibus et omnes ex inordinato amore sui oriuntur '; — quae refrenandae sunt et debilitandae quin tamen plene extingui unquam possint. Libi animadvertantur tria :

a) investiganda imprimis et impugnanda passio praedominans qua frequentius in defectus incidimus:

b) primi motus passionis sunt reprimendi ne tantum excrescant ut superari vix possint;

c) non solum notabilis sed minima passio et omnis appetitus rei licitae sed non necessariae est mortificandus.

3. *Appetitus causarum externarum* quae perfectionem impediunt : a) appetitus *divitiarum* paupertate spiritus et perfecta erga eas indifferentia; b) *appetitus honoris et gloriae* (quae etiam ex operibus bonis quaeritur), perpendendo proprium nihilum et absolutam nostri *a* Deo dependentiam, ita ut omnia sint dona Dei et a nobis non habeamus nisi nihilum et peccatum; — omnia opera ad Dei gloriam referendo; — proprias dotes occultando et de se non loquendo; c) rerum *delectabilium* vel *personarum* amor : nunquam agendo ob delectationem '; mortificando affectum erga propinquos atque commercia cum illis ac curam de eorum negotiis; vitando omnem amicitiam mere naturalem, praesertim in tenero et sensibili amore fundatam qui ex solis corporis aut indolis dotibus originem ducit.

VII. Conscientiae discussio. — Mortificationi et progressui necessaria est sincera *conscientiae discussio* quotidiana, tum ad invigilandum affectibus et operationibus ne amor proprius rectam intentionem in iis evertat, tum ad experiendum an in via virtutis progressus fiat aut regressus, itim denique ad detegendas causas et occasiones defectûs et inconstantiae, ut illas vitemus. Complectitur examen tum gene-

' Cfr. S. Thomas, I-II, q. 77, a. 5.

' Id intelligatur ad modum quo explicari solet in tr. de Actibus humanis.

rale tum particulare : *generale* ad praecipua delicta recogitandum; *particulare* de uno vitio vel una virtute in specie, ad videndum non solum utrum deliquerimus, sed et utrum et quousque profecerimus : promptior enim et tutior erit progressus si omnes vires uni (vitio extirpando vel virtuti colendae) applicentur, quam si, multis simul intentis, vires in diversas dividuntur vias.

Ad quod examen utiliter instituendum : a) suscipitur ad certum tempus virtus exercenda vel vitium aut passio extirpanda, et quidem determinato modo et in determinatis adiunctis, v. g. virtus utilis magis vel passio dominans; b) mane fit propositum et praevidentur occasiones; c) per totum tempus diei exercentur actus virtutis aut mortificationis, ita ut in dies progressive bonum augeatur et minuatur malum; d) vespere instituitur discussio, examinatur profectus, elicitur dolor de lapsu aut de negligentia, et quaeritur de eorum causis aut occasionibus; e) propositum renovatur pro altera die, et media statuuntur ad causas et occasiones vitandas [1].

VIII. Speciatim quoad frequentationem Sacramentorum.

A. *Quoad confessionem* 1) Generatim expedit incipientibus insinuare ut confessionem generalem peragant [2]; nisi iam bene peregerint aut scrupulis agitati fuerint.

2) Quoad confessionem ordinariam, licet quaedam personae, conscientiae admodum tenerae, solitae fuerint quotidie confiteri, ordinario tamen, sufficit confiteri semel aut, exeptionaliter, ad summum bis in hebdomada.

3. Qui caret opportunitate confitendi et peccato veniali, etiam omnino deliberato, gravatur, non debet ideo communionem omittere, tum quia veniale non impedit communionem, tum etiam quia, praeter confessionem, aliis remediis remitti potest, v. g. actu contritionis aut charitatis illud virtualiter retractante; imo accidere potest quod ista occasione ferventionibus actibus contritionis, confidentiae, et humilitatis se ad communionem praeparet.

4) In venialium confessione cavendum, ne ex mera consuetudine et veluti mera narratio, sine contritione aut proposito, aut solum in genere illa declarentur; — sed in specie accusent pauca bene determinata, addita causa vel motivo peccandi; insuper quemdam defectum extirpandum (quo status animae confessario magis innotescat), vel et peccatum aliquod gravius e praeterita vita addant.

1 De examine conscientiae cfr. *La Vie spirituelle,* t. XIV, an. 1926.
2 Vide supra, pag. 53 sq.

5) Ut confessio sit vere devota, ne fiat sine praeparatione, nec tantum praemisso examine, humili et sincera accusatione, vero dolore et efficaci proposito, sed etiam media poenitens quaerat emendationis et occasiones peccatorum statuat vitare.

6) Sedulo peracta, confessio purificat, reficit, atque confirmat magisque coniungit Deo.

B. *Quoad communionem,* conformiter ad decretum S. C. C. 20 dec. 1905 :

!. Ad communionem etiam frequentem et quotidianam stricte non requiruntur nisi duo : status gratiae et recta intentio, qua scii, quis non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat (v. g. inani aemulationi, desiderio captandae benevolentiae superiorum, aut sensibili suavitati potius quam solidae pietati), sed Deo placere intendat, aut ei arctius charitate coniungi velit, aut propriis suis infirmitatibus et defectibus occurrere. Communio enim non est merces virtutis aut meriti, sed medium ad virtutem acquirendam; nec ante omnia ad honorandum Deum, sed ad hominum utilitatem est instituta.

2. Ut tamen communio sit magis devota, maxime expedit quod etiam absint peccata venialia plene deliberata et praesertim affectus ad illa; eo magis quod si iste actu perseveret, impedit effectum sacramenti qui est fervor seu actualis exercitatio ac dulcedo charitatis. Non tamen id stricte requiritur, quinimo si pia, recta et sincera adsit intentio, fieri non potest quod frequenter communicantes a peccatis venialibus eorumque affectu non se liberent.

3. Cum sacramenta Novae Legis effectum maiorem producant ad maiores dispositiones, omnino curandum est ut sedula praeparatio accedat et gratiarum actio sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, officia ac conditionem. Una nempe communio valde fervens multo plus fructus producere valet quam plures ordinariae, aut multae tepidae.

4. In frequentanda s. communione, maioris prudentiae et fructus causa, oportet quod confessarii consilium intercedat : non quidem ut illos qui rectam habeant intentionem arceat, sed ut de recta dispositione certiores reddat; et omnes ad ferventiorem dispositionem et maiorem puritatem exstimulet; ac etiam illos *aliquando* prohibeat quorum recta dispositio suspecta habeatur, quo scii, ferventius accedere doceantur : quales sunt qui post multas communiones venialia non curant,

sed omnino deliberate eademque frequentia recidivi committunt, et linguae vitiis v. g. plurimum indulgent, aut vitam mundanam vel tepidam ducunt.

5. Sedula praeparatio procuranda erit tum remota tum proxima. Remota, qua habitualiter conserventur in puritate, in dies magis ab omni culpa et defectu se liberent, ac maiori desiderio s. communionis ardeant; proxima quae in diversis affectibus consistit : viva fide, magna in Christum fiducia, ardenti desiderio, humili etiam de venialibus contritione, profunda reverentia, et praesertim perfecta charitate unitiva, quae scii, aptius ad proprium effectum sacramenti disponit.

6. Gratiarum actio ferventissimis actibus constet : vivido et, quoad fieri possit, perseveranti amore quo appetamus ut plus a nobis et ab omnibus creaturis diligatur lesus, profunda adoratione, plena oblatione et traditione sui, subiectione intellectus per fidem et voluntatis per charitatem, omnium virium submissione Spiritui Sancto qui est Spiritus Christi, pia gratitudine, humili petitione, ac perdurante per diem tanti recordatione beneficii.

Eo magis autem de gratiarum actione videtur cura adhibenda quod, manentibus speciebus, sacramentum fructum ex opere operato producere pergit, non quidem augmentum habitualis gratiae, sed charitatis fervorem ac dulcedinem; nisi distractione, incuria, aut inordinato affectu ponamus obicem.

IX. Corollarium. — *Veram devotionem* itaque multum *impediunt :*

1) adhaesio ad consolationes terrenas etiam licitas : spiritus enim et caro invicem adversantur;

2) peccata venialia deliberata, quia charitatem tepefaciunt;

3) nimia occupationum copia, quae mentem distrahit, cor dissipat et a Deo avocat. Ünde si multae occupationes ex officio alicui imponantur, curet ut complacendi Deo causa faciat et identidem inter occupationes se in Deo recolligat.

X. Cavenda a confessariis. — Sapienter S. Alphonsus monet confessarium [1] :

1. Ut summam curam adhibeat ne adimat aut minuat libertatem alium adeundi confessarium. Caveat igitur ne poeni-

[1] *O. c.,* n. loo.

tentibus devotis, praesertim feminis, prohibeat ad alium accedere, et si accesserint, ostendat id sibi gratum esse; imo iis (nisi sint scrupulosi) ipse etiam imponat ut aliquando apud alios confiteantur, secus esse causa potest sacrilegiorum.

2. Ne sollicitum se ostendat de directione alicuius animae in se suscipienda.

3. Nunquam absque necessitate de aliorum confessariorum defectibus loquatur, sed potius sedulo quaerat eos ab aliquo errore commisso excusare.

4. Ne suscipiat directionem alicuius qui vult directorem suum derelinquere, nisi urgens adsit causa, qualis esse potest defectus virtutis vel etiam doctrinae in eo, aut propensio ad vanitatem; non autem quod poenitens aliquam erga eum aversionem sentiat, vel quod videatur verbis ipsius non amplius fidem habere, nam saepe est daemonis tentatio. Et ex hoc saepe dissipationes, perturbationes, et quandoque etiam scandala oriuntur.

5. Caveat ne partialem et uni poenitenti prae aliis propensum se ostendat, ac alicui animae adhaereat; quod non solum valet de iunioribus et levioribus, verum etiam de valde devotis et spiritualibus, cum quibus est periculum maioris adhaesionis. Ne itaque cum una vel altera omnem curam, tempus et laborem insumat; si aliqua maiore indigeat assistentia, ne ideo parcior aut insufficiens cura de aliis habeatur; unde et expedire poterit illi personae indigentiori diem et tempus speciale assignare, ita ut alii incommodum non ferant.

6. Si eveniat, sicut fieri potest etsi rarius contingat, personam devotam labi in mortale peccatum, confessarius nullum ostendat signum admirationis aut indignationis, sed exemplo Christi Petrum lapsum intuentis, eam benigne excipiat, excitet ad spem, ad dolorem, ad charitatem, ad humilitatem, ac caveat ne poenitens inordinatae tristitiae se tradat [1]. Quod si lapsus iste vehementer sibi indignet, videndum utrum sit indignatio superbiae aut sancti doloris : superbia reprimenda, non extinguendus dolor.

7. Denique, sit confessarius generatim expeditus in audiendis confessionibus piarum et devotarum personarum (praesertim mulierum); assuefaciat eas breviloquio in confessionali;

1 Aertnijs, *Th. P.,* n. 208.

certe bonum signum verae virtutis praebet femina devota cui placet confessarius expeditus

XI. Animadversiones. — Piis et devotis solet Deus immittere tum consolationes spirituales vel et sensibiles, ut eos a terrenis voluptatibus retrahat et ad exercitium virtutis excitet, tum etiam desolationes, vel et tentationes, ut eorum probet fidelitatem et ad maiorem perfectionem eos extollat. De quibus notandum :

A. *Quoad consolationes :*

a) Homo sciat veram devotionem consistere in prompta, forti et constanti voluntate Deo serviendi et faciendi quidquid ipsi placet, non vero in sensibili cordis dulcedine vel et spirituali suavitate, unde hisce non est adhaerendum.

b) Insuper doni consolationis divinae se indignum reputet et fateatur, et conetur animum a terrenis voluptatibus abstrahere, ad virtutes arduas excitare magisque Deo coniungere.

c) Interim se praeparet ad desolationem : Dei enim visitationes neque constantes neque omnibus aequaliter contingunt, sed eas modo concedit ne deiiciamur, modo subtrahit ne iis abutamur easque vertamus in vitium, puto vanam gloriam aut negligentiam in exercitiis. Ita agit ne labamur in superbiam, sed ut agnoscamus eas esse solum Dei dona, ac etiam ut ardentius visitationes Dei desideremus, quin tamen iis adhaereamus sed soli Deo : virtutem scii, exercentes et propria determinatione laborantes, non ob consolationes, sed quia ita debitum est et placet Deo.

d) Unde non expectandae sunt a Deo, nisi cum perfecta erga eum submissione, prout eas dare vel negare ipsi placuerit.

B. Etiam immittit Deus *desolationes,* quas aliquando comitantur tentationes vehementes et motus impuritatis, iracundiae, blasphemiae, incredulitatis, necnon desperationis, quibus magno moerore afficiuntur animae devotae. Cum enim consolationes sint Dei dona sed non Deus ipse, oportet ut anima a donis divinis recedat ut ipsum donatorem diligat. « Ut animas, ait S. Alphonsus, *Pr. conf.,* n. 125, avellat etiam a donis suis, et donatorem puriori amore diligere cogat, efficit Deus ut non inveniant amplius in oratione pabulum consuetum et solitam consolationem, sed taedia, ariditates, tormenta et quandoque etiam tentationes ».

Hinc confessarius sollicitus sit

a) ut non amittant animum, existimantes se non esse in gratia Dei, sed e contra in desolationibus signum videant Deum velle solidiore cibo eas enutrire et ad solidam virtutem perducere, ad maiorem sanctificationem, cum diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum (Rom., VIII, 28);

' *Ibid.,* n. 211.

b) ut eas roboret et exstimulet ne orationes et s. communionem praetermittant vel et alia exercitia spiritualia, quae exinde gratiora Deo fiunt et saepe meritoria;

c) ut eis inculcet illum qui Deum diligit propter consolationes, plus Dei consolationes quam Deum ipsum diligere, et e contra eum qui Deum diligit eique adhaeret sine consolationibus, ei verum, purum et firmum ostendere amorem;

d) ostendat non esse tutiorem et breviorem viam ad perfectionem quam patientiam in tribulationibus : quo magis patimur, eo perfectius a creaturis abstrahimur, ab amore proprio purgamur, Deo intimius unimur et Christo assimilamur;

e) lumine divino adiutus, exquirat ex qua causa spiritualis desolatio oriatur, ad quod poenitens statum animae cum omni humilitate libenter exponat. Potest desolatio provenire vel ex defectu voluntario, uti sunt abusus consolationis per superbiam, socordia, adhaesio ad creaturam, et tunc poenitens de culpa doleat, veniam postulet, desolationes in poenam humiliter admittat et in pristinum fervorem renovetur; — vel ex corporis defatigatione et ex naturali indispositione, et tunc honestae recreationi et corporali exercitio, vel et aliquando interventui medici erit locus ut robur restituatur; — vel ex Deo ipso qui intendit animam purificare, et tunc libenter sunt accipiendae (quin curiosius de intentione divina investigatio fiat), dicendo sicut Christus : Pater, *transfer a me calicem istum, verumtamen non mea voluntas sed tua fiat* (Le., XXII, 42).

C. *Quoad tentationes.* Qui ad profectum virtutis tendunt, specialibus impugnantur tentationibus, ad quas efficacius superandas prudenti confessarii consilio indigent.

1. *Initio :* saepius ex naturali quodam fervore aut a consolationibus spiritualibus excitati, facile de viribus praesumunt et nimia (aut maiora) aggredi volunt; postea vero, subtractis deliciis, non minus facile pristinum ardorem amittunt et in animi deiectionem cadunt, existimantes se virtutem assequi non posse. Quapropter a) eos ab initio praemuniat negotium perfectionis non uno die sed lento gradu perfici;

b) fervidis principiis non multum fidat;

c) maxime eos instruat verum et solidum profectum non in deliciis sed in spirituali pugna consistere, et in firma voluntate faciendi quidquid Deo placet et vitandi quidquid ei displicet, ac Deum, qui intuetur cor, conatus plus quam apparentem profectum remunerare. Proinde magno animo Dei beneplacito se committant.

2. *Post aliquem progressum:* qui aliquandiu Deo servierunt, spirituali pugna post aliquod tempus fatigati, saepe retro respiciunt, ubi sunt sistere volentes, et amore commoditatis ad teporem sollicitantur. Ex quo fit ut paululum decidant, exercitia orationum et mortificationum decurtent, aut omittant, aut negligcntcr perficiant, sacramenta sine congrua praeparatione recipiant, difficilia fugiant, perfectionem minus aestiment, in amore saeculi et voluptatum crescant etc. Quod initio temporis difficulter, progressu autem facile advertitur. Ex quo fit quod leves defectus parvi habere incipiant, ac deliberate admittant, et aliquando, urgente tentatione, in mortale labantur.

Quod malum sedulo est curandum. Unde

a) serio admoneantur de periculo quod incurrunt : qui in via Dei non progreditur eo ipso (ex insurgentibus scii, concupiscentiis et tentationibus)

regreditur; unde et lenta tepiditas saepe periculosior est ipsi peccato mortali (Apoc. HI, 15-16);

b) excitentur ad maiorem fervorem, tum quia ad maiorem perfectionem tenentur qui abundantioribus gratiis cumulati fuerunt, tum quia iactura temporis et gratiae a Deo severe tractatur, tum quia Deus optimus maximus totis quo possumus viribus coli meretur;

c) iubeantur omnia devotionis exercitia neglecta resumere et bene peragere (praesertim orationem mentalem et examen conscientiae), aut etiam aliquo tempore augere, vel et secessum sacrum facere.

d) Quodsi benigna exhortatio non prosit, cum severitate tractentur atque terrore iudicii divini terreantur.

3. Tandem *in provectiore statu virtutis* : laqueo superbiae, vanae gloriae, et temerariae cuiusdam praesumptionis subinde irretiuntur. Ex quo fit ut, immemores necessitatis divini auxilii, in propriis viribus sibi complaceant, in quasdam peccati occasiones temere se proliciant et negligentiam in rebus exiguis ut innocuam habeant, ac vanis illusionibus decipiantur; sic ira existimatur zelus, pro constantia pertinacia habetur, pro liberalitate prodigalitas, pro amore divino amor proprius, pro charitate amor sensualis. Unde etiam in grave peccatum, quamvis rarius, prolabi possunt.

Quibus proderit a) generatim instans oratio, discussio sui, indigentiae et fragilitatis suae consideratio, peccatorum frequens recordatio;

b) speciatim, quoad virtutum praxim, consilium ac simplex humilisque obedientia confessario, et examen particulare; ad illusiones autem vitandas, nil extraordinarium, inconsulto confessario, peragant.

XII. Monitum de falsis devotis. — Notat Aertnijs, Th. P., n. 212 :

« A vere devotis personis distinguendae sunt illae quarum devotio vel hypocrisis est, ad imponendum aliis, vel illusio, qua ipsae decipiuntur. Omnis earum devotio in religionis exercitiis externis consistit; nimirum frequentant ecclesiam, multas preces recitant, saepe confitentur et pluries in hebdomada S. Communionem suscipiunt. Nihilominus veram et solidam virtutem neque intelligunt neque curant, sed vitiis scatent; in ecclesia morantur diutius quam oportet, cum perturbatione parentum ac neglectu rei domesticae; Sacramenta frequentant ut videantur ab hominibus et laudentur; quare si confessarius non indulgeat eis tam saepe communicare quam vellent, repulsam aegre ferunt; in confessional! diu colloqui appetunt cum confessario, absque ulla utilitate aut necessitate. Mortificationis spiritus illis omnino deest, ideo deliciis in cibo et potu inhiant, a labore abhorrent, loquaces sunt. Humilitate et obedientia carent, ideo directioni confessarii se non subiiciunt, sed confessarius earum nutibus obsequi deberet; confessarium fallunt, dum levissimas tantum culpas confitentur, graviores autem, quales hic recensemus, non accusant, laudes et honores affectant, proprio sensui inhaerent, correptionis sunt impatientes, alios aspernantur et arroganter corripiunt. Charitate erga proximum destitutae sunt, unde domesticis suis permolestae sunt, nullius famae parcunt, aliis invident, facile irascuntur, etc. — Personis specie devotis adnumerandae sunt nonnullae matronae et domicellae, quae vitam mundanam, deliciis et luxui deditam, cum pietate consociare volunt; inde frequentant tam theatra quam ecclesiam, assistunt choreis nocturnis et sacris processionibus, legunt

libros romanticos et libros precum, frequentant Sacramenta et circulos mundanos consectantur ».

Imo « sunt quae etiam volunt esse contemplativae et de rebus spiritualibus semper loqui gestiunt. Interim latent, vel et apparent, ingens saepe superbia, proprii iudicii tenacitas, stultae imaginationes, insaniae falsae. Virtutes nec colunt, nec intelligunt, mortificationis spiritu, humili et simplici obedientia, germana in proximum charitate, patientia prorsus carent.

Tales reducendae sunt ad veram humilitatem, deinde ad puram in omnibus intentionem. Postmodum dirigendae secundum communes regulas, et sollicite docendae in quo vera devotio consistat »

QUAESTIO SECUNDA

De Perfectis et Contemplativis

I. Confessant obligatio scientiam acquirendi vitae spiritualis perfectae. — « Quando anima aliqua a Deo *contemplationis gratia* donatur, oportet, ait S. Alphonsus, ut confessasarius optime sciat modum quo eam dirigere debeat, ut ab omnibus illusionibus liberet; alias maximum illi afferet damnum; et, quemadmodum ait S. loannes a Cruce, magnam ipse Deo redditurus est rationem » *(Pr. Conf.,* n. 126). « Et ideo... non omittat consulere alios viros doctiores, et maioris experientiae... in directione alicuius animae elevatae, et quae a Deo aliquibus gratiis supernaturalibus sit donata, quando ipse in hac materia est parum expertus... »; aut etiam « nullam omnino sentiat difficultatem praecipiendi huiusmodi animabus, ut se conferant, ob directionem, ad magistros magis peritos; vel saltem, ut illorum subeant iudicium » (ibid, n. 194).

Monemus itaque talium poenitendum confessarios, ad scientiam competentem acquirendam oportere ut adeant doctos libros, qui rectam doctrinam vitae spiritualis exponant; ac, eorum gratia, subiicimus essentiales notiones et generalia principia directionis dc vita perfecta

* Thol. Mechu, *Tract, de Virtutibus,* n. 90, q. 2. Cfr. S. Franciscus Salbs., *Introduction à la vie dévote,* p. I, ch. I.

’ De perfectione et vita perfecta ac contemplativa, cfr. S. Thomas, II-II, q. 179-184. aim comtn. Caietani; in III Sent. d. 35; opusc. *de Perfectione vitae spiritualis;* S. Bonaventura, *Itinerarium mentis in Deum;* Dionybtus Carth., *de Contemplatione; de Fonte lucis;* Luu. BloBius, *Institutio spiritualis;* S. Franciscus Salesius, *Traité de l'Amour de Dieu;* S. Theresia, Opera; S. Ioannes a Cruce, Opera;

II. In quonam consistit perfectio christianae vitae. — «Essentialiter consistit perfectio vitae christianae in charitate », ait. S. Thomas, II-II, qu. 184, a. 3; unde, eo perfectior erit homo, quo maiorem habebit charitatem, per quam anima Deo coniungitur. Etenim, « unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Charitas autem est quae unit nos Deo, qui est ultimus finis humanae mentis » (ib. a. 1), et perfecta beatitudo. Unde, et per solam charitatem mens nostra perfecta est, et placide quiescere valet.

Iam dicit S. Augustinus, De Nat. et Gr., c. 42, charitatem *verissimam, plenissimam, perfectissimam esse iustitiam,* si scii, charitas ipsa perfecta sit

Hinc : 1) Cum charitas in hac vita non sit in statu consummato et perfecto, perfectio in hac vita non est nisi *inchoata* et *incompleta* : charitas scii, consummata et perfecta semper fertur actu in Deum; quod in praesenti vita fieri non potest, sed tantum in patria per intuitivam Dei visionem (ib. a. 2; et q. 24, a. 8; q. 44, a. 4, ad 2).

2) Perfectio non consistit formaliter in bonis operibus (ieiuniis, orationibus, eleemosynis), seu in exercitio *virtutum moralium,* etiam perfectissimo, ut in consiliis evengelicis : haec enim omnia non sunt nisi media et instrumenta et adminicula ad perfectionem acquirendam. Virtutes scii, morales et bona opera sunt medium necessarium quo introducantur in animam *dispositiones* ad perfectionem, ita ut sine iis impossi-

Suarez, *De Religione,* tr. 4; Ioannes a S. Thoma, *Comm, in summam S. Thomae* (ubi de donis Spiritus Si, et de oratione); Philippus a SS. Trinitate, *Summa theologiae mysticae;* Passerini, *de Hominum statibus et officiis;* Thomas de Vallgorniera, *Mystica theologia Divi Thomae;* Ioseph a Sp. So, *Cursus theologiae mystico-scholasticae;* Schram, *Institutiones theologiae mysticae;* Scaramelli, *Directorium mysticum;* S. Alphonsus, *Praxis conf.,* η. 126-144; Marc, *Th. M.,* Π, η. 1843-1847; Theol. Mechl, *de Virt.,* n. 88-ço, p. 220-223; n. 100, p. 251-254; Frassinetti, *Th. M.,* diss. 15, § 6; Meynard, *Traité de la Vie intérieure, Somme de théologie ascétique et mystique;* Saudreau, *Les degrés de la Vie Spirituelle; La Vie d'Union à Dieu; L'étal mystique; Les Faits extraordinaires de la Vie spirituelle;* Poulain, *Des Grâces d'Oraison;* Garrigou-Lagrange, *Perfection chrétienne cl Contemplation;* Tanquerey, *Précis de théologie ascétique et mystique;* Lemonnyer, *La Vie humaine, ses formes, ses états* (in vers. gall. Summae S. Thomae); III. Waffelaert in per. *Collationes Brugenses* (passim); item duo periodica: *La Vie spirituelle,* et *Revue d'ascétique et de Mystique,* quorum unum a Praedicatoribus, alterum a lesuitis regitur.

1 Cfr. Suarez, *De Religione,* Tr. 7, l. I, c. 3, n. 4.

bile sit, secundum ordinariam Dei providentiam, illam obtinere; eodem modo ac studium necessarium sit ad acquirendam scientiam (ib. a. 3, et a. I, ad 2). A fortiori, medium opportunum sunt consilia evangelica quae efficacius omnia excludunt perfectionis seu ferventis charitatis impedimenta (secundum Christum, Mt. XIX, 21), ita ut iam liberius tendamus in Deum. — Quapropter [1] :

a) Virtutes morales etiam dicuntur praebere perfectionem, nom tamen simpliciter, sed tantum *secundum quid,* aiente S. Thoma : « Vita christiana specialiter in charitate consistit, per quam anima Deo coniungitur... Et ideo secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio christianae vitae, sed secundum alias virtutes secundum quid » (a. I, ad 2).

b) In consiliis evangelicis, perfectio est, non tamen per se essentialiter, sed solum *secundario et accidentaliter* (a. 3).

3) Perfectio neque consistit formaliter *in virtutibus fidei et spei :* istae enim aliquo modo, etiam proxime, nos Deo conjungunt, et sine illis impossibile est diligere Deum, quin scii, prius bonitatem eius fide cognoscamus, et ab eo auxilium et vitam aternam speremus. Sed tamen sola charitas coniungit perfecte, quia facit hominem Deo inhaerere *propter seipsum,* mentem hominis uniens Deo per affectum amoris, ut scii, homo non sibi vivat sed Deo (II-II qu. 17, a. 6 et ad 1) : « Fides autem et spes faciunt hominem inhaerere Deo sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt... : et cognitio veritatis, et adeptio perfectae bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo adhaerere, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem; spes autem facit Deo adhaerere, prout est in nobis principium perfectae bonitatis, in quantum scii, per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam » (qu. 17, a. 6). Ergo charitas est « potior quae magis Deum attingit... Fides et spes attingunt quidem Deum secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni; sed charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non autem ut ex eo aliquid proveniat; et ideo charitas est excellentior fide ct spe, et per consequens omnibus aliis virtutibus » (qu. 23, a. 6).

Unde charitas « se habet propinquius ad obiectum (Deum)... et hoc modo... est maior aliis. Nam, aliae important in sui ratione distantiam ab obiecto : est enim fides de non visis, spes autem de non habitis. Sed amor charitatis est

1 De his et sequentibus etiam videri potest Suarez, *l. c.,* n. 16 sq.

de eo quod iam habetur : est enim amatum quodammodo in amante, et amans per affectum trahitur ad unionem amati, propter quod dicitur (I Ioan. IV, 16) : *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo* » (I-II, qu. 66, a. 6; II-II, qu. 23, a. 6, ad 3). Hinc sola charitas manet in altera vita (I-II, qu. 67, a. 3, 4, 6); fides autem et spes sine charitate sunt *informes et mortuae* (II-II, q. 23, a. 7; I-II, q. 65, a. 3; II-II, q. 4, a. 5).

Convenienter igitur definiri potest perfectio : charitas prompta et expedita ad exercendos actus, eosque quantum fieri potest perfectos [1].

III. Estne obligatio tendendi ad perfectionem? — *Omnibus aliquo modo incumbit obligatio tendendi ad perfectionem;* nam, ut ait S. Thomas, qu. 186, a. 2, ad 2 : « Sicut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes... ita etiam omnes, tam religiosi quam saeculares, tenentur *aliqualiter* facere quidquid boni possunt : omnibus enim communiter dicitur (Eccl. IX, 10) : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Est tamen aliquis modus hoc praeceptum implendi quo peccatum vitatur, scii, si homo faciat quod potest secundum quod requirit conditio sui statûs; dummodo contemptus non adsit agendi meliora, per quem animus firmatur contra spiritualem profectum ».

Tendentia ad maiorem perfectionem per *se* est tantum *de consilio,* scii. « in quantum ab affectu hominis excluditur non solum id quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud quod impedit ne affectus totaliter dirigatur in Deum; sine qua perfectione charitas esse potest, puta in incipientibus et proficientibus » (II-II, qu. 184, a. 2).

Hinc : 1) omnibus dicitur, etiam laicis, Mt. V, 48 : « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est »; lac. I, 4 : « Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti, in nullo deficientes »; et Eph. VI, 13 : « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare »;

2) attamen altior perfectio potest in homine etiam exigi « secundum quod requirit conditio sui statûs » (II-II, qu. 186, a. 2, ad 2), ut in sacerdotibus (qu. 184, a. 6 & 8, et Suppi, qu. 35, a. 1, ad 3);

3) item religiosis maior perfectio convenit, utpote qui sunt

[1] Suarez, *o. c.,* l. I, c. 4, n. 19.

in statu tendendi ad perfectionem, et a fortiori episcopis (II-II. qu. 186, a. 5, 6, 7).

IV. Triplex gradus in perfectione seu status. — In ordine ad perfectionem, seu progressivam ascensionem mentis ad Deum, *triplex* distinguitur *gradus charitatis* seu *status iustorum,* qui in charitate vivere et proficere student, scii, *incipientium, proficientium,* et *perfectorum.*

« Primo quidem incumbit homini studium *principale* ad recedendum a peccato, et resistendum concupiscentiis eius, quae in contrarium charitatis movent; et hoc pertinet ad *incipientes,* in quibus charitas est nutrienda et fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit ut homo *principaliter* intendat ad hoc, quod in bono proficiat; et hoc studium pertinet ad *proficientes,* qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc *principaliter* intendat ut Deo inhaereat et eo fruatur; et hoc pertinet ad *perfectos qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo* » (I-II, qu. 24, a. 9).

Aliis verbis, oportet 1) peccatum vitare et ideo mortificare passiones ac reprimere concupiscentiam; 2) passionibus sedatis et concupiscentia refrenata, magis exerceri et proficere in virtute; 3) passionibus edomitis et concupiscentia fere extincta, frui unione divina.

Qui tamen tres status nunquam ita inveniuntur distincti, quin unusquisque illorum aliquid de ceteris participet (ib. ad 2 et 3); proinde in quolibet statu mortificationi, exercitio virtutum et amori divino indesinenter incumbendum est, sed in primo gradu mortificationi, in secundo progressui in virtute, in tertio perfecto charitatis exercitio *magis* est insistendum. Secundum tres praedictos status, *tres* etiam *viae* distingui solent Illorum qui perfectioni student : *purgativa, illuminative,* et *unitiva.* Via incipientium vocatur *purgativa* quia primo ct per se tendit ad purgandum animum a peccatis et exuendum veterem hominem cum actibus suis, passiones mortificando, ut charitas conservetur. Via proficientium dicitur *illuminative,* quia per se eo tendit ut, passionibus sedatis, mens, a vitiis et concupiscentiis magis Immunis, iam uberius a Deo illuminetur circa virtutes Christianas, et viriliter incumbat operationi virtutum et charitatis incremento, ac per hoc novus induatur homo. Via perfectorum appellatur *unitiva,* quia, passionibus edomitis et virtutum praxi acquisita, ac ita interna pace et tranquillitate animi obtenta, per se et maxime ordinatur ad promptam et delectabilem exercitationem charitatis et arctissimam animae cum Deo unionem.

V. Triplex vita perfecta. — In ordine ad christianam perfectionem etiam triplex distinguitur vita : *activa, contempla-*

tiva et *mixta.* Quam distinctionem explicat Benedictus XIV, de Can. l. 3, c. 26, n. 4 :

« Qui enim inter fideles continuo aut saltem frequenti vacant exercitio operum misericordiae spiritualis et corporalis, et assiduo virtutum exercitio erga Deum et proximum, sive opera sint praecepti, sive consilii, vivere dicuntur *vita activa.* — Illi qui continuae aut saltem frequenti Dei ac divinarum et omnium rerum revelatarum considerationi vacant, praediti charitate cum totali abdicatione saeculi, puritate cordis et passionum subiectione, vivere dicuntur *vita contemplativa.* — Illi demum qui ea peragunt quae modo dicta sunt, quique modo in activa vita, modo in contemplativa se exercent, vivere dicuntur *vita mixta »,*

Omnino conformiter ad S. Thomam, qui II-II, qu. 179 docet :

1) divisionem vitae humanae (i. e. rectae rationi conformis aut perfectae) in *activam et contemplativam :* « Unumquodque vivens ostenditur vivere ex operatione sibi maxime propria, ad quam maxime inclinatur; sicut... vita dicitur consistere hominum, in hoc quod intelligunt et secundum rationem agunt. Unde etiam in hominibus vita uniuscuiusque hominis videtur esse id in quo maxime delectatur, et cui maxime intendit, et in quo praecipue vult quilibet convivere amico... Quia ergo quidam homines *praecipue* intendunt contemplationi veritatis, quidam vero intendunt *principaliter* exterioribus actionibus, inde est quod vita hominis convenienter dividitur per activam et contemplativam » (a. 1). Itaque, sicut vita contemplativa *essentialiter* consistit in contemplatione veritatis divinae, ita vita activa *essentialiter* in exercitio virtutum moralium

2) istam *divisionem* de se esse *sufficientem* et completam : « Divisio ista datur de vita humana, quae quidem attenditur secundum intellectum. Intellectus autem dividitur per activum et contemplativum, quia finis intellectivae cognitionis vel est ipsa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectum contemplativum; vel, est aliqua exterior actio, quod pertinet ad intellectum practicum sive activum. Et ideo vita etiam sufficienter dividitur per activam et contemplativam » (art. 2);

3) vitam *mixtam non esse tertium genus* realiter distinctum, sed esse *mediam ex utraque compositam,* qua scii, quis intendat studio contemplationis et exinde etiam in actus

1 Cfr. q. i8o, a. 1-4, et q. 181, a. 7.

exteriores prorumpat, ita tamen quod vel contemplatio vel actio praedominetur : « Media conficiuntur ex extremis, et ideo virtute continentur in eis..., et similiter sub activo et contemplativo comprehenditur id quod est ex utroque compositum. Et tamen sicut in quolibet mixto praedominatur aliquod simplex, ita etiam in medio genere vitae superabundat quandoque quidem contemplativum quandoque vero activum » (ibid, ad 2). lamvero :

a) Vita pure *contemplativa* de se est activae praeferenda, utpote simpliciter melior, uti docent Patres et Theologi, ita interpretantes verba Christi (Luc. X, 42) *Maria opimam partem eligit,* Mariam ut symbolum tradentes contemplativae, Martham ut symbolum activae vitae. — Cuius doctrinae ratio multiplex traditur a S. Thoma, II-II, qu. 182, a. I, qui addit: « secundum quid tamen et in casu est magis eligenda vita activa propter necessitatem praesentis vitae ». Hinc religionibus vitae activae *de se* potiores sunt illae quae ducunt vitam Contemplativam, uti sunt Monachorum S. Benedicti et Carmelitarum (qu. 188, a. 6).

b) Vita *activa* est multiplex et diversae perfectionis secundum varias occupationes diversas, et sic « potest attendi praeeminentia secundum quod una religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere, sicut inter opera vitae activae potius est redimere captivos quam recipere hospites » (ibid.). Inter opera autem vitae activae primum locum tenent actiones quae directe ordinantur ad salutem animarum. Unde magis quam instituta quae infirmorum curae aut institutioni iuventutis ordinantur, perfecta sunt illa quae incumbunt vitae activae sacri ministerii, uti sunt religiones clericales magis recentes, inde a saec. XVI institutae.

c) Vita *mixta ex* contemplativa simul et activa est utraque perfectior, tum quia utriusque perfectionem complectitur, tum quia est vita quam Christus et Apostoli duxerunt. Haec competit episcopis (qu. 182, a. I, ad 1); et ad eam potest institui religio, qualis est Ordo Praedicatorum. *Quando* scii. « opus vitae activae... ex plenitudine contemplationis derivatur, sicut doctrina et praedicatio,... hoc praefertur simplici contemplationi. Sicut enim maius est illuminare quam lucere solum, ita maius est contemplata aliis tradere quam solum contemplari » (qu. 188, a. 6).

« Potest tamen contingere quod aliquis in operibus vitae activae plus mereatur quam alius in operibus vitae contemplativae (aut mixtae), puta si propter abundantiam divini

amoris, ut eius voluntas impleatur, propter ipsius gloriam, interdum sustinet a dulcedine divinae contemplationis ad tempus separari » (qu. 182, a. 2).

VI. Contemplatio stricte dicta, prout distinguitur a meditatione seu oratione mentali communi est « mentis in Deum suspensae elevatio, aeternae dulcedinis gaudia degustans », ait *Scala claustralium* [1] (c. I in fine), seu simplex intuitus veritatis (II-II, qu. 180, a. 3, ad I).

Differt a meditatione contemplatio : illa instituitur labore discursûs vel imaginum et repraesentationum successione, qua Deum cognoscere quaerimus, haec sine labore simplici intuitu aspicit Deum iam inventum; — in illa anima operatur propriis actibus per vires gratiae, actibus scii, suarum potentiarum gratia elevatarum; hanc Deus speciali modo (per perfectiora scii, dona Spiritus Sancti) operatur, et anima potius patitur, quia ipsa lux et divinus amor, quo tunc tota impletur, reddunt eam suaviter attentam ad contemplandam Dei bonitatem

Potest distingui contemplatio naturalis seu scientifica, et supernaturalis seu christiana. Prima fit modo humano seu active, et est de quacumque veritate; qua scii, terminata inquisitione vel demonstratione veritatis, sine labore et cum suavitate quis attendit veritati, quaecumque illa sit : ita unico intuitu cognoscit veritates quas nonnisi longo discursu et labore cognoverat. Altera versatur circa veritates supernaturales (ut tales) quas intellectus, supernaturalibus habitibus et donis instructus, sub eorum lumine et motione, ex intentione charitatis considerat supra modum humanum et magis passive quam active. Prima sistit in intellectu, altera transit ad affectum per amorem.

De sola contemplatione christiana veritatum supernaturalium in praesenti agimus. Haec, docente S. Thoma, « licet *essentialiter* consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum videlicet aliquis ex Dei charitate ad contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est quod etiam terminus et finis vitae contemplativae habet esse in affectu, dum scii, aliquis in visione rei amatae delectatur, et ipsa delectatio rei visae amplius excitat amorem » (II-II, qu. 180, a. 7, ad I).

Unico actu perficitur; quamvis multi actus ad illam possint

[1] Migne, *P. L.,* t. CLXXXIV, coi. 746.
' Cfr. S. Alphonsus, *Pr. conf.,* n. 126.

esse praeparatorii, quibus ad eam ascendamus Ad eam concurrunt tria dona Spiritus Sancti : per se donum intellectus, aliquando donum scientiae, maxime donum sapientiae. Per se donum intellectûs, cuius est penetrare et simplici aspectu intueri (in caligine fidei) veritates divinas, qui proinde a S. Catharina Senensi vocatur lumen fidei vivae; aliquando donum scientiae, quatenus instinctu Spiritûs Sancti ex recto iudicio creaturarum ascendimus ad cognitionem Dei; maxime donum sapientiae, per quam cognitione affectiva iudicamus ex quadam connaturalitate et affinitate de Deo et divinis, ac ea percipimus et quasi sentimus : quod propriissime est contemplatio.

Ratione modi quo anima obiectum attingit, alia fit per *affirmationem,* alia per *negationem* ', « quatenus Deus in hac vita cognoscitur... per modum excellentiae et remotionis », et quidquid bonitatis et perfectionis in creaturis reperitur, Deo tamquam omnium primo principio excellentissime, omni imperfectione seclusa, tribuimus; vel, e contra, quidquid in creaturis invenitur, de Deo superexaltato, superessentiali et supracomprehensibili negamus et ita videmus quid non est. Quae ultima tamen non sistit in mera negatione, sed efformat conceptum generalem et confusum, quo mens, remotis omnibus creatis perfectionibus, apprehendit Deum esse infinite perfectum, purissimum et eminentissimum. Et ideo perfectior est quam prima, quia sub actione speciali luminis divini infusi, ex abundantia lucis, ingerit conceptum longe maiorem magnitudinis divinae, et ita Deus clarius et sublimius noscitur. Vocatur *divina caligo, clara caligo,* et *sublimis cognitio Dei per ignorantiam.**

Nunc autem recentiores bene multi solent etiam duplicem *ratione principii* distinguere contemplationem : *acquisitam,* ut dicunt, seu *activam,* et *infusam* seu *passivam,* quam multi dicunt extraordinariam. Haec tamen divisio, quae ignota videtur antiquis, probari nequit nec sine periculo proponitur. Nam a) iisdem characteribus et dotibus et notis distinctivis gaudent ambae et ab auctoribus describuntur; b) omnis contemplatio supernaturalis, ab infimo gradu ad supremum, una est specie ex identitate principii formalis elicitivi, quod est intellectus supernaturabilibus non solum habitibus virtutum sed et donis instructus : fit enim sub exercitio donorum Spiritus Sancti, et ideo sub eius motione, ad quam recipiendam dona ordinantur, et hac ratione nulla est quae non sit supernaturalis aut infusa; c) nec ulla proprie extraordinaria seu quasi miraculosa dici potest, cum dona Spiritus Sancti sint cuiuscumque contemplationis, etiam altisslmae, principia connaturalla. d) Quodsi dicatur, post meditationem vel studium, ad modum philosophorum, iam posse animam unico intuitu contemplari veritates meditationi sublectas, haec erit contemplatio mere naturalis; quae insuper, spectata conditione naturae lapsae, non potest sufficienter durare ut exinde constituatur *status* orationis mentalis distinctus.

* S. Thomas, II-II, q. 180, a. 3.

' S. Thomas, *comm, in Dion, de div. Nom.* c. 4, l. 4; I, q. 13, a. i; q. 4, a. i et 2. Cfr. Dionysius Carth., *de Fonte lucis,* a. 13.

• II-II, q. 8, a. 7.

VII. Varii gradus orationis. — Computando itaque diversos modos se habendi quibus instituitur oratio mentalis, non solum illos qui spectant ad contemplationem, sed et illos qui ad meditationem et orationem mentalem communem pertinent et contemplationi sunt quasi praeparatorii, plures distingui possunt *gradus* perfectionis in oratione : primus est orationis discursivae seu meditationis per discursum; secundus est orationis affectivae; tertius recollectionis; quartus quietis seu otii; quintus unionis simplicis; sextus unionis exstaticae seu desponsationis; septimus unionis consummatae seu matrimonii spiritualis.

Duae priores spectant orationem mentalem communem, et omnibus piis et devotis ad utramque, saltem post aliquod tempus, patet aditus; unde ad illas, generatim et per se, omnes dirigendi sunt. Pertinent ad vitam asceticam activam et viam purgativam ac illuminativam.

Ultimi gradus, inde a quiete, certo consistunt in vita mystica seu passiva, et constituunt orationem contemplativam proprie dictam quae totaliter dirigitur a Spiritu Sancto. Cuius triplex, testante S. loanne a Cruce, est signum : a) si anima meditationem ferre amplius non possit, b) si nullum experiatur desiderium imaginationem in quoddam obiectum figendi, c) si amet sola manere cum Deo. Hoc ultimum est praecipuum, quia duo priora non sunt absolute certa; cum etiam ex aliis causis, ut ex indispositione corporis, aliquando proveniant.

Tertius gradus videtur esse intermedius, et quasi mixta oratio, ita quod ab aliquibus distinguatur duplex recollectio : una acquisita, altera infusa. Sed melius dicitur pertinere per se ad vitam asceticam et ad orationem mentalem activam, ita tamen quod disponat ad passivitatem, et in ea quidam motus transitorie dentur sub lumine divino infuso ac inspiratione Spiritus Sancti sensus colligentis, ac ita invitantis animam ad vitam perfectiorem et contemplationem proprie dictam : ita praesertim si frequens sit et habitualis, ac plene evoluta et valde simplex quasi contemplatio nascens [1]

In specie : 1) Oratio *discursiva* est quando primas partes in illa habent facultates cognoscitivae, quae de veritate in veritatem transeunt et discurrunt.

2) Oratio *affectiva,* quando primae partes iam non sunt apud facultates cognoscitivas sed apud appetitivas, ita ut praedominentur affectus voluntatis et cordis.

3) Oratio *recollectionis* (etiam *simplicitatis* dicta, quia fit sine ratiocinio et sine labore), quando intellectus, a rebus externis abstractus et collectus intra se, absque labore et cum suavitate attendit veritatibus supernaturalibus ac Deo, suaviter Deo attractus.

1 Cfr. Tanquerey, *L'Oraison de simplicité* in per. *La Pie spirituelle,* t III.

4) *Quies,* in qua amor ardentior immediate communicatur spiritui in ipso animae centro, et aliquando diffunditur ad ipsos sensus : ita suspenditur in activitate naturali voluntas quae remanet quasi ligata, quia tunc non aliud obiectum praeter Deum valet amare, qui eam ad se trahit; sed intellectus et memoria aut phantasia remanent liberae et quandoque huc illuc excurrunt.

5) *Unio passiva,* qua Deus praebet se videndum (in caligine) animae non modo ut vicinum (sicut in praecedentibus gradibus) sed tamquam praesentem; et anima experitur eum sibi coniunctum per suavem quemdam contactum. In caligine adest clara idea Dei praesentis, qui in animae centro se ipsi coniungit, ita ut de veritate illius praesentiae nequeat ipsa dubitare. In hac caligine suspenduntur omnes interiores potentiae, et quandoque exteriores quae saltem debilitantur : mentem enim defigit et immobilem servat; unde memoria non recordatur nisi Dei, voluntas ita coniungitur Deo ut non possit amare aliud, intellectus tanta luce repletur ut non valeat aliud cogitare, nec etiam gratias quas actu recipit. Est scii, unio quam anima non videt, nec sentit, nec advertit se habere.

6) *Unio desponsationis,* in qua etiam sensus corporei ligantur ita ut non videant, nec audiant, nec percipiant etiam incisionem vel adustionem *(exstasis).* Quodsi gratia sit validior, rapit animam ad unionem motu subitaneo et violento (quod vocatur *raptus),* et quidem aliquando ita ut anima sentiat se rapi extra se et extolli supra se *(elevatio spiritus).*

7. *Unio consummata* denique, seu *matrimonii spiritualis,* est maxima quam in hac vita possit Deus concedere, per quam anima transformatur in Deum et fit unum cum Deo, eo veluti modo quo vas aquae infusum mari evadit unum cum aqua maris. Est status in quo anima habitualiter sibi *conscia* est vivere vita divina, sub influxu scii, continuo divino qui se exercet in intimo fundo sui esse et in omnibus operationibus, quo fit ut Deus non solum sit obiectum sed se ostendat quoque adiutorem qui eas producat ita ut vere sint divinae. Sentit itaque Deum vivere in ipsa, et seipsam vivere in Deo et per Deum. In hac autem unione potentiae iam non sunt suspensae, quia, iam purificata earum sensibilitate, effectae sunt capaces divinae unionis, ita ut voluntas amet Deum suum placidissime, intellectus cognoscat recte et attendat huic unioni factae in centro animae, eo modo ac si quis intueretur solem et sine offensione oculorum splendorem cognosceret. Haec unio est permanens, ita ut anima fruatur habitualiter

divina praesentia iam sibi coniuncta, et fruatur *in pace stabili,* quam passiones non amplius perturbant.

Solet autem Deus introducere in statum firmiorem contemplationis per quamdam purgationem animae passivam, quam ipse infundit, et qua ab imperfectionibus suis, quae impediunt contemplationem, anima magis purificatur quam ipsa modo agendi humano valeret efficere. Est tractus quidam gratiae et lux divina, sed quae affert poenam et obscuritatem, quam Deus ponit in anima dum invenit eius potentias incapaces unionis, utpote non sufficienter disiunctas a consolatione sensibili et materialibus formis. Estque duplex :

a) *ariditas sensitiva (nox sensuum),* quae solet praecedere orationem quietis, et perdurat quousque anima ad illum contemplationis gradum apta reddatur : est molestissima devotionis sensibilis subtractio per quam anima ducitur ad alienationem quamdam ab omnibus voluptatibus sensibilibus tam terrenis quam spiritualibus;

b) *ariditas spiritualis (nox mentis),* quae solet praecedere unionem simplicem vel et desponsationis, et praeparat ad ultimos gradus contemplationis ac pedurat usquedum anima reddatur capax divinae unionis : est lux divina, qua Deus facit, ut anima suum nihilum agnoscat, et ipsa se cernit in quadam terribili agonia, et, agnoscens suas imperfectiones, eo sibi videatur a Deo expulsa et derelicta, tamquam ingrata beneficiis acceptis, credit omnia a se peracta esse suppliciis digna, seque ipsam Deo odibilem, imo experitur quandoque mille tcntationcs, damnatorum poenas et divinam derelictionem.

VIII. Officia confessarii. — *Probandi* sunt poenitentes *ad perfectionem adspirantes,* tum ut promoveantur, tum saepius ut advertatur quo spiritu ducantur, Dei an amoris proprii, et quis affectus in iis sit praedominans, ideoque prae reliquis mortificandus. At probationes sint proportionatae ad indolem uniuscuiusque et complexionem. Unde illi qui pusilli sunt animi, levius sunt tractandi: erga illos qui magni sunt animi et recipiunt gratias eminentiores, suavitati iungenda est quaedam severitas, eo quod pares sint difficultatibus. Horum tamen probatio ne sit quaesita et aperta, nam si poenitentes se probari advertant, facile se fingent ad omnem humilitatem et abiectionis modum; — neque ordinario quid singulare redoleat, sed fiat ex re nata, ut non videatur recedere a communi modo vulgares animas dirigendi; quare communia et levia quandoque ipsis imponenda sunt : sic enim reprimetur superbia et aviditas rerum extraordinariarum. Optima probatio est obedientia.

Quodsi aliqui contemplatione infusa dotati videantur aut a selpsls existimentur, confessarius a) divinum quo egeat lumen ad eorum probationem et directionem frequenter imploret; b) sedulo inquirat de intimis quae experiuntur phaenomenis, nec ex difficultate intelllgendl declarationes poenitendum qui suos sensus spirituales ac altos animae status sufficienter exprimere non valent, statim concludat esse illusiones aut

chimaeras; c) non tamen facilis sit in admittendis supernaturalibus manifestationibus aut gratiis mysticis in illis qui non exercent virtutes morales, quae ad illam *solent esse* praeparatio praerequisita.

Porro pro personis quae ad superiorem contemplationem pervenerunt, regulas directionis sapientissime tradit S. Alphonsus :

A. *Generales.* Debet confessarius talem animam *servare in humilitate, confortare* et *adiuvare;* et ideo :

1) « Debet eam confessarius monere, non ideo eam evasisse impeccabilem, et proptera, quo magis se videt a Deo huiusmodi gratiis donatam, eo magis esse debet humilior et ab omnibus alienata, unice diligendo crucem, et vivendo in totum divinis dispositionibus uniformata, cum assiduo timore, ne suae infidelitates ex eo tempore acerbius puniantur, ob maiorem, qua committentur, ingratitudinem. Inquit S. Theresia *(Mans.* 5 et 6) sibi cognitas plures animas quae, cum antea ad hunc statum unionis ascendissent, postea in peccatum mortale praecipites ceciderunt » (Pr. *conf.,* n. 136).

2) « Imponat animae... ut fideliter enarret omnes communicationes, quas habet in oratione, nullam tamen eas sciendi gulam demonstret; nec unquam aliis manifestet gratias supernaturales suae poenitenti concessas : fiet enim ut illi eius precibus se commendent, eamque maximo superbiendi periculo exponant; vel si post hanc notitiam, levissimum intueantur defectum, multum scandalizabuntur, et eam in derisione habebunt » (n, 144).

3) « Non ostendat huic animae talibus favoribus distinctae, particulare aliquod signum admirationis, et multo minus mittat alios poenitentes ad petendum consilium ab ea, vel ad exposcendum solatium, aut directionem. Potius ostendat minoris se eam facere quam alias animas, quae ambulant per viam fidei, quoniam animae his favoribus ornatae, regulariter loquendo, semper et multum sunt humiliandae » (ibid.).

4) « Si advertat animam servare humilitatem, atque timorem in istis divinis communicationibus, oportet eam adiuvare. imo et securam facere, quoties expedire cognoverit. Inquit S. Theresia quod anima nunquam movebitur ad magna pro Deo gerenda, nisi agnoverit se magna accepisse a Deo. Et quidem eadem sancta, quando... fuit facta securior, dona quae ipsa acceperat esse vere divina, ex eo tempore ad perfectionem non amplius cucurrit sed evolavit » (ibid.).

5) « Nec ex eo quod cernit director animam identidem in

aliquem defectum incidere (quoties defectus non sunt plene deliberati, aut commissi cum adhaerentia et contemptu), reputare debet omnes huiusmodi communicationes pro mendaciis et illusionibus. Dominus tales gratias concedit non tantum animabus perfectis, sed aliquando et imperfectis, ea scii, ratione, ut liberet eas ab imperfectionibus et ad vitam perfectiorem extollat. Unde quando dignoscitur, quod per huiusmodi communicationes anima magis magisque liberetur a passionibus, et proficiat in amore divino, atque in desiderio perfectionis, signum est quod illae sint bonae » (Ibid.).

B. *Speciales.* 6) Speciatim « quando agitur *de gratiis externis,* ut sunt visiones, locutiones et revelationes, regulariter loquendo... tutius est ut director ostendat se parvi eas facere... quia plures sunt falsae quam verae; et quo avidius expectentur, et in pretio habebuntur, eo magis persona aberrabit a fide et humilitate, quae est via tutior, quam posuerit Deus. — Quare det ei consilium ut oret Deum ut veram concedat exstasim, scii, totalem a rebus terrenis et a semetipsa alienationem sine qua ad perfectionem magnam nunquam valebit pervenire » (ibid.).

7)Durante oratione *recollectionis, vel superiori,* dum ponitur in *statu* passivo, « quando Deus loquitur, aut operatur, oportet ut anima taceat et cesset a suis operationibus, nihil aliud ponendo ex parte sui... quam attentionem quamdam amoris ad divinas operationes » (n. 127); nunquam scii, debet contradicere inspirationi divinae, « nec debet curiosius investigare, quidnam sit interior ea spiritûs recollectio; sed sinat se dirigi a Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos magis se a Deo ferri cognoscit » (n. 133).

8) Consequenter, *in aridate sensus,* confessarius « debet animam confortare ad sperandas res magnas a Deo, qui ad hunc finem ita se gerit cum ea. Insinuet ei, ne conetur se excercere in meditatione, sed humiliet se, faciat actum oblationis, totamque se Deo committat, perfectissime resignata dispositionibus eius voluntatis quae tota tendit ad bonum nostrum » (n. 128).

9) Item *in ariditate spiritus,* « viriliter eam confortet ad nihil timendum..., addat Deum... ita se gerere in animabus a se dilectis... dum per tutiorem viam deducit, scii, per viam crucis. Moneat etiam

a) ut primo humiliet se utpote dignam ita a Deo tractari ob anteactae vitae defectus;

b) secundo ut divinae voluntati se totam resignet, paratissimam se praebendo ad ea omnia perferenda, imo et maiora, omni tempore quo placuerit;

c) tertio... proiiciat se tamquam mortuam in brachia divinae misericordiae, et committat protectioni Mariae SSmae quae mater misericordiae et afflictorum consolatrix iure appellatur » (n. 130).

10) Attamen « noverit director vitiosum teporem ab utili ariditate, quam Dominus in personas spirituales aut probaturus, aut purgaturus immittit, rite discernere. In utroque statu anima arida ac ieiuna remanet; sed intercedit discrimen: quod in ariditate voluntas fervore suo non est destituta, imo diligentiorem sese in virtutis exercitio exhibet, dum in tepore etiam voluntas deficit[1] ».

IX. Quid de specialibus liberalitatibus et donis extraordinariis. — Quamvis contemplatio infusa et vita mystica non sint proprie miraculosae, saepe tamen conceduntur in iis quaedam *liberalitates speciales,* ut visiones, locutiones et revelationes, in quibus facile illusio et hallucinatio occurrunt; unde eas a falsis distinguere magni interest.

A. *Visiones* sive externae sunt, sive imaginariae, sive etiam intellectuales; et possunt etiam a diabolo causari. Signa autem probabilia, ex quibus divina earum origo dignoscitur, haec sunt : 1) si sint rarae, subitaneae, transeuntes ad instar fulgoris, immobiliter tamen menti affixae; — 2) si ab initio afferant confusionem et terrorem, sed in fine relinquant animam in summa pace et vivida cognitione suae miseriae, cum ingenti desiderio perfectionis. Talia enim, ordinarie, neque a natura proveniunt; etsi a diabolo, qui « se transfigurat in angelum lucis », etiam provenire possint; sed « a fructibus eorum cognoscetis eos » i. e. daemones et falsos prophetas.

B. *Locutiones* v. g. ad imponenda opera, ad instruendum, sunt : vel *victuales* et successivae, quando quis, meditando, sentit sibi quasi responderi ab ipsomet suo spiritu, sed veiuti ac esset persona extranea; — vel *formales,* quando anima percipit (auribus, iinaginativa, intellectu) aliqua verba formata, sed extra se, quae locutiones sunt *efficaces* quando cito operantur Id quod exprimunt, ut v. g. si audiret anima : noli timere, et statim fiat intrepida. Hac posteriores sunt ceteris omnibus securiores; priores autem sunt valde Incertae, ct secundae multum suspectae. Unde director, si observat ea quae lubentur esse christianae prudentiae contraria, debet ea omnino prohibere. Si vero non sint contraria, expedit, ut suspendat exeeutionem, donec maior certitudo acquiratur.

C. *Revelationes* rerum occultarum et futurarum, v. g. mysteriorum fidei, status conscientiarum, etc., possunt tripliciter haberi, nempe per *visiones, per locutiones,* et per *intelliffcntias nudarum veritatum.* In his cautissime

[1] Aertnijs, *Th. P.,* n. 235.

procedendum est, praesertim quando agitur de certiorando aliquem ob notitiam in revelatione acceptam [1]. Unde ante omnia iubeat eum confessarius revelationem aliis non indicare

Confessarius itaque, ubi talia eveniunt, generatim nullam ipsis fidem habeat. Non raro enim personae talla sibi evenire autumant, quae multa istius generis legerunt aut de facto recenti audiverunt, et exinde magno illorum desiderio tenentur, vel quarum fervida est phantasia, vel etiam corpus infirmitatibus debilitatum (hysteria v. g.): imo etiam interdum directa simulatio et hypocrisis locum habet

Si tamen valida indicia occurrunt, nec signum hallucinationis apparet, et persona est solidae virtutis et sedatae indolis, non incredula tunc sed sobria mente maturoque examine, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas et consultis peritioribus, rem expendat. Interim talem personam diversimode probare studeat, praesertim per humilitatem et obedientiam, etiam aliquando praecipiendo contra proprium illius sensum.

Criteria porro *ad discernenda extraordinaria,* utrum a bono vel a malo spiritu proveniant, haec praecipua traduntur [*]:

1) Signum boni spiritus est, si omnia ab initio ad finem recta et ordinata sunt, conformia veritati catholicae, moribus sanctorum et praxi Ecclesiae, ad veramque virtutem impellunt. Si quid mali occurrerit, indicium est mali spiritûs.

2) Si homo movetur ad amoris proprii abiectionem, abnegationem sui, mortificationem in consuetis et quotidianis actionibus, et tolerantiam adversitatum, ad conformitatem cum voluntate divina, sublectionem proprii iudicii, obedientiam perfectam (etiam contra proprium sensum), humilitatem, contemptum mundi, fugam bonorum, signum est Dei visitationis; — e contra si ad bonam opinionem sui, vanam gloriam, aliorum contemptum, ac inanem et otiosam manifestationem communicationis acceptae, vel ad alia quae sunt supradictis virtutibus contraria, a natura vel a malo spiritu procedunt.

3) Si persona non desiderat extraordinaria, nec tendit ad exercitia quae admirationem movent, sed se indignam putat donis Dei, et dona sua occultat, et specialia non vult nisi ut Deo placeat, imo gaudet de contemptu cum confessarius iudicat illustrationes esse illusiones, signum est boni spiritûs; — e contra si suggestio tendit ad res novas, curiosas, singulares, insolitas, vel ad dona extraordinaria sed cum inordinato vel inani affectu. Decipiuntur ergo qui extraordinaria anhelant.

4) Divina motio est ex omni parte bona, ab initio, in progressu, in fine; daemonis illusio, etsi recte incipere videatur, brevi in aliquod pravum desinit sive a meliori bono retrahendo, sive aliquid mali insinuando, sive animum perturbando. Hinc si motus, licet ab initio timorem iniiciat reverentialem, postea pacem animae affert, intellectum nova veritatis luce illustrans, voluntatem suavi divini amoris flamma accendens, signum est boni spiritus. E contra, si initio quidem blande accedit, sed dein relinquit moerorem, perturbationem, animi tenebras, est signum spiritus mali.

At, undecumque motus veniat, homo serio et constanter intendat eo uti ad proficiendum in imitatione Christi, in abiectione et humilitate; quo fiat

1 Cfr. Marc, *Th. M.,* II, n. 1846, conformiter ad S. Alphonsum, *Pr. Conf.,* n. 139-142.

' S. Alphonsus, *ibid.,* n. 142.

* Cfr. Reuter, *Neo-conf.,* n. 248; Aertnijs, *Th. P.,* n. 239; Lehmkuhl, *Th. M.,* II, n. 637; Th. Mechl., *de Poen.* (4), n. 93.

ut si motus proveniat a diabolo, ipse fine suo et spe frustratus facile recedet.

X. Corollaria de aspiratione et praeparatione ad eminentiora Dei dona, imprimis contemplationis et vitae mysticae — Ex omnibus supra expositis, facile intelliguntur sequentes conclusiones :

1. Liberalitates seu communicationes speciales et miraculosae (quae dicuntur elongare a fide ex eo quod consistunt in notitiis distinctis) non sunt appetendae, quia sunt extraordinariae et ideo vanae gloriae, curiositati et illusioni ansam praebent, et quia non necessariae sunt ad perfectionem nec sanctificant. Unde sunt constantissime reiiciendae, « semper tamen cum spiritu humilitatis et sine ullo contemptu, et semper protestando coram Deo se velle ei in pura fide servire[2] ». Unus enim actus charitatis plus valet quam omnes visiones.

2. Gratiae eminentiores vitae mysticae, utpote uniformes fidei et sanctificantes (uti sunt notitiae confusae et tactus divini qui uniunt Deo), non sunt reiiciendae; unde *de se* licitum est eas desiderare et humiliter expetere, praesertim ab illis personis quae iis iam donantur, ita ut unio cum Deo perficiatur et amor nova incrementa capiat. Homini enim bonum est et appetibile Deo, fini ultimo, adhaerere, intellectu per contemplationem, et affectu per amorem eximium. Unde etiam potest ad eam se *praeparare et disponere,* tum progressiva praxi orationis affectivae et recollectionis, tum exercitio virtutum moralium quibus obstacula removentur contemplationis non tamen valet illam mereri nec efficere.

3. Attamen illis personis quae non sunt sufficienter praeparatae, tutius est solummodo desiderare perfectionem in generali, et conformitatem ad Dei voluntatem; quia tantum omnino remote ad contemplationem tendere, attingere autem ipsam nondum valent.

4. Aspiratio sit pura, humilis, discreta. Practice praestabit Spiritui Sancto generose obtemperare, operibus perfectionis adiuvante Deo insudare, nunquam gratiae contemplationis se aestimare dignum, ut si Deus ad contemplationem evehere velit, non imparatum inveniat.

5. Dispositiones ordinario requisitae recensentur : cognitio

[1] De his Garrigou-Lagrange in per. *La Vie spirituelle,* t. V.
[2] S. Alfhonsuc, *Pr. conf.,* n. 143.
[3] S. Thomas, **II-II**, q. 180, a. 2.

aliqua saltem confusa et generalis vitae contemplativae; — animus fortis; — silentium et recessus; — mortificatio corporis et spiritus; — puritas cordis; — simplicitas mentis; — profunda humilitas; — meditatio; — studium comparandae praesentiae Dei; — fervens charitas.

6. Errant itaque moderni plurimi qui gratias vitae contemplativae et mysticae ut dona extraordinaria habent, et consequenter regulas quas auctores vitae spiritualis de hisce tradunt, etiam illis applicant. Una est vita spiritualis quae incipit a via purgativa, per viam illuminativam crescit, ac terminatur in unione mystica cum Deo. Ad hanc omnes vocantur vocatione generali et remota; proxima autem et individual! vocatione qui sufficienter inveniuntur dispositi. Non igitur legitima est illa quam multi erga vitam mysticam nutriunt diffidentia.

QUAESTIO TERTIA

De Tentatis

I. Quid sit tentatio. — Communis in vita praesenti hominum sors est tentationis incitamentum; a quo nec perfectissimi omnino liberantur. Tentatio est incitatio ad peccatum, seu ad bonum creatum propositum voluntati, quo allicitur vel inclinatur ad violandam virtutem aut praeceptum; potest esse levis, gravis, gravissima, prout vis movendi parva aut vehemens aut vehementissima est ad incitandam voluntatem. Vis illa pendet a natura rei, a vivacitate repraesentationis, ab intensitate appetitus.

Oritur tentatio vel ex principio intrinseco, scii, a naturae corruptione, maxime carnis (lac. I, 14-15); — vel a principio extrinseco : sive per modum *obiecti* externe allicientis, et sic est a mundo (cuius bonis temporalibus i. e. divitiis, honoribus et gloria, vel potestate, atque oblectamentis ac principiis falsis allicitur homo ad peccandum); — sive per modum *agentis* quod interne movet imaginationem ad malum repraesentandum et appetitum excitat ad motum passionis perversum, ut ita ratio et voluntas trahantur ad malum, et sic est a daemone : quamvis iste etiam externe apparere possit, quod tamen raro omnino fit. De quibus cfr. tr. de Peccatis.

Tentationes possunt esse a nobis, i. e. a concupiscentia

nostra mala, et a daemone simul, et hae tentationes sunt magis communes; si autem consuetas passiones nostrarum virium superent, daemoni soli tribuuntur et sunt praeternaturales, et istae rarius contingunt.

Iamvero saepius fit ut poenitentes ob tentationes, quas crebro et vehementer patiuntur, animo deiiciantur; hos iam docere oportet perpetuo decertandi necessitatem, tentationum finem et utilitatem, ac modum illis resistendi [1].

II. Necessitas tentationis. — *Necessitatem* tentationis docent Scripturae (Iob, VII, I; Eccli., II, 1; Tob., XII, 13). Ratio autem huius necessitatis est, quia proponit Deus vitam immortalem tum a) *ut coronam* ad quam contendimus; non datur autem corona sine difficultate vincenda adversa; unde Apostolus, II Tim., II, 5 : « Nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit »; — tum b) *ut mercedem famulatus* ad probandam nostram fidelitatem : Deut., XIII, 3 : « Tentât vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non in toto corde et in tota anima vestra »,

Deus itaque nos tentât seu tentari permittit ad probandam fidelitatem, non autem sicut diabolus, ad nos decipiendos et in peccatum ducendos, sec. Iac. I, 13.

III. Fines tentationis. — *Fines* seu utilitates ob quas permittit itaque Deus tentationes, est suorum fidelium et iustorum bonum, *bonum nostrum* scii, et quidem multiplex. Etenim tentationes

1) dant homini cognitionem sui ipsius, fragilitatem eius ostendunt et indigentiam divini auxilii, ac ita de humilitate eum monent, superbiam eius retundunt, eumque docent tum quantum sibi diffidere debeat, tum quantum confidere debeat Deo;

2) diaboli invidiam eum docent, et vigilantiam continuam exercere, ac mortificare passiones;

3) reddunt eum in Dei servitio magis fervidum, et a torpore et mollitie liberant;

[1] Cfr. S. Thomas, I, q. 114, a. 2; II *Sent.* d. 21, q. 1, a. X; *in ep. ad Hebr.* VI, 15, l. 3; Kiirn», *Neo-conf.,* n. 244; Aertnijs, *Th. P.,* n. 168-175; Marc, *Th. M.,* 1, η. 378; Tanquerey, *de Pecc.,* n. 443-448; Lehmkuhl, *Th. M.,* II, n. 629-632; Noldin, *Th. M.,* I, n. 327-329; Prümmer, *Th. M.,* I, n. 385-389; Hense, *Die Versuchungen.* Item theologica disquisitio: *La Tentation,* auctore P. Masson in per. *La Vie spirituelle,* nov. et dec. 1923; ian., febr., iul., sept. 1924; febr., mart., apr. 1926.

4) inducunt in amorem patriae coelestis ubi nullae insidiae, nec colluctationes, sed pax et plena semper duraturae vitae possessio;

5) coniungunt animam Deo fideli, qui non patitur tentari supra id quod possumus, sed auxilia accomodat tentationibus et cum tentatione facit proventum auxilii (I Cor. X, 13), et ita ad fiduciam et spem victoriae erigit, ac tranquillitatem animi confert : tentationes enim graves sunt potius signum nos esse in amicitia Dei;

6) tribuunt testimonium virtutis et incrementum ac consolidationem, quia actibus fortibus repetitis et heroicis augetur habitus et ad perfectionem adducitur;

7) opportunitatem habent pro peccatis satisfaciendi et ab eorum reliquiis purificandi : ubi enim affectibus et delectationibus malis homo induisit, ibi poenis et afflictionibus eum subiiciunt;

8) multis et praeclaris coronis nos ditant, si vincimus, iuxta Iac. I, 12; Sap. III, 5; Apoc. III, 21; ita augendo meritum, augent et futuram gloriam : quoties enim vincimus toties coronabimur;

9) erudiunt hominem, non solum sibi, sed etiam aliis (Eccli. XXXIV, 9; et S. Greg. Mor. l. 23, c. 27);

10) denique splendidius manifestant divina attributa : potentiam, misericordiam, sapientiam quae de malo eruit bonum, iustitiam quae retribuit pro operibus.

IV. Media generalia contra tentationes quascumque sunt humilitas, oratio et fortitudo. *Humilitas* removet impedimenta gratiae auxiliatricis : Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Iac., IV, 6). *Oratio* impetrat gratiae auxilia (Mt., VI, 13; Lc. XI, 4). *Fortitudo* eis utitur, removet pusillanimitates (Phil., IV, 13; I Petr., V, 9) et praesumptiones, cavetque ne quis temere se exponat periculis.

Ex quibus sequentes deduci possunt *regulae generales* pro praxi a confessario poenitenti suggerendae :

1) Si te adoritur tentatio, statim ab initio eam repelle ne, si invalescere negligenter permittatur, tanta virtute excrescat ut perdifficilis pervadat victoria. Sequere igitur praescriptum Domini : Orate ut non intretis in tentationem, et statim ad Dei misericordiam confuge, tuam ei confidens infirmitatem, vel animum converte ad honestam occupationem externam,

aut actum virtutis, e. g., charitatis, aut contritionis, aut virtutis oppositae elice.

2) Magno, divino nisus auxilio, sis in tentationibus animo, memor te omnia posse in Deo : « Resistite diabolo et fugiet a vobis » (Iac. IV, 7; Phil. IV, 13). Si enim daemon pusillanimem te advertat, magis insultabit, pollicens iam sibi victoriam quam tentato praestaret fiducia magna in Deo.

3) Cave altercationem cum hoste : altercatio enim augebit tentationem, turbabit animum eumque hostis involvet tenebris.

4) Virtutem tentationi oppositam constanter exerce, eius pulchritudinem et vitii contrariam turpitudinem meditando, vitiique horrorem ac virtutis aestimationem augendo.

5) Tentationes praesertim molestas aperi confessario vel directori spirituali : nihil magis odit Satan quam suas machinationes non manere occultas; dein hunc actum humilitatis Deus remunerare solet tentationes infringendo.

V. Diversa ratio pugnandi contra tentationes. — Cum diversa sint tentationum genera, quarum aliae amaritudinem iniiciunt, aliae suaviter alliciunt, diversa etiam obtinet certandi ratio. Contra tentationes prioris generis non defensive tantum sed et offensive obluctari prodest, quaerendo occasiones eas subiugandi (v. g. iram, impatientiam, vindictae libidinem, acediam, inanem gloriam); at tentationes suaves securius fuga i. e. mentis avocatione quam directa oppugnatione vincuntur (v. g. contra fidem aut castitatem), ita ut ipsae a memoria sint excludendae et occasiones earum tollendae. Quod docet S. Thomas, II-II, q. 35, a. I, ad 4^{m} : « Peccatum semper est fugiendum; sed impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo, quandoque resistendo: *fugiendo* quidem, quando continua cogitatio auget peccati incentivum ut est in luxuria, unde dicitur I Cor. VI, 18 : *fugite fornicationem; — resistendo* autem quando cogitatio perseverans tollit incentivum peccati quod provenit ex aliqua levi apprehensione. Et hoc contingit in acedia : quia quanto magis cogitamus de bonis spiritualibus, tanto magis nobis placentia redduntur ea, ex quo acedia cessat ».

Hinc statui possunt regulae quaedam speciales :

1) In tentationibus contra *castitatem* speciali cautela opus est ne turberis vel timeas inordinate, neve ad turpitudinem etiam eius considerandam applices animum, quia sic augebis tentationem; sed statim confuge ad Deum, ad vulnera Christi, ad novissima (v. g. mortem et poenas

inferni), et aliis honestis rebus vel et externis operibus et laboribus applica mentem serio ac totis viribus. Curandam autem ut solutu lesum intuearis, aut unam bonam ideam, non tentationem; alias eam auges, luvat quoque recurrere ad B. V., Angelum custodem. S. loscph, S. Thomam, S. Aloysium, etc. Post tentationem sollicite ruminari utrum in illam consenseris, minime expedit, cum tentatio facile redire posset.

2) Pari modo agendum in tentationibus *contra fidem,* videlicet cavenda omnis disceptatio, omnis ponderatio suggestionum inimici, sed statim confugias ad orationem, elicias actum fidei firmum, proponas mortem subire potius quam a fide deviare. Si nihilominus tentatio pergat vexare, et consistat in vanis ideis et levioribus dubiis, ea prorsus contemnatur; si autem sint difficultates quae aliquid solidi videntur habere, confessarius exponat tentato motiva crcdibilitatls fidei nostrae, puta doctrinam sanctam et intemeratam, celerem diffusionem per totum orbem a pauperibus piscatoribus, prophetias circa eam impletas, tot miracula, ac tot millium martyrum sanguinem, et alia diversa diversis ingeniis accomodata, quae sunt argumenta luce clariora, et manifeste illam veram esse patefaciunt. Insuper personis excultis commendari potest lectio alicuius libri de veritate fidei tractantis.

3) Qui tentatur *spiritu vindictae* a) fugiat et mentem avertat ab iniuria vel molestia illata, et dein b) cessante tentatione, directe contra agat ac corrigat apprehensionem qua iniuria saepe parva apprehenditur ut magna. Cogitet ignominias a Christo susceptas et eas quae a Deo illatae sunt; meminerit fragilitatis, excuset quoad potest proximum vel etiam pro eo oret.

4) Si excitetur *contra spem et fiduciam* tentatio de praedestinatione vel praescientia Dei, aut eam plane neglige tamquam stropham diaboli, aut dic interne : meum est servire Deo, futura disponere meum non est sed Patris qui misit Filium suum ut vitam habeam et abundantius habeam. Nemo speravit in eo et confusus est... Si scirem mè esse praedestinatum, aut si praedestinatio esset in manu mea, quid conveniret me facere? Hoc faciam, et vivam.

5) Si tentatio adsit *contra charifatem* de dispositionibus tuis : Quid eligeres et faceres si peccare vel hoc aut illud malum tolerare deberes?, ad alia convertas animum et hanc cogitationem velut otiosam contemnas, vel interne dicas Deum in hoc casu te non derelicturum, sed tibi largiturum vires maiores quae pro momento tibi deficiunt.

6) Si personae praesertim piae crucientur *cogitationibus impiis,* bias· phemis in Deum, imprecatoriis in proximum, imaginationibus et motibus obscenis etiam circa imagines aut res sacras, timoribus aut et desperatione circa salutem, illas omnino despiciant, sicut scrupulos, ac nihilipendant, ita ut illa nec examinent nec confiteantur, mentemque placide alio convertant. Timor enim ac attenta consideratio auget et causât illas.

VI. Signa resistentiae vel non consensionis. — Signa quibus dignoscitur aliquem tentationi non consensisse, vel saltem non plene, indicantur a moralistis : a) si quis advertens aut plene advertens ad tentationem, eam statim repellit; b) si plenius advertens statim angitur vel tristatur: c) si, statim ubi angitur, adhuc reperit se ita habitualiter constitutum, ut malit mori quam peccare mortaliter; d) si facile potuerit peccatum

exequi et non sit executus; e) si vir timoratus (vel ille qui soleat ita esse affectus ut malit mori quam expresse mortaliter peccare) dubitet num consenserit; f) si quis valde timide et suspense processisse se meminerit; g) si semisomnis fuerit, non plene sui compos, iudicetque se id non fuisse facturum si plene vigilasset; h) si dubitet an sui compos, vigilans, ebrius fuerit.

In dubio : nullus aut imperfectus consensus praesumitur apud viros timoratos et illos qui solent ita esse dispositi ut malint mori quam mortaliter peccare, qui si perfecte consensissent, ordinario non dubitarent; — e contra praesumitur perfectus apud illos qui sunt laxioris conscientiae et facile in aliquod peccatum labuntur; hi si melius quam ut solent tentationi restitissent, istud certo scivissent.

VII. Animadversiones. — 1) Confessarius non omittat supradicta media insinuare poenitentibus, praecipue recidivis, ne eorum confessariorum sequatur exemplum, quibus satis est ab ore p-».n!'cmium audivisse se nolle amplius peccare, et nullo alio interposito sermone, eos absolvunt.. (Aaertnijs, Th. M., I, de Pecc. n. 238.)

2) Poenitentes doceat in processu tentationis tria distinguere stadia; est nempe a) *suggestio* seu sola repraesentatio mali in imaginatione vel et intellectu, simplex propositio mali; b) *delectatio indeliberata* ex suggestione orta in appetitu sensitivo, vel et rationali, qua tentatio *placet,* ac commotio sensibilis et impressio organica qua efficitur iucunda; c) ratione iam advertente malitiam, actus *liberae voluntatis :* sive dissensus quo tentationem abiicit et repellit, sive consensus quo directe vel indirecte in ipsa sibi *complacet* aut eam admittit, probat vel retinet. lamvero in solo censensu adest peccatum; hoc enim non est in solo intellectu, vel appetitu sensitivo, vel indeliberata et spontanea inclinatione appetitus rationalis, sed in sola voluntate libera quae malo deliberate et libere adhaeret. Unde dicat confessarius : *sentire* tentationem seu eius conscium esse, non est peccatum, sed consentire (C. Trid. sess. 5, can. 5); non sensus *aut placentia,* sed consensus et *complacentia.*

Notetur autem diabolum imaginationem quamdam consensfls fingere posse (etiam pro tentationibus mere spiritualibus ut de blaspheinia, contemptu Dei, etc.) et animum quodam sensu complacentiae afficere, ita ut homo sibi videatur consensisse; — quod discernitur si, cum advertat, statim ex animo tentationem detestelur.

3) Attamen moneat confessarius illicitum esse : temere se exponere tentation), absque Insta causa; quae proportionate esse debet tentationis gravitati, l. e. Incitamento et periculo peccandi, spectato non solum absolute et in se, sed et relative pro tali vel tali homine. Et quidem

a) gravi tentation! seu proximo periculo peccandi se exponere solummodo licitum est si gravis adsit ratio et simul fundata spes tentationem superandi;

b) e contra grave peccatum est sine ratione sufficienti se gravi tentationi libere exponere et proximo peccandi periculo;

c) ad levem tentationem et leve periculum incurrendum sufficit ratio levis.

4) Moneat *ante tentationem* esse exercendam vigilantiam (I Petr., V, 8: Mt., XXVI, 41) ad eas praecavendas; ad quod a) *fugiendae* sunt peccandi *occasiones;* b) *vitandae inutiles animi divngationes* ac otia, ex quibus saepe periculosa oriuntur phantasmata; imo c) facultates animae et passiones etiam sunt *positive convertendae* ad res bonas, utiles ac religiosas.

5) *Post tentationem finitam* aut superatam non est superbiae Indulgendum, sed in humilitate gratiae Deo reddantur cuius auxilio victoriam reportare valemus, — de consensu praestito aut negato ne longius instituatur examen, — nec umquam expedit concidere animo, sed fiducialiter confugere ad misericordiam Dei.

QUAESTIO QUARTA

De Scrupulosis

I. Scrupulus dicitur metaphorice a *scrupo* qui est lapillus asper in calceo incedentis latens, molestiam tamen et impedimentum in ambulando afferens; et ideo in moralibus est spirituale offendiculum quod impedit quominus homo inoffenso pede et libero gressu in via veritatis praxisque Christianae procedat. Unde ita vocatur inanis apprehensio et inde ortus timor et anxietas alicubi esse peccatum ubi non est vel esse maius quam sit. Quam apprehensionem solet comitari quaedam obsessio mentalis *(kwelgedachte)* et hyperesthesia peccati; et ita scrupulus iam est mentalis morbus et quidem ordinis moralis : morbida animi anxietas de obligatione exsequenda vel de peccatis commissis aut committendis.

Ad illum igitur triplex requiritur elementum : 1m ordinis intellectualis, futilis ratio quae menti obsidet et cuius solutio non apparet, per modum ideae fixae indeliberate exsurgens, violenter se ingerens, pertinaciter recurrens; — 2m ordinis affectivi, vana peccandi formido inde exorta, quae tenet attentionem defixam et voluntatem impedit quominus mentem inde avertat et ad assensum firmum determinet; — 3m effectus ex utroque procedens, agitatio, inquietudo et perturbatio animi. Potest esse de praeterito, ut si quis ex futili ratione timeat ne aliquod peccatum aut circumstantiam omiserit in confessione, ne insufficienter se examinaverit, ne tentationi consenserit: vel de praesenti aut futuro, ut si quis ex simili

ratione timeat ne id quod facit aut facturus est, sit peccatum

II, Conscientia scrupulosa. — Ex dictis iam intelligitur quid sit *conscientia scrupulosa in sensu proprio :* est scii, dictamen intellectus practici fundatum in scrupulis; unde est conscientia quae cum anxietate, dubitat, suspicatur vel probabiliter putat, ac timet, ob rationes leves et contemnendas, opus hic et nunc ponendum esse malum, dum non est, vel esse peius quam sit, v. g. esse mortale dum sit veniale.

A conscientia itaque scrupulosa proprie dicta seu *scrupulis formata* distinguenda est :

a) *scrupulositas,* i. e. habitus seu status ita irrationabiliter peccatum formidandi, quem tamen saepe vocant, sed in sensu improprio, conscientiam scrupulosam: non enim est conscientia i. e. actuale iudicium intellectus, sed dispositio habitualis qua inclinamur et propensi sumus ad scrupulos et ad conscientiam scrupulosam habendam;

b) conscientia *scrupulis agitata* seu cruciata et vexata, quae iudicat actum esse licitum, quamvis levibus causis aliquatenus timeat et anxietur ne sit illicitus : merus scrupulus seu apprehensio, imaginatio, et anxietas de se non est conscientia seu dictamen rationis, sed umbra et similitudo conscientiae, et potest permanere stante iudicio conscientiae certae scrupulos contemnente;

c) conscientia *timorata* quae rationabiliter cum tranquillitate timet peccatum ex timore filiali quo nec in minimo vellet offendere Deum;

d) conscientia *tenera,* seu delicata, quae minimos defectus advertit et diiudicat, sed iuxta normam veritatis.

III. Signa et manifestationes conscientiae scrupulosae sunt : 1) *pertinacia* in suorum argumentorum argumentatione et in iudicio, quo aliquis ex timore peccati nullius sententiae acquiescit: — 2) e contra timiditas simul in conclusionibus et ideo *frequens mutatio* in iudicio ex levi apparentia, ita ut

1 Dc scrupulis cfr. Pitres et Regis, *Les Obsessions et les Impulsions;* P. Janet, *Les Obsessions et la Psychasténie; les Névroses;* Dr Raymond, *Névroses cl Psychonévroses;* Evmieu, *Le Gouvernement de soi-même* (2" vol.); Grasset. *Demi-fous et demi-responsables; Le Psychisme inférieur;* Gemei.i.i, *De Scrupulis;* d'Agnel et d'Espiney, *Psychothérapie des troubles nerveux; Le Scrupule.*

Item Scaramei l.l, *Directorium asccticum;* Reuter, *Neo-conf.,* n. 2S5-274; Billuart, *de Conscientia;* S. Ai.phonsus, *Th. M.,* I, n. 11-19; *Praxis conf.,* n. 95-98; Raphael a S. Ioseph, *Institutiones fundamentales Theologiae moralis,* de Conscientia; Dubois, *L'Ange conducteur des âmes scrupuleuses;* Père Raymond, *Le Guide des Nerveux et des Scrupuleux;* Grimes, *Traité des Scrupules;* Beaudoin, *Tr. de Conscientia;* et alii auctores in hoc tractatu, ut Ballerini, Lf.hmkuhl, Theol. Mechl., Prümmer, et Vermeersch, Leroux in per. *Revue Reel, de Liège,* tnaii, iunii et nov. 1912; Legrand in per. *Coll. Brugenses,* nov.-dec. 1922, mart.-apr. 1923.

definitive pronuntiare non valeat; atque *diffidentia sui,* qua aliquis suspicatur defectus sive intellectus in capiendis vel interpretandis responsis, sive verborum in proponendis difficultatibus, sive memoriae in retinendis consiliis datis aut positivis praeceptis, imo aut etiam propriis factis ita ut de clausa a se ianua, de extincto lumine, de horis recitatis, de missa audita dubitet; — 3) *cupiditas consulendi* libros aut interrogandi novos confessarios; — 4) *reflexiones, accusationes vel interrogationes impertinentes,* prolixae aut repetitae, circa plures circumstantias quae in actione adfuerunt vel adesse potuerunt aut circa responsionem confessarii; — 5) *perturbati et inordinati modi* ac gestus in cavendis peccatis vel negotiis tractandis, ac modus quasi *coactus* in actionem ruendi de qua anxie inquirebat, et quasi *caecus* procedendi in operibus externis; — 6) *timor peccati* in illis quae ab omnibus ut licita habentur; — 7) *nimia inquietudo et anxietas* circa actiones praeteritas (v. g. confessionem, breviarii recitationem) morali diligentia factas, ac proinde voluntas easdam iterum et iterum repetendi; — 8) *inconstantia et firmitatis defectus in proposito* servandi pacem, silendi de scrupulis, omittendi novam rei inquisitionem, aut simpliciter obediendi.

IV. Causae scrupulorum sunt quotquot systema nerveum delibilitant et energiam animi minuunt.

1° *Internae :* a) *mediatae ex parte corporis :* indoles seu complexio melancholica ad suspicandum malum et ad tristitiam prona, quae etiam ex haereditate provenire potest aut ex quadam degenerescentia [1]; — solitudo seu fuga omnis humanae conversationis et recreationis; — et imbecillitas capitis, etiam ab immoderantia in abstinentiis, vigiliis et studiis proveniens : aut ex debili et infirma constitutione, insufficiente nutritione et perturbatione functionum nutritionis, emotionibus deprimentibus, morbo corporali graviter debilitante, vel et psychastenia quae vix permittit animi intensiorem attentionem ad aequum iudicium de rebus practicis efformandum;

b) *immediatae ex parte animae,* sive in *intellectu :* subtilitas ingenii quod facile invenit rationes dubitandi, aut in omnibus quaerit certitudinem mathematicam; mentis debilitas et

[1] Melancholia inter causas numeratur eo quod melancholici passim sint ingemo acuti et natura suspicaces, tenacesque rerum quas apprehendunt: ita proni sunt ad omnem mali suspicionem, minima etiam volunt perscrutari, aliis aegre acquiescunt; quae omnia ad scrupulos praedisponunt.

defectus iudicii (mulieres saepius sunt scrupulosae quam viri); animi imbecillitas et inconstantia qua potius vividas imaginationes sequitur quam maturum iudicium; — sive *in affectu :* occulta superbia tenaciter adhaerens proprio iudicio; pusillanimitas quae nescit timores contemnere et animum deiicit.

Duplex est igitur scrupulosorum genus : alii sunt potius intellectuales, alii nimis sensitivi et timidi ex quadam phobia. In utroque casu adest defectus tum 1) iudicii practici seu prudentiae in aestimandis circumstantiis particularibus, tum 2) energiae seu fortitudinis, perseverantiae, vel constantiae, voluntatis quae non imperat intellectui ut sit contentus certitudine practica et improprie dicta, aut non moderatur imaginationem et appetitum sensitivum et ita non movet ad examen serenum ab imaginatione et anxietatis influxu liberum [1].

2° *Externae* causae sunt : a) *Deus* (lumen aut robur non concedendo) *scrupulos permittens* in poenam peccati, conscientiae emendationem, tepiditatis liberationem, humilitatis exercitium, maiorem animi generositatem, exercitationem in virtute et fiducia, peccati horrorem, meriti augmentum, probationem mysticam etc... vel etiam ob bonum aliorum ut dirigere scrupulosos discamus;

b) *daemon* scrupulos in imaginatione et appetitu sensitivo *excitans* ad pios torquendum (maxime nutriendo tristitiam) ut in virtute taediosi fiant, externas consolationes quaerant donec ad desperationem salutis perducantur, qua ad laxitatem, imo ad omnia vitia declinent, vel etiam mortem sibi inferant;

c) educatio nimis coarctata vel dura, aut nimis mollis, conversatio cum scrupulosis et lectio librorum rigidorum, vel tractantium de re morali, ab illo qui nescit illos recte diiudicare [2].

1 Aliqui, ut Grasset et Leroux, scrupulos ad morbos *voluntatis* reducunt; prima tamen causa eorum videtur esse defectus iudicii practici quod exercitium voluntati·, praesedit. Ipse Grasset fatetur: « *L'idée* fixe prend sur la volonté un empire injuste et immérité, incoërcible, irrésistible, disproportionné, insensé ». Coeteroquin non videtur esse aegritudo voluntatis quae non di pendcat ab aegritudine mentali, cum actus appetitivae virtutis sequatur cognitionem ipsique *essentialiter* proportionetur. (Cfr. Vermeersch, Th. M., I, n. 34 citans S. Thomam, I-II, q. 10, a. 1). Quodsi aegritudo iudicii *practici,* vocetur voluntatis, sermo non rectus est, sed quaestio erit de nomine.

* De distinctione scrupulorum an sint a Deo, a diabolo, vel a corruptione naturae, vide Reuter, *o. c.,* n. 258-260.

V. Effectus nocivi scrupulorum. — Effectus nocivi multi et maxima damna temporalia simul et spiritualia provenire possunt a scrupulis quibus consensus praebetur, ex quacumque causa oriantur. Et quidem

1) in vita *corporali,* agitatio et anxietas vires extenuant, nervos exasperant, systema nervorum debilitant et perturbant et viam parant neurastheniae, hysteriae aliisque morbis;

2) in vita *intellectuali,* rectitudinem iudicii perturbant, imo ad amentiam ducunt si sint universales, ad monomaniam si circa unum versentur obiectum;

3) in vita *sociali,* considerationem proximi imminuunt, aptitudinem ad relationes sociales auctoritative vel misericorditer exercendas tollunt, graviter molestum aliis reddunt;

4) maxime in vita *spirituali,* causant temporis deperditionem in impugnandis vanis phantasmatibus, negligentiam et imparitatem ad officia status, exsiccant devotionem et ab oratione et sacramentorum susceptione avertunt, diffidentiam excitant erga Deum et pusillanimitatem spiritus, unde enascitur tristitia, deiectio animi, desperatio quae aliquando ad suicidium vel effrenatam libidinem ducit.

VI. Remedia scrupulorum sunt : 1° Causas eorum internas tollere vel minuere : melancholiam et solitudinem solatiis et laetis recreationibus; debilitatem capitis consiliis sapientis medici; defectum iudicii practica conscientiae instructione; superbiam humilitate et iudicii submissione; inconstantiam et debilitatem animi exercitatione et roboratione voluntatis; timiditatem et pusillanimitatem meditatione bonitatis Dei et fiducia in Deum, etc.

In specie, scrupulosi *intellectuales* suadeantur in rebus moralibus non esse quaerendam mathematicam certitudinem, non esse attendendum omnibus quae accidere *possunt,* sed solum illis quae verisimiliter occurrunt, atque anxietatem appetitus a iudicio seu statu intellectus esse sedulo discernendam. Timidi vero in omni re firmiter agere addiscant, anxietatem quam in agendo experiantur fortiter negligant, confisi in divinitatis bonitate, atque firmum propositum acris adversus scrupulos pugnae mente retineant ac saepe renovent [1].

[1] Ita ad roborandam voluntatem, de quo cfr. Etnieu qui processum curationis methodice describit secundum quem i) vitandae sunt sensationes non solum tristes sed mere passivae et emo!ivae; 2) cura physiologica instituenda ex quaesitis requie, somno, distractionibus,

2° Causas externas scii., scrupulosos vel scripta, quae ipsis sunt occasio, vitare, ac excessum laboris intellectualis.

3° Otium fugere et sedulo incumbere labori (maxime illi qui plus delectat), ad vitandas scii, vanas cogitationes.

4° Magno et mortificato animo contra scrupulos agere, tamquam cogitationes malas et nocivas ipsos repellendo, praesertim indirecte, contemnendo, et animum ad alia applicando, et nunquam illis, nec semel, consentiendo.

5° Agere sicut alii viri pii et timorati.

6° Maxime : superiori vel confessario (qui non scrupulosus, sed prudens, etiam potius quam sanctus est seligendus), humili, caeco et perfecto modo obedire et hanc obedientiam saepius a Deo magna cum fiducia postulare; quod est fere unicum remedium efficax.

VII. Principia specialia secundum quae scrupulosi dirigendi sunt :

1° Scrupulosus proprio iudicio regi nequit, quia eius ratio ad hoc est impotens; ergo nihil restat nisi ut ratione aliorum v. g. superioris aut confessarii gubernetur, qui dicat : eum esse scrupulosum et in *quanam materia* [1], ac in ipsa posse et debere sequi iudicium superioris et obediendo peccare non posse, nisi *omnino* certus sit et quod adsit peccatum et quod iudicium superioris hic et nunc applicari nequeat; — imo etiam si certus sit, aut si dicat se ubique evidentiam obligationis et peccati habere, dummodo constet eum tam esse scrupulosum ut phantasia sibi fingat se esse certum. Licet enim, ita

placabili tranquillitate, sine defatigatione, ct relicto medio in quo volvitur vita ordinaria; 3) exercenda activitas ct voluntas educanda, variis mediis quibus scrupulosus addiscat velle, consentire, attendere labori physico aut intellectuali, conatus adhibere, fortiter, firmiter ac constanter velle sub uniformi ct invicta d'sciplina (malgré tout) atque actibus frequenter repetitis.

1 In aliis enim materiis saepius est laxus. « A pusillanimitate sequitur quod aliquis retrahatur ab operibus virtutum propter timorem peccandi. Imo quandoque ad levia peccata vitandum ad graviora fertur. Quod accidit praesertim laboranti conscientia scrupulosa circa materiam specialem, puta circa recitationem horarum, celebrationem missae, etc. Saepe enim alia reputantur pro nihilo, et cum scrupulosa, laxa nutritur conscientia. Nil mirum cum ex eadem radice procedant, scii ex animi parvitate et levitate, v. g. non raro contingit quod quis verba consecrationis anxie repetens, non curet de vasorum vel corporalis munditia, nec ad alia sui officii munera respiciat ». Beaudoin, *Tr. de Conse.,* qu. 4.

agendo, aliquando erret scrupulosus, non tamen peccabit ratione obedientiae quam superiori aut confessario debet.

Praesumptio scii, stat pro confessario sicut pro superiore, cui obediendum est nisi certo constet eum in praescribendo regimine errare et talem regulam imponere non posse, ac obedicntiam esse illicitam. Et talem regulam universalem, utpote sanae vitae cius morali sibi omnino necessariam, sequi potest scrupulosus, etiam si exinde in casu particulari error sequi possit aut peccatum materiale : iste effectus potest considerari ut accidentalis et ob proportionatam causam legitime permitti. Ius enim habet media efficacia adhibendi ct per se honesta ad sanandum.

2° Scrupulosus facile exaggerat vel timet peccatum; hinc apud ipsum dubium grave (quod in aliis esset rationabile) « in casu adesse peccatum » censetur inane et spernendum, et dubium leve « in casu non esse peccatum » censetur fundatum.

Quae dubia non sedulo examinet, ut ad certitudinem deveniat : ad hanc enim pervenire nequit, et ad inutile nemo tenetur; unde ipsi dicendum quod agere libere quaeat, nisi omnino *certus* sit adesse peccatum; imo si certus sit, dummodo constet eum esse tam scrupulosum in tali vel tali materia ut phantasia sibi fingat se esse certum.

3° Obligatio positiva, praecepti scii, affirmitavi, v. g. integre confitendi peccata, examinandi conscientiam, dicendi horas, faciendi correptionem fraternam, non obligat cum magno incommodo; unde ab ipsa scrupulosus facilius eximi potest.

VIII. Conscientia scrupulosa non est regula agendi prudenter, et quia est incerta, et quia est vincibiliter erronea; sed deponenda est, saltem iudicio ex principiis indirectis a confessario traditis, v. g. sequenti modo : Quidquid sit de materiali liceitate vel illiceitate huius actionis, certum est quod in talibus dubiis obediendum est confessario, quod possum et debeo agere sicut confessarius dixit, quod dubium vel iudicium meum possum negligere, quod obediendo non possum peccare etc... Atqui, in casu, tale adest dubium aut talis apprehensio. Ergo...[1]

[1] Quod apud theologos variis formulis invenies propositum. Ita v. g. Lessius : « Quamvis ego, quoad me, potius iudicarem hoc esse peccatum, quia tamen meus confessarius dicit contrarium, possum ct volo facere hoc, quod ille mihi dixit, cum ipse mihi sit interpres divinae voluntatis ». Et Reuter, *o. c.*, n. 263, remed. 2 : ‹ Quamvis ego iudicem hoc esse peccatum ,tamen quia meum iudicium fallibilc est, ct confessarius mihi dixit hoc mihi licere, possum et volo facere quod ille mihi dixit faciendum esse, certusque sum me bene facere, quia Deus vult ut illi obsequar »; et remed. 7: ‹ In recte formanda conscientia nulla est difficultas aut periculum. Tantummodo

Hinc quamvis *contra conscientiam scrupulosam* agere non sit licitum, contra *scrupulos* tamen agere quis potest, imo, ne grave damnum incurrat, aliquando, etiam sub gravi, tenetur : non quidem si in pleno dubio maneat, nam cum conscientia dubia agere est illicitum, sed dummodo hoc aliquomodo deponat et sibi efformet conscientiam certam, indicando, v. g. ex iudicio confessarii, esse scrupulum et illum contemnendo. Scrupulus enim, quia apprehensio inanis phantasiae, non reddit dubium serium, et non impedit quin iudicium conscientiae prius efformatum sit practice certum. Ad rem Lessius, de Prud. c. 1, n. 2 :

« Prudentia non semper valet scrupulum excludere totaliter. Hic enim saepe perseverat cum iudicio prudentiae; attamen ut tunc iudicium sit prudens, debet reputari scrupulus, et sic etiam scrupulum quodammodo excludit prudentia. Etsi enim imaginatio peccati perseveret cum quadam anxietate, tamen per prudentiam reputatur umbra, non veritas ».

Principiorum autem et regularum supra traditarum non debet quis semper actu meminisse, et iis actuale dictamen de honestate actionis sibi efformare, quia id saepe est moraliter impossibile pro scrupuloso. Ut ait S. Alphonsus, Th. M. l. I, n. 19 :

« Nec opus ut in quolibet particulari actu hoc iudicium efformet... satis enim est quod ex iudicio semel formato contra scrupulum agat; quia propter experientiam praeteritam in eius conscientia iudicium illud virtualiter sive habitualiter existit, licet tenebris obscuratum. Ceterum dum scrupulosus in illa confusione operatur, saepe non operatur cum scrupulo seu timore deliberato, nam ordinarie non vellet omittere quod sciret esse placitum divinae voluntatis ».

Exinde pro praxi notari possunt quaedam conclusiones cum P. Vermeersch, Th. mor. I, η. 382 :

1° Postquam de scrupulis a confessario monitus fuerit, ad ordinem phantasticum adscribendi sunt consensus quos dedisse dicat, sive in pravam suggestionem interiorem, sive in propositum hic et nunc agendi etsi sit malum, sive in propositum peccandi. Scrupulosus enim sibi dicere fingit : id volo,

cogita: 1) ut contemnam scrupulos est Dei voluntas: hanc mihi indicant theologi..., meus confessarius qui vices gerit Dei; sequendo autem voluntatem Dei peccare non possum, ct si accideret ut errarem materialiter, imputari id non potest, cum sequar directores datos a Deo. *2)* Praeterea obsequendo scrupulis noceo corpori et animae, reddo me ineptum ad Dei obsequium et proximo fio gravis: vivam in perpetua tortura... ad haec Deus me non obligat. Quod enim nimiam affert difficultatem, est moraliter impossibile, neque ad id Deus obligat... 3) Quod video prudentes et probos facere aut tamquam nugas contemnere, hoc licet etiam mihi ; video prudentes et probos hoc facere aut tamquam nugas contemnere; ergo etc. ».

vel : ita faciam sive bonum sit sive malum, aut peccabo et dein confessione peccatum expiabo. Sed phantasia ipsi assensum huiusmodi repraesentavit, ita ut se sic agentem quasi aspicere ipse sibi visus sit. Non secus tamen atque in somnio, istis suggestionibus vel propositis nullum liberum consensum dedit; de praevisa autem confessione fortasse hunc usum fecit, ut inde ad agendum contra scrupulos animosior evaderet. Quare scrupuloso qui, v. g. ex consilio confessarii, novit habitualiter dubia sua ab ipso contemnenda esse, fas est agere, manente scrupulo. Notitia enim ista ipsi certam conscientiam praebet...

2° Fieri potest ut in processu suorum dubiorum et ratiuncularum scrupulosus diu laboret, atque ita *ex pugna lassus et perturbatus sit,* ut caeco modo in actionem ruat : tunc vera libertate necessaria, saltem ad graviter peccandum, destituitur.

3° Similiter pro fictitiis haberi possunt promissiones, vota, blasphemiae, quae nonnulli saepe imo pene quotidie fecisse vel dixisse somniantur. Haec audire vel aestimare confessarius simpliciter renuat.

4° Quamvis obligatio agendi contra scrupulos possit esse gravis, cum ex illis possit grave damnum timeri in profectu spirituali (derelictio exercitiorum spiritualium, desperatio, suicidium) aut in depressione nervosa ac valetudine corporis vel mentis, scrupulosus tamen subiectivam culpam vix incurrit dummodo cum infirma sua voluntate contra scrupulos in genere conari velit; imo saepe non expedit insistere ne nova perturbatio et perplexitas oriatur ac periculum desperationis, quod praesertim timendum est in sensitivis.

IX. Applicationes. — *Triplex* praecipue est *scrupulosorum classis :*

1) Alii anguntur *a pravis cogitationibus* circa fidem, castitatem, charitatem (a iudicio temerario v. g. aut sensu aversionis) vel de futuris sub conditione faciendis, aut a blasphemiis interne prolatis, quibus assentiri saepe timent.

Ipsis omnino imponendum est a) ut contra illos non directe pugnent (v. g. eliciendo actum fidei, etc.) : id enim eas magis excitaret et magnum esset incommodum; sed b) ut scrupulos despiciant (quia non pravae cogitationes sed soli consensus, non censensus fictitii sed solum voluntarii sunt peccatum); et c) ne se examinent circa illas vel eas in charta inscribant; imo d) convenienter imponi potest ut ab ipsarum confessione abstineant nisi tam certo scirent se consensisse ut id ittrare possent. Ipse enim timor consensus est signum resistentiae aut non consensus.

2) Alii anxii sunt circa officia A. *adimpleta ;*

a) Vcl propter integritatem vel contritionem confessionum praeteritarum; quibus, si aliquando generalem confessionem instituerint aut per notabile tempus confessiones diligenter peregerint, imponendum est ne de illis omnibus amplius cogitent nec verbum in confessione faciant, nisi pergant timere et haec tria sine ullo dubio affirmare possint etiam cum iuramento : peccatum certo fuisse commissum, in mente eorum dum commiserint fuisse mortale, et certo illud fuisse oblitos. Quodsi statim non affirment aut iurent, non amplius sunt audiendi, et etiam si lurent, non ideo sunt credendi.

b) Vel circa Sacri auditionem, aut Horarum recitationem, quibus numquam permittendum est aliud Sacrum audire aut Horas repetere, vel partem.

c) Ceterum illi qui de his perpetuas et graves anxietates patiuntur, ob magna scrupulorum incommoda, a confessionis vel horarum excusantur integritate materiali, ita ut non teneantur maius tempus horis impendere quam a probis impendi soleat, et reliqua omittere possint; imo etiam aliquando pars vel totalitas officii ipsis prohiberi posset, aut spatium temporis determinatum assignari, aut recitatio pro tempore suspendi.

B. Item scrupulosi sunt circa officia *adimplenda :*

a) Circa integritatem vel contritionem confessionis instituendae, quibus imponi debet examen conscientiae mediocre (vel et determinandum examinis tempus), accusatio de paucis punctis vel de solis peccatis exterioribus, et simplex recitatio actus contritionis.

b) Circa correptionem fraternam, qui supponere debent se ad illam non teneri, nisi omnino certi sint.

c) Circa intentionem Missae, Horarum, Sacramenti, etc., qui nullam elicere possunt sed absolute et materialiter incipere, et pergere sine haesitatione et mora, sine praecipitatione, capitis contentione aut anxia sollicitudine : ipse metus ne intentio amissa sit vel non renovata, signum certum est intentionem adesse; — ceterum non requiritur in.entio satisfaciendi sed dicendi officium, audiendi missam, etc.; est autem quasi impossibile ut utens ratione talem non habeat intentionem.

d) Circa S. Communionem, ad quam accedant cum certitudine quod non peccarent, etiamsi essent in statu peccati, imo tunc per accidens consequerentur gratiam.

In quibus omnibus mediocris adhibenda est diligentia.

3) Alii in omni actione peccare formidant.

Quibus imponendum est

a) ut libere agant, sine deliberatione et secundum primum intuitum, scrupulos despiciunt et contra illos operentur, ubi *evidens* peccatum non apparet, imo etiam confni *evidentium.* si essent tam scrupulosi ut phantasia sibi fingerent se habere talem evidentiam; —

b) et praecipiendum ut scrupulos vincant, ne amentes aut omnino inutiles fiant ad agendum; —

c) et de talibus actionibus In confessione abstineant se accusare : licet enim aliquando errare possint, non tamen peccant, ratione obedientiae quam confessario debent. —

Quodsi tantum in quodam genere peccatum formident, idem pro hoc genere valeat.

X. Monita pro confessario. — 1) Antequam confessarius poenitentem tractet tamquam scrupulosum, magna circumspectione inspiciat an vere sit scrupulosus : sunt enim qui circa multa sunt anxia, sed non sine iusta et rationabili causa, v. g. circa restitutionem quia laxe processerunt; circa confessiones praeteritas quia accesserunt sine debita praeparatione; circa peccata praeterita quae magis volunt expiare, ut in neoconversis; circa peccata gravia prima vice vel recidive commissa et nondum confessa; circa peccata leviora in quibus ex teneritudine conscientiae quis iam non vult offendere Deum, etc.

2) Ubi scrupulosum cognoverit, exquirat obedientiam perfectam, interrogando poenitentem an ipsi confidat et constanter velit ipsi in omnibus obedire; secus eum remittat.

3) Sedulo examinet in quibusnam poenitens sit scrupulosus : ordinario enim propter defectum iudicii in quibusdam est scrupulosus, in aliis potius laxus; et ideo etiam partialiter ut laxus tractandus. Unde ipsum dicat esse scrupulosum, et in quanam materia : scrupulosus enim qui sibi persuaderet scrupulosum non esse, incurabilis est.

4) Cognoscere conetur causam scrupulorum, ut eam amoveat, instar medici qui prius morbum eiusque causam explorat quam medicamenta adhibeat.

5) Ut scrupulosi facilius obediant, eorum fiduciam captare conetur paterna longanimitate; quapropter magna cum bonitate eorum miseriis compatiatur, in multa patientia cum eis agat, ac scientiam theologicam et scrupulorum notitiam competentem se habere ostendat. Generatim cum mansuetudine et *lenitate* (praesertim si sint sensitivi) sunt tractandi, sed tamen cum *firmitate;* et nonnissi propter inobedientiam increpandi, etiamsi necesse sit, fortiter et cum *severitate* et rigore (v. g. privando a communione) non tamen nimio. In hoc puncto scii, tractandi sunt quasi non essent scrupulosi. Quodsi obedire omnino nolint, confessarius illos dimittat et ad alium remittat, dicendo se iam non posse illorum bonum procurare.

6) Inculcet rationes cur contra scrupulos sit agendum, v. g., pericula quibus scrupulosus se exponit : pacem amittendi, tempus perdendi, seriam curam profectus spiritualis negligendi, omni fortitudine destitutum manendi, morositate sua molestiam causandi aliis et ineptum fiendi laboribus proximo utilibus; et alia supra exposita.

7) Scrupulosis firmitatem vultus et sermonis ostendat, ac sine ulla haesitatione respondeat, et tradat regulas paucas generales, sine multis particularibus distinctionibus, nam secus semper dubitabunt istas valere pro casu occurrenti. Responsum sit clarum, distinctum ac breve. Non sit prolixus in explicatione consiliorum, ne inter allegata motiva quid minus solidum reperiatur; semper idem dicat; nec reddat rationes responsi, quia de earum valore inquirent et dubitabunt, et sic non alieno sed proprio iudicio ducentur. Abstineat a repetenda expositione quam fecerunt suae difficultatis, ne diversitas deprehendatur; nec multum inquirat de circumstantiis scrupulorum ac si momentum haberent. Nec permittat ut saepe ad ipsum recurrant aut multos alios vel libros consulant, aut declarationes ipsis factas scriptis consignent.

8) Quandoque suaviter irrideat poenitentem, dum proponit dubia non fundata; iubeatque cogitare quid ipse vellet respondere si ab alio de eiusmodi interrogaretur, dicatque ut idipsum faciat.

9) Ad casus suos per se solvendos paulatim eum perducat, vetando ne saepius dubia proponat (sed v. g. semel in hebdomada aut in mense), nec ultra duo vel tria recitet, suggerendo ut agat modo quo existimaret alios agere. Omnem modum abiiciat scrupulosus quem alii habent ut ridiculum.

QUAESTIO QUINTA

De Laxis

I. Quid sit conscientia laxa. — Scrupulosis multo numerosiores in hoc mundo inveniuntur, cheul qui laxiore laborant conscientia. Est autem *conscientia laxa proprie* illa quae dubitat, suspicatur, vel probabiliter putat, ob rationes leves et contemnendas, actum hic et nunc ponendum malum non esse malum, vel minus malum quam sit (v. g. veniale dum sit mortale). Unde est quasi anesthesia moralis[1].

Dicitur a) *proprie ;* conscientia laxa enim saepe dicitur

1 De laxis pauca habent theologi, praesertim in tr. de Conscientia. Prae aliis videri possunt Haine, Raphaël a S. Joseph, Beaudoin, Prümmer; item Legrand in *Coll. Brug.* 1923.

improprie pro dispositione habituali quae inclinat ad iudicia laxiora et ad habendam conscientiam laxam;

b) *dubitat, suspicatur vel probabiliter putat :* si enim certo iudicat, tunc iam fit conscientia simpliciter erronea, quamvis haec ex praecedenti laxitate oriri potuerit;

c) *ob rationes leves actum malum non esse malum... : est* proprium eius obiectum quo distinguitur ab omni alia conscientia positive dubia et probabili, imo et a conscientia scrupulosa;

d) *actum hic et nunc ponendum :* sic distinguitur a conscientia laxa consequente quae diiudicat actum positum.

II. Conscientia laxa est triplex : a) *Simpliciter talis,* quae innititur sententiae tenuiter vel dubie probabili, aut principia reflexa benigniora nimis frequenter et perperam applicat; provenit ex defectu attentionis saepius voluntario, et animi levitate,

b) *Cauteriata* (I Tim., IV, 2), quae peccata etiam valde gravia nihil facit ac malum reputat bonum sine ullo remorsu (Is. V, 20), et provenit ex ignorantia crassa et diuturno habitu peccandi : ita enim ex moribus perversis obnubilari potest sensus moralis ut homo nec gravia peccata abhorreat sed quasi aquam bibat iniquitatem (lob XV, 16). Haec conscientia opponitur timoratae simul et scrupulosae, ita ut timorata medium teneat inter cauteriatam et scrupulosam.

c) *Pharisaica,* sic dicta a Pharisaeis culicem excolantibus, camelum autem deglutientibus. Haec magna, (v, g. officia status, interna, legis naturalis) parvi facit, et parva (v. g. opera supererogatoria, externa, legis positivae) magni facit (Mt. XXIII, 24) : oritur saepe ex malitia, et opponitur conscientiae tenerae simul et angustae, ita ut tenera mediet inter pharisaicam et angustam.

III. Signa coniecturalia quibus dignoscitur conscientia laxa eiusque discrimen a scrupulosa conscientia recensentur a Lacroix (Th. M. 1., η. 526) ex Stoz (Tribunal Poenitentiae, η. 223) :

1) Laxus est qui spernit et pro nihilo habet illa, quae alii communiter putant esse peccata; — qui vero timet, quae alii pro nihilo habent, est scrupulosus.

2) Qui *generatim* non credit contionatoribus et confessariis sed eorum reprehensiones censet esse immodicas exaggerationes, laxus est; — qui

vero confessariis, aut aliis viris doctis et probis factum excusantibus non credit, scrupulosus est.

3) Qui proprio confisus iudicio, procedere solet, nemine consulto, laxus est; — qui vero in rebus etiam claris, vel de quibus alias accepit resolutionem, iterum iterumque interrogat, volens per hoc se reddere magis securum, scrupulosus est.

4) Qui in confitendo nullo modo sit sollicitus de exprimenda specie, aut numero peccatorum, laxus est; — qui vero omnia dubie, et haesitanter confitetur, idem saepius repetens, dicens iam hunc, iam illum numerum, vel circumstantiam diversam, nec unquam sibi satisfaciens, scrupulosus est.

5) Qui praecipitanter et sine consideratione ulla agit quidlibet, est laxus; qui vero in omnibus ita suspense procedit, ut non fidat communi doctrinae theologorum, sed semper evidentias et demonstrationes quaerat, est scrupulosus.

6) Qui velociter et vage quaslibet preces deproperat, sine causa interrumpit, inter orandum circumspicit, vel fabulatur, est laxus; — qui vero anxie precatur, *saepius* subsistit pro attentione habenda, eadem repetit, est scrupulosus; et ita de aliis materiis.

Ex quibus sequitur etiam apud pios inveniri conscientiam laxam, saltem in materia levi, v. g. si quaedam levia peccata nihil faciant, aut praecipitanter et sine consideratione agant quidlibet, aut proprio iudicio confisi procedere soleant nemine consulto, etc. (cfr. dicta sub 1, 3 et 5).

Speciatim poenitens in confessione iudicandus est laxae conscientiae, si dignoscatur

a) accusatio evidenter insufficiens, qualis ordinario est apud illos qui occasione annuae confessionis aiunt nullum malum se commisisse, nec furtum nec homicidium, aut tantum paucas distractiones in orando vel et quaedam similia fatentur;

b)absentia remorsus conscientiae ac retardatio confessionis donec circumstantia quaedam externa quasi ad confitendum cogat;

c) defectus omnis doloris de peccatis declaratis, ut apud illos qui peccata sua magis defendere quam accusare videntur, qui, distracti ac insensibiles, confessarii exhortationes audiunt, qui ratiunculis quibusdam sibi persuadere conantur Deum nimis bonum esse ut ad infernum damnet pro omissione missae aut manducatis carnibus.

Quodsi hisce vel aliis supra enuntiatis signis laxam conscientiam dignoscat confessarius : 1) non potest simpliciter fidere tali poenitenti laxo qui se nullius peccati gravis agnoscat reum, sed aptis interrogationibus, pro posse, maior integritas confessionis procuretur; 2) ubi se accusat dubitative de consensu, praesumendus est consensisse, secus nec dubitaret sed certus esset se non consensisse, aut nullo modo recordaretur; 3) maxime autem ipsi est inculcanda contritio.

IV. Causae conscientiae laxae recensentur plures, quae ex parte intellectus ad ignorantiam vincibilem, ex parte appetitus ad perversitatem voluntatis reducuntur. Plerumque sunt :

1) *prava aut neutralis educatio,* quae est impar ad stabiliendam differentiam boni et mali et verum sensum obliga-

tionis inculcandi; et familiaritas cum vitiosis quorum moribus assuescimus et sensibus sociamur:

2) *defectus considerationis et consilii in vita morali ordinanda,* unde ex usu, externo et mechanico modo, opera bona fiunt magis quam ex amore boni et odio mali;

3) *vita mollis* quae enervat animum et levitatem animi causât, seu defectus disciplinae moralis in voluntate, quae tantum per praxim mortificationis et abnegationis sui acquiritur;

4) *passiones vehementes inordinatae,* praesertim in juventute, quibus obnubilatur ratio et facile iudicat licitum quod nimis cupimus, v. g. iracundia, ambitio, cupiditas, inanis gloria, voluptas sensualis, maxime luxuria qua fit ut animalis homo non percipiat quae sunt Spiritus Dei. Ita v. g. iracundiae motus nihil aliud esse videntur nisi pia indignatio, effrenata ambitio nihil aliud nisi nobilis aemulatio, avaritia habetur ut legitima providentia, fraudes commerciales existimantur industriae exhibitio, voluptas honesta aut necessaria recreatio, etc.;

5) *nimia temporalium sollicitudo* quae nos terrenos facit, in aetate matura;

6) *vita diu in vitiis immersa,* seu peccandi consuetudo;

7) *praesumptuosa in Deum fiducia, ex* qua oritur neglectus orationis, examinis conscientiae, confessionis, qui animam omnino deiicit et illam a cibo spirituali relinquit ieiunam;

8) *tepor animi.*

V. Effectus laxae conscientiae sunt : a) in intellectu : caecitas mentis, hebetudo sensus, stultitia seu caeca tranquillitas post peccatum,

b) in voluntate : cordis durities seu insensibilitas ad pia monita, ita ut vix mediis ullis moveri queat,

c) irrisio piarum exercitationum,

d) obduratio in malo et impoenitentia finalis (Rom. 11,5).

VI. Conscientia laxa non est regula agendi prudenter, sed est deponenda, a) quia est incerta; — b) ceterum provenit ex temeritate aut ignorantia quae est voluntaria, vel saltem involuntaria manere nequit dum dubium ob rationes leves exortum serio examinatur; — c) insuper est periculosa et solet habere effectus nocivos, quia iniicit animam in viam

latam quae ducit ad perditionem (Mt. VII, 13), unde ordinario periculum peccandi mortaliter aut in peccato perseverandi auget; et ideo, *ceteris paribus,* etiam magis quam scrupulosa, est cavenda et emendanda.

Quodsi non deponatur, agens peccat ea specie et gravitate peccati quod scit se committere vel cuius periculo se exponit, sicut de conscientia vincibiliter erronea et de incerta docent theologi; et quidem peccat toties quoties in confuso saltem advertit insufficientiam rationum quibus innititur et voluntarie negligit media adhibere apta ad efformandam conscientiam rectam, et ita periculo peccandi se exponit. — Imo potest graviter etiam in re levi peccare, si sua temeritas, quovis dictamine praetermisso aut contempto, illum impellit ad agendum, ita actualiter dispositum ut, si adverteret actionem esse graviter malam, nihilominus eam poneret.

VII. Remedia. — Deponenda est conscientia laxa ex vera fide et purificatione cordis, professione et exercitio verae religionis. Unde remedia sunt studium reflexionis seu maioris considerationis, et impugnatio tepiditatis; in specie

1) recessus spiritualis per aliquot dies, quo animus Deo et sibi vacet (Os. II, 41),

2) quotidianae conscientiae discussio de actibus diei praesentis (Is. XLVI, 8),

3) devota et assidua oratio et novissimorum meditatio (Eccli. VII, 40), et frequens piorum librorum lectio,

4) diligens post peccatum confessio ne anima in peccato obdurescat, et inquisitio mediorum apud confessarium,

5) amotio causarum v. g. improborum fuga et conversatio cum bonis (Prov. XIII, 20).

Speciatim a) habitualiter caveat laxus a prima sua aestimatione circa moralitatem actuum suorum, ita ut renitatur contra laxitatem suam et conscientiam suam rectificare discat,

b) orto dubio de llceltate aut gravitate actionis *ponendae,* non ut inane spernat, sed diligenter examinet,

c) stante dubio de gravitate actionis *positae,* non accedat ad S. Communionem nisi confessus.

Quodsi serio conctur conscientiam emendare, magna patientia et mansuetudine animandus est ad fiduciam et perseverantiam; et si relabitur, aliquando a gravi excusabitur delicto ob praecipitationem in agendo, quo casu hortandus erit ad maiorem vigilantiam ut cautius procedat et etiam hoc vitare addiscat.

VIII. Monitum. — Secundum principia supra exposita, debet con-

fessarius instruere et monere poenitentem qui conscientia laxa laborat : 1) si talis conscientia, ut saepe accidit, est vincibilis et graviter culpabilis; 2) etiam, extra gravem culpam, si monitionis speretur fructus; 3) etiam si non speretur fructus, dum nociva sit sive poenitenti qui, ingravescente laxitate, posset totalem extinctionem sensus moralis pati, sive aliis quia notabile scandalum proximi aut malum publicum causaret.

QUAESTIO SEXTA

De Mundanis

I. **Mundani** non illi hic intelliguntur qui vitae honestae et christianae valedicunt, saeculo totaliter dediti, sed qui christianam vitam, saltem quoad substantiam, ducere volentes, mundano tamen spiritui indulgent ac de saeculi voluptatibus, si non omnino pravae sint, delectantur. Uno verbo, qui ita Deum colere conantur ut tamen non offendant mundum. Tales sunt illi qui omnia cupiunt videre, gustare, et legere, ac saepius commodam, otiosam et voluptuosam vitam ducunt. Pro iis specialiter attendendum est festivitatibus, speciatim choreis, de quarum voluptate delectantur, — spectaculis quae videnda frequentant, — libris et periodicis quae legunt.[1]

II. **Choreae** inter personas etiam diversi sexus, secundum se i. e. seclusis pravis circumstantiis, non sunt inhonestae sed res indifferentes, quia ex se sunt actus, non libidinis, sed laetitiae et artis; in praxi tamen periculosae sunt et saepius occasio peccandi. Ex tribus potissimum circumstantiis *possunt* evadere graviter inhonestae :

a) Ex pravo *fine,* puta libidini indulgendi, v. g., ad Venereas delectationes sibi procurandas, tactus malitiosos vel turpes exercendos, aut turpes sermones habendos, quod praesertim accidit in choreis larvatis *(bals masqués)* in quibus, pudoris freno non amplius retenti, faciunt quod cogniti facere non auderent.

1 De his conferri possunt S. Franciscus Salesius, *Introductio» à la Vie dévote,* & p., ch. 32; S. Alphonsus, *Th. M.,* III, tr. 4, n. 426-429; Aertnijs, *Th. M.,* II, n. 322-324; 325-327; 328-331; Marc, *Th. M.,* 1, n. 829-893; 834-836; 451 sq. ; Haine, *Th. M.,* I, de Pecc., q. 103 et 104; Th. Mechl., *de Poen.* (4), n. 8g, III et IV; Balierint, *de Sexto,* n. 47-61; Génicot, *Th. M.,* I, n. 241, 242, 240; Noi.rriN, *Th. M.,* III, n. 435 et 436; II, n. 698 sq.

b) Ex gravi *periculo* peccandi mortaliter, v. g., ratione vestitus, verborum, gestuum, contactus, cantuum et aliarum circumstantiarum, etiam ante vel post choreas, quando iuvenes puellas domum deducunt, praesertim ratione modi saltandi v. g. pectore feminae contra pectus viri pressim verso, ita ut femina quasi in manibus viri versetur; quae omnia ad carnales commotiones disponunt : hoc tamen non est necessario inhonestum, ut constat ex testimonio saltantium. et intelligitur ex eo quod mens ad multa alia distrahatur, et necesse habeat attendendi ad rythmicos motus *(valse, galop, scottisch, mazurka, cotillon,* etc.)

c) Ex gravi *scandalo,* sive directo, quia iuvenes sermonibus, amplexibus, tactibus puellas ad peccandum directe sollicitant, sive indirecto quando vel saltandi modus in se indecens est aut cui significatio amatoria et impura sat aperta est, ut in choreis modernis (v. g. *tango, fox-trot, one-step, shimmy, boston, blouss, sambo, charleston,* etc.), a qua significatione aut indecentia liberari aegre possunt — vel feminae, sive ubi mos non est, sive, ubi mos est, modo nimis exaggerato, pectus denudant immoderate, ut ita ad lasciviam provocent; a fortiori, si nudae vel fere nudae incedant.

Quodsi choreae sint occasio leviter peccandi, leviter inhonestae sunt.

Hinc : 1) si periculum grave quod choreae adducunt proximum est et nulla gravis causa adsit illas adeundi, sub mortali vitandae sunt, quia occasio est libera;

2) si grave periculum sit proximum et simul gravis causa excuset, qualis esse potest *gravis* offensio mariti, parentum aut fratrum, officium publicum assistere cogens, vigilantia in coniugem exercenda, leve vel nullum peccatum aderit, quia occasio est moraliter necessaria, dummodo tamen finem honestum quis intendat, inhonesta ipse non faciat, et debitis cautelis contra periculum se muniat quibus occasio fiat remota;

3) si periculum sit remotum vel leve, ex rationabili causa ab omni peccato excusari potest qui ei se committit. Tales causae solent esse consuetudo, finis una alteravc vice In anno relaxandi animum, facilius inveniendi occasionem matrimonii, non displicendi marito aut adamanti, satisfaciendi vicinis aut amicis ad choreas invitantibus, non se exponendi irrisioni, etc.

1 Cfr. Dict. de TllEoi.,, art. *Danse.*

* Ita commune de choreis hodiernis iud'cium autoritatis ecclesiasticae, v. g. Arch. Parisiensis; episcopi Belgii (1914); Benedictus XV, 6 ian. 1921 ; Conc. Mechl. n. 59 - et laicorum qui de re morali adhuc curam habent; de quo vide José Germain, *Danseront-elles?* — Utiliter conferri possunt: Vuii.i.ermet, *Les catholiques et les danses nouvelles; la Vie diocésaine,* maii 1922; *N. Revue Théol.* 1924, p. 32; Kiselstein in *Rev. Eccl. de Liège,* sept. 1924; StaNdaert in *Coll. Gand,* mart. 1925; A. Janssen, *Les Danses modernes.*

Periculum norma generali definiri nequit, sed in singulis casibus pro adiunctis diiudicandum est, maxime ex experientia uniuscuiusque, etiam ex circumstantiis :

a) sunt adiuncta tam inhonesta ut *rcf/utaritcr* omnibus sint occasio peccandi proxima : tunc ut talia sunt habenda, nisi specialis ratio demonstret pro aliquo hanc occasionem abesse;

b) e contra id quod generatim non est occasio proxima, pro aliquo individuo valde infirmo occasio esse potest, et peccatum, nisi sit tam fragilis ut ubique occasionem videat peccandi;

c) multo periculosiores *solent* esse choreae publicae quae in cauponis inter omnis generis personas aguntur, quam quae in privatis domibus habentur : peccata externa enim in honorabili societate solent rarius evenire;

d) imo consuetudo frequenter adeundi choreas publicas raro erit sine occasione proxima;

e) nec laudandae sunt choreae puerorum utriusque sexus. Nam etsi concupiscentia abesse praesumatur, non valent nisi ad fovendum mundanum spiritum vanitatis et periculum sunt innocentiae.

III. Confessarii munus. — a) Primum erit omnes a choreis, aut saltem ab earum ferquentia, quantum possit, avertere, maxime parentes et puellas, quibus inculcetur eas esse spiritui christia.no, ut sensualismum foventes, adversas, nec esse necessarias ad nubendum : suaviter tamen, potius indirecte persuadendo quam directe minando. Cui applicari valent dicta S. Augustini de ebrietate : « non aspere, non dure, non imperiose ista tolluntur, sed magis docendo quam iubendo. magis monendo quam minando » (S. Thomas, II-II, q. 150, a. 1, ad 4).

b) Poenitenti choreas adire volenti, confessarius perpendat periculum poenitentis interrogando ob quem finem velit adire, — an iam pluries propter choreas peccaverit, aut saltem gravibus libidinis motibus subiectus fuerit, — inquirendo de circumstantiis modi, temporis, loci, personarum, v. g. quales soleant isti saltus institui, utrum in iis intercedant gestus inverecundi, exigantur oscula, an sit simplex circumcursitatio sine eiusmodi actibus; — item an non ipsi vel alteri, uni vel pluribus in particulari timendum sit scandalum.

c) Quodsi persuadere nequeat, monitis et praesidiis periculum diminuere curet, v. g. ut poenitens finem honestum sibi praestituat; modestiam servet, maxime in vestitu, gestu et sermone; vitiosis sympathiis nullo modo obsecundet sive aliorum erga se, sive sui ipsius erga alios; post choream pravis imaginationibus aditum praecludat.

d) Non potest confessarius absolutionem denegare, nisi

sit occasio proxima peccandi vel modus saltandi omnino turpis.

e) Severius tamen agere potest cum illis qui choreas, vel novum modum saltandi inhonestum, aut se vestiendi, alicubi introducunt, aut soli servant, aut sine ratione sufficienti eas domi permittunt, aut aliter iis cooperantur; aut cum cauponibus qui inhonestas choreas admittunt. In his omnibus tamen magna semper cum prudentia procedat.

IV. Spectacula, sicut choreae, de se non sunt mala nec illicita, quia ludus honestus et moderatus nihil mali in se continet (II-II, q. 168, a. 3); hodie tamen *pleraque* spectacula quae in theatris publicis exhibentur sunt graviter mala :

a) Vel quia sunt *notabiliter turpia,* sive ob res obscenas quae repraesentantur, sive ob feminas immodice denudatas praesertim si conspicillis telescopicis adspiciuntur, sive ob choreas quae, scenis interpositae (ballets), ex quasi nudidate, lascivis gesticulationibus et inverecundia saltatricum inhonestae sunt.

b) Vel quia fidei et *religioni notabiliter* sunt contraria, quam tradunt ut tyrannicam et sanguineam, scientiae et progressui inimicam, ridiculosam, falsam, superstitiosam, ineptam, etc. aut rectam a sacerdotibus et religiosis quos turpibus commerciis deditos exhibent.

c) Vel quia legi *morali notabiliter contraria* sunt, dum virtutes ut viles contemmunt, vitia et delicta extollunt, v. g., vindictam, homicidium, suicidium, adulterium, divortium, neomalthusianismum, vitia carnis, certos modos iniustitiae etc. Quodsi non sint notabiliter impia aut turpia, aut tantum per transennam aliquid habeant religioni contrarium vel graviter obscenum, erunt leviter inhonesta.

Hinc spectaculis adesse peccatum mortale esse potest ex tribus circumstantiis :

1) *ex pravo fine* sive libidinem sive impietatem explendi;

2) *ex periculo proximo* perversionis in fide vel moribus;

3) *ex gravi scandalo* mali exempli. Et ideo graviter peccant non solum

a) qui prava spectacula componunt, aut

b) qui illa exhibent, nimirum directores et actores; sed et

c) qui ea fovent per applausum aut subscriptionem, saltem si sine illis locum non haberent;

d) qui iis *promiscue* assistunt vel suos assistere permittunt, nisi gravis causa sub debitis cautelis excuset.

Similes itaque regulae valent ac pro choreis : 1) Si periculum est grave seu occasio proxima peccati mortalis, sola gravis causa excusare potest et quidem sub congruis cautelis quibus periculum fiat remotum. Causa sufficiens erit prudens timor notabilis damni, ut indignationis diuturnae mariti, parentum, domini; officium publicum intéresse cogens; necessitas invigilandi coniugi; necessitas aut magna utilitas ea cognoscendi; non vero merum praeceptum, nec iactura pretii pro ingressu soluti, nec finis philantropicus.

2) Si periculum non sit grave sed remotum, ex rationabili causa licitum est assistere, qualis non est solum solatium et recreatio, sed v. g. voluntas mariti, praeceptum parentum, ratio famulatus in illis qui dominum comitari debent, ratio utilitatis ea cognoscendi, decentia status.

3) Si quis assistat spectaculis malis ob curiositatem et vanum solatium, seclusis periculo et scandalo, peccat venialiter.

Periculum diiudicandum est ex experientia et adiunctis :

a) sunt spectacula tam impia aut inhonesta, ut *regulariter* sint omnibus occasio proxima peccati; tunc ut talia habenda sunt nisi quis in fide sit firmissimus aut expertus sit se parum moveri; quod periculum tamen raro abest in adolescentibus.

b) E contra id quod generatim non est occasio proxima, ratione specialis fragilitatis potest esse alicui occasio proxima et peccatum.

c) Pericula maiora sunt in parvis theatris, quae peiora esse solent quam magna in quibus exculta societas intervenit.

d)Periculum aliquando valde extenuatur, si spectator dramata non intelligit, vel si ad repraesentationem non attendit sed ad solam musicam.

V. Confessarii munus. — a) Primum est omnes, quantum potest, a spectaculis avertere, quia periculis plena sunt, a spiritu evangelico aliena, passiones excitant, sensualismum fovent et animum enervant. *Consuetudo* assistendi omnem devotionem aufert et saepe est occasio proxima peccandi.

b) Turpium et impiarum scenarum actores ad sacramenta admitti nequeunt, nisi aut professioni renuntient aut saltem ab eiusmodi scenis abstineant : sunt peccatores publici, publicum scandalum praebentes.

c) Quoad eos qui rationem habent sufficientem assistendi, confessarius periculum diminuere satagat, v. g. monendo ut conspicillis telescopicis non utantur studiose et choreis scenicis non assistant vel iis non attendant.

VI. Scripta 1) alia sunt *ex professo impia* et contra religionem, vel *obscena* i. e. ad libidinem excitandam confecta, et illa sunt periculum proximum peccandi generatim pro omnibus, nisi forsan pro *docto et pio* theologo si agitur de im-

piis, et pro viro omnino serio et *honesto* si agitur de obscenis; unde per se sunt Indice prohibita.

2) Alia non sunt impia aut obscena nisi *obiter* et data occasione, quia aliquid exiguum obscenitatis aut contra Ecclesiam vel eius ministros habent, qualia sunt multa opera romantica et dramatica hodierna, et illa pro pluribus periculum constituunt proximum, praesertim pro junioribus. lamvero :

a) Priora legi non permittuntur nisi gravis adsit ratio necessitatis et simul congruae cautelae adhibeantur quibus periculum fiat remotum; ad quod insuper dispensatio a lege Indicis est obtinenda.

b) Similiter alia legere grave peccatum est in casu quo periculum proximum constituunt, aut si *nominatim* in Indice fuerunt relata.

c) Lectio mere recreativa turpium aut impiorum quando lege Indicis non sint alicui prohibita, sine utilitate et absque periculo (quod tamen raro abest), est solum peccatum veniale.

Gravitas periculi pensanda est ex fine, aetate et indole, moribus et religione lectoris, praesertim a lectionis frequentia, bonorum scriptorum influxu compensatorio, maxime a lapsuum frequentia.

Et similiter secundum easdem regulas judicandum est de scriptis societatis subversivis, v. g., anarchisticis.

VII. Confessarii munus. — 1) Primum est de scriptis et lectionibus interrogare, et etiam admonere, nisi certum sit poenitentem esse in bona fide, nec sperandum esse fructum ex monitione, et non adesse periculum proximum peccati; quod in illis qui habitualiter legunt prava scripta vix contingere potest.

2) Renuentibus periculum proximum ex lectione deserere, absolutionem denegare debet.

3) Libri pravi quos poenitens possidet abiiciendi sunt vel potius confessario tradendi.

4) Si alicui seria adsit ratio legendi quaedam opera prohibita, praestat ipsi procurare licentiam ecclesiasticam, ac monere ut libros domi includat, et etiam bona opera legat tamquam antidotum.

5) Omnes, praesertim iuvenes, a lectione scriptorum quae indifferentismo, libéralisme, socialismo favent aut sensualismum fovent (romans), retrahat, quia facile causant magnam animae ruinam, scii, sensim sine sensu fidem et devotionem

eradicant, librorum bonorum fastidium causant, animam ad profanos amores incendunt, ad vitium inclinant.

6) Parentes et collegiorum superiores moneat ut hac in re vigilaritissimi sint erga filios et alumnos.

7) Iis qui dicunt se omnia indicare velle per semetipsos, ostendatur esse impossibile de quaestionibus religiosis indicate, pro illis qui philosophiae ac theologiae non studuerunt.

VIII. Animadversiones. — 1) Caupones non possunt a) exponere scripta ex professo prava; b) nec *generatim* et semper, minus bona et prohibita, sine iusta ratione; c) possunt tamen si vitandum sit magnum damnum, et simul bona exponant.

2) In lectionibus peccatum esse potest : a) propter scandalum datum; b) propter periculum, ad quod diiudicandum varia consideranda sunt : modus proponendi, indoles legentis, lectio habitualis vel transitoria, adiuncta, ut si simul bona legantur scripta, etc.; c) propter cooperationem, uti in editoribus, venditoribus, scriptoribus, typographis, etc. de quibus dici solet in tractatu de Fide.

3) Qui propter legitimam rationem, v. g. propter necessitates negotiationis suae aut industriae, subscribunt pravis diariis aut ephemeridibus, prava ibidem impressa non legant.

4) De *spectaculis cineticis,* similia valent ac de theatris.

5) De *mundano ornatu* et de novitate in vestitu valent sequentia :

Ornatus mulierum etiam ad fovendam et erigendam pulchritudinem, per se est res indifferens, et ideo bona si fiat secundum rectam rationem; unde excessus per se non est nisi veniale peccatum, mortale tamen esse potest tum ratione intentionis seu finis pravi mortaliter mali, tum ratione periculi vel scandali gravis.

Hinc : A. *Mortaliter peccant* a) si se ornent animo provocandi ad libidinem; b) si veste ita tenui ac subtili utantur ut partes inhonestae non satis tegantur; c) si pectus habeant *immoderate* nudatum, ita ut ubera media vel fere tota denudata sint, aut nonnisi velo perlucido cooperta; quod valet de nostris regionibus excultis, non de populis barbaris: d) si pectus *non omnino immoderate* nudatum habeant et superiorem dumtaxat partem uberum ostendant sed praeter consuetudinem patriae, vel talem consuetudinem introducant : extraordinaria enim et insueta magis movent. Quae consuetudo non est laudabilis, et ideo potius est extirpanda.

E contra B. *Venialiter peccant* a) si ex levitate, vanitate, iactantia se ornent, iuxta consuetudinem patriae; b) si ornatus sit praeter conditionem status; c) si, absque ratione sufficienti, pectus non *omnino immoderate* nudatum gerant secundum consuetudinem patriae (assueta enim minus alliciunt); et etiam, praeter hanc consuetudinem, si pectus *modice* nudatum vel brachia nudata habeant vel vestem ita confectam ut forma pectoris omnino appareat, aut talem consuetudinem introducant. (Talis consuetudo enim non est laudabilis); d) si in ornatu adsit fictio seu simulatio proprie dicta, v. g. pulchritudinis, ut si sine ratione excusante (saltem legitimae recreationis) mulier utatur veste virili, vestes larvas induat, faciem liniat fuco ac pigmentis, capillis utatur alienis ad mentiendum propriis, mammas falsas portet, etc., nisi ista consuetudine generali fuerint introducta; e) si ornamenta nova et curiosa inveniant aut fabricent (modes ridicules) vel introducant.

C. *Nullum adest peccatum* a) si recta intentio, legitima consuetudo patriae, et conditio status servantur; hinc, in multis regionibus, capillis non velatis procedere hodie nullum peccatum est : ista tamen consuetudo non est laudabilis (cfr. I Cor. XI, 6); b) si mulier se ornet ut placeat viro, nupta ad placendum marito (iubente illo, vel ne ad alias mulieres divertat), vel innupta ad virum habendum; si tamen virum habere nolit, etiam ornatum superfluum relinquat; c) si fiat sola dissimulatione et ad defectum tegendum vel occultandum quis utatur ornamento, v. g. capillis alienis ad calvitiem tegendam, falsa mamma si altera fuerit abscissa, fuco ad occultandam turpitudinem ex defectu provenientem [1].

Ex quibus patet non tam facile in his rebus committi peccatum mortale, nec proinde facile adesse rationem denegandi s. Communionem propter grave scandalum publicum; nisi hac in rè speciale praeceptum ecclesiasticum imponeretur ab episcopo. Quod tamen clare deberet manifestare; ordinarie enim existimantur episcopi in suis instructionibus potius in-

1 Cfr. S. Thomas, 11-11, q. ι<'0, a. 2, cum comment. Caietani et Billuart; S. Alphonsus, *Th. M*. l. III, n. 54-55; Benedictus XV, 2i oct. 1919 et 6 ian. 1921; episcopi Belgii, ii ian. 1924; in *mand. quadrag.* 1924; et 8 sept. 1925; Conc. Mechl., n. 58; Vuillermet, *Les modes actuelles;* Lemaître, *La mode et ses hardiesses, la danse et le spectacle;* Kiselstein, *Les modes indécentes,* in *Revue Eccl. de Liège,* mart. 1925, et in opusculo eiusdem tituli; Cruysberghs, *Kleederdracht en Zedenleer* in *Collect. Mechl.,* ian. 1927.

culeare solam legem naturalem, ut in Belgio nostro admitti tuto potest.

Notetur non esse obligationem dimittendi ornatum decentem iuxta morem patriae etiamsi aliqui determinati viri exinde allicerentur ad concupiscentiam; quia id esset nimis onerosum. Quodsl sit praeter consuetudinem patriae, vel si sit immodestus, quin tamen omnino inhonestus sit, adest talis obligatio ad vitandum scandalum determinatae personae, saltem aliquot vicibus, secundum principia quae exponuntur in tracatu de Charitate.

QUAESTIO SEPTIMA

De Eruditis et personis spectatae conditionis

I. Eruditi in genere[1] — « Quum eruditorum exemplo plurimum ducantur et facinentur homines illiterate et plebeii, magni interest illos christianam ducere vitam bonoque esse exemplo. Quando ergo viri litterarum studiis eruditi ad sacrum tribunal accedunt, confessarius haec specialia erga eos teneat : 1° Pro scientia eorum tractet eos honoremque eis reddat. — 2° Inter monita viris doctis danda, princeps nostris temporibus illud est, ne prae scientiâ profanâ fidem catholicam vilipendant. Sit sua cuivis disciplinae laus, exerceantur ingenia, colantur artes atque scientiae, attamen quam immense vera fides haec omnia praecellit! Doctrina fidei, utppte a Deo fallere et falli nescio, omni caret errore omnique incertitudine; scientia profana, humanae rationis foetus, multis erroribus atque incertis hypothesibus obnoxia est; fide consequimur filiorum Dei consortium in hoc saeculo, et in futuro vitam possidebimus aeternam; scientia profana angustis hujus vitae limitibus arctata est, nec sine fide quidquam proderit post mortem. Neque grave nobis esse debet, veritates revelatas captum nostrum excedere; gaudeamus potius de illarum sublimitate, ut praeter reliquas facultates etiam intellectum nostrum Deo mancipare liceat. Egregria sunt, quae Thomas a Kempis hâc de re scripsit in aureo opusculo « *De Imit. Christi* », lib. 4, cap. 18, e quo aliquot sententias excerpo :

1 Inserimus in hac quaestione monita P. Aertnijs, *Theol. Past., n.* 165-166 et n. 163-164.

« Plus valet Deus operari, quam homo intelligere potest...
« Si non intelligis nec capis quae intra te sunt, quomodo
« comprehendes quae supra te sunt... Noli curare, noli dis-
« putare cum cogitationibus tuis, nec ad immissas a diabolo
« dubitationes responde; sed crede verbis Dei, crede sanctis
« eius et Prophetis, et fugiet a te nequam inimicus... Nam
« infideles et peccatores non tentât, quos secure iam possidet;
« fideles autem devotos variis modis tentât et vexat... Qui-
« quid intelligere non vales, Deo omnipotenti secure com-
« mitte. Non fallit Deus; fallitur, qui sibi ipsi nimium credit...
« Deus aeternus et immensus infinitaeque potentiae, facit
« magna et inscrutabilia in coelo et in terra, nec est investi-
« gatio mirabilium operum eius. Si talia essent opera Dei ut
« facile ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia
« nec ineffabilia dicenda ». — 3° Data opportunitate, prodest doctos viros catholicos hortari ut pro Ecclesia Catholica etiam decertent, puta in ephemeridibus, et maxime si sunt Deputati ad Comitia legislativa, orationibus, et suffragiis; praeterea, sese aggregando catholicis consociationibus, etc. — 4° Sciat tamen confessarius non deesse viros eruditos neglectae conscientiae, qui sunt passionum suarum mancipia, et non formidant gravia peccata sua reticere. Quamobrem confessarius, si merito suspicatur poenitentem suum reum esse peccatorum, quae non confitetur, ne vereatur ipsum interrogare, e. g. circa lectiones, praecepta Ecclesia, officia statûs. — 5° Contigere potest ut eiusmodi vir, quamtumvis eruditus in disciplinis profanis, ignarus sit in doctrina Religionis, et veritates Fidei etiam necessitate medii scitu necessarias ignoret; eo in casu, ne poenitenti ruborem offundat, modum instructionis indirectum adhibeat, v. g. supponendo illas veritates ipsi cognitas esse et ab ipso credi, confessarius eas explicite commemoret, ut exinde vim et efficaciam, quam habent in sectandam virtutem et fugienda vitia aut ad contritionem excitandam, deducat: praeterea preces et symbolum fidei, quae veritates dogmaticas scitu necessarias continent, in satisfactionem poenitenti iniungat ».

II. Nutantes in Fide. «Tamquam pro nostro tempore iampridem scripsit S. Hilarius ; « Multi enim sunt, qui simulan-
« tes fidem non subditi sunt fidei, sibique fidem ipsi potius
« constituunt, quam accipiunt, sensu humanae inanitatis in-
« flati, dum quae volunt sapiunt, et nolunt sapere quae vera
« sunt ». Quot laici doctrinâ exculti hodie inveniuntur, qui

catholici esse videntur, sed fidem reapse non habent! Propterea mirum videri non debet, si nonnulli inter illos reperiantur, qui ex motivo humano non formidant Communionem paschalem recipere sine fide in Christi praesentiam.

Quum fides sit radix iustificationis, manifestum est absolutione sacramentali non tantum indignos sed et incapaces esse, qui circa veritates fidei catholicae increduli sunt easve in dubium vocant; nisi resipiscere velint et verum actum fidei eliciant. Sed et tunc, si haeresim externe protulerint, et censuram non ignoraverint, prius indigent absolutione ab excommunicatione contracté et specialiter Papae reservatâ.

Porro, circa huiusmodi fluctuantes in fide aut incredulos, sedulo attendendum est ad fontes incredulitatis. Praecipui sunt : 1° defectus solidae instructionis in Religione; qui quidem defectus nostrâ aetate plerumque parentibus imputandus est, eo quod liberos suos scholis neutralibus commiserint, et christianam educationem neglexerint, imo indifferentiam in Religione ipsis verbo et exemplo inseverint. Eiusmodi ignorantibus debita instructio procuranda est vivâ voce, libris, etc... Si edoceri cupiant, inculpabiliter forte fluctuarunt; sin autem instructionem detrectent, a gravi culpâ nequaquam immunes sunt. — 2° Sensualismus seu materialismus, quo homines mundani unice inhiant voluptates sensuum, divitias et honores; unde exoritur occultum odium veritatis, quae, utpote eorum pravis affectibus contraria, ipsis invisa redditur; propterea, ad conscientiae angores sopiendos, dubia contra fidem sectantur, in iisdem sibi complacent, quidquid contra veritates fidei opponitur, libenter audiunt et legunt, et quamvis veritas ipsis solide proponatur, assensum tamen suspendunt. — 3° Turgida superbia, quam specioso titulo emancipationis generis humani vel independentiae rationis humanae condecorant; eiusmodi illuminatos se iactantes supra vulgus eminere volunt, et quidquid captum eorum excedit, contemnunt. Ambo hi fontes se invicem adiuvare solent. Non pauci quoque inveniuntur, qui ex ostentatione, ex desiderio sibi ipsis errores persuadendi, incredulitatem proferunt, corde tamen credunt.

Quod ad remedia attinet, praecipuum, ne dicam unicum, est oratio. Deinde dehortandi sunt a conversatione cum hominibus, qui dubia et errores spargunt, atque a lectione librorum et epheremidum liberalium. Disputatio cum ipsis de veritatibus fidei passim vitanda est, nisi sincere doceri cuperent; neque ipsis suadendi sunt libri controversiarum; secus namque de fide ratiocinari pergunt, firmantur in opinione quod

ratiocinio perveniendum sit ad fidem, et, quod peius est, eorum vanitas nutritur [1] ».

III. Magnates et divites. — «Magnatum et divitum confessiones excipere est opus certe saluberrimum, non solum propter ipsorummet salutem, verum etiam quia bonum vel malum exemplum eorum multum valet; est autem simul opus difficillimum, tum ob vitae illorum conditionem externam, cuius rationem habere oportet, tum ob peculiares tentationum, quibus obnoxii esse solent, illecebras. Obnoxii enim sunt superbiae, quae reddit eos monitis Sacerdotum parum dociles; pacem habent in substantia suâ, nimirum adhaerent divitiis suis, quarum ope paradisum terrestrem sibi creare nituntur, et de aeternâ beatitudine adipiscendâ parvam curam habent; ideo a molestis vitae christianae praeceptis abhorrent; unde mirum non est, inter magnates et divites hodie multos esse Liberalismo infestos, et erga Religionem indifferentes. Hinc difficile est huiusmodi poenitentes moderari in arctâ via, quae ducit ad vitam, aeternam scilicet. Attamen haec difficultas non debet confessarium absterrere, sed zelum eius acuere, ut cum congruâ discretione, industriâ, benignitate et fortudine, eiusmodi poenitentes a vitâ mundanâ ad vitam christianam transferat, ne aggregentur in numerum eorum, quibus Christus comminatus est : Vae vobis, divitibus! »

Ceterum in tractandis magnatibus et divitibus confessarius uti debet principiis et regulis communibus; quod enim iussit Deus principibus populi iudaici, convenit quoque iudicibus populi christiani in sacro Poenitentiae tribunali : « Nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis ut magnum; nec accipietis cuiusquam personam; quia Dei iudicium est » (Deuter. I, 17.) Unde confessario sequentia observanda proponimus : 1° Sit cum huiusmodi poenitentibus semper urbanus, puta quod attinet ad externam formam quaestionum, ad-

1 Ad horum eruditionem cl in Fide confirmationem commendari inter alia merentur (pro excultis): Van Gestel, *Het geloof van den christen;* Famulus, *lleeft Gad wcrkclijk tot de menschen gesproken?;* Dekkers, *Roomsch-Katholiike Godsdienstlecr (Dogmatiek — Zedenleer — Genadelcer); Apologie;* I.aeoret, *Les dogmes catholiques;* Aug. Nicolas, *Etudes philosophiques sur le christianisme;* Deschamps, *Démonstration catholique;* Dr. Segur, *Opuscules;* Hugueny, *Critique et catholique;* Verelst, *Apologétique* (necrl. transi.), *Dogmatique, Morale;* Hettinger, *Apologetik* (gall, transi.); Wilmers, *Lehrbuch der Religion* (neerl. et gall, transi.); Mausbach, *Religion, Christenthum und Kirche; Die Katholische Moral und ihre Gegner.*

monitionum, instructionum, et adhortationum, quas eis impertire oportet; attamen cavendae etiam sunt immodicae urbanitatis formulae. — 2° Caveat ne iis aduletur peccatisque eorum conniveat ex imbecilli hominum timore, veritatem reticendo aut dissimulando. Poenitentibus, utut conspicuis, ubi status conscientiae eorum id poposcerit, pariter turpitudo vitae corruptae est ob oculos ponenda, media necessaria ad emendationem sunt iniungenda, aut etiam, si opus fuerit, absolutio proroganda est. — 3° Ea, quae divitibus specialiter inculcanda sunt, succincte exposuit S. Paulus Timotheo hisce verbis: « Divitibus huius saeculi praecipe, non sublime sapere, ‹ neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui ‹ praestat nobis omnia abunde ad fruendum), bene agere. « divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, ‹ thesaurizare sibi fundamentum in futurum, ut apprehen- ‹ dant vitam » (I Timoth. VI, 17-19). Apostolus ergo primo docet vitia, a quibus cavere debent, a superbiâ scilicet, ne efferantur aliosque despiciant, et in divitiis confidentiâ, quippe quae fluxae sunt et fugaces. Secundo docet virtutes quas debent exercere, nimirum ut humiles et grati sperent in Deum vivum, qui semper manet, et a cuius munificentiâ omnia proveniunt; ideo propter illum bona faciant opera, liberaliter dent pauperibus, suasque divitias communicent. Haec si fecerint, veras divitias sibi cumulabunt perpetuo duraturas. Thesaurus spiritualis est congregatio meritorum, quae sunt fundamentum futuri aedificii, quod nobis praeparatur in coelo ».

QUAESTIO OCTAVA

De Excommunicatis

I. Obligatio confessarii quoad excommunicationes. — Non raro poenitentes occurrunt qui poenam excommunicationis contraxerunt. Unde opportunum videtur summatim exponere ea quae circa hanc materiam in praxi sunt necessaria magis et ideo speciatim attendenda [1]. Et quidem confessario est

1 Inspici possunt auctores qui, post promulgatum Codicem, scripserunt, ut Prümmer et Vermeersch. Cfr. *Revue lied. de Liège,* nov. 1928.

obligatio tum cognoscendi sufficienter ea quae spectant excommunicationes, tum monendi de his poenitentes.

A. Obligatio est *cognoscendi* scientia habituali :

1) Censuras saltem *notiores aut frequentius occurrentes.*

Sciat itaque quod excommunicantur ipso facto ex iure : apostatae, haeretici, schismatici; — edentes, defendentes, legentes aut retinentes libros eorum apostasiam, haeresim, schisma propugnantes, aut alios per apostolicas litteras nominatim prohibitos; — auctores, aut editores S. Scripturae librorum aut commentariorum sine licentia impressorum; — leges, mandata, decreta edentes contra libertatem aut iura Ecclesiae, vel exercitium iurisdictionis ecclesiasticae impedientes recurrendo ad laicalem potestatem — nomen dantes sectae massonicae aut simili associationi contra Ecclesiam, vel legitimam civilem potestatem machinanti; — violentas manus iniicientes in personas clericorum aut religiosas, praesertim in episcopos et cardinales, maxime in S. Pontificem; — quicumque in delicto, et clerici in divinis, communicantes cum excommunicato vitando; — sacrilege species consecratas abiicientes vel ad malum finem abducentes aut retinentes; — procurantes abortum effectu secuto; — duellantes eorumque complices; — absolventes complices in peccato turpi; — confessarium de sollicitatione falso denuntiantes; — sollicitati a confessario non denuntiantes; — apostatae a religione; — matrimonium inire praesumentes stante impedimento voti castitatis, sive solemnis, sive simplicis et perpetui in religiosa professione emissi; — clausuram religiosam violantes; — matrimonium ineuntes coram ministro acatholico aut cum pacto prolis educandae in religione acatholica, item liberos tradentes ministro acatholico baptizandos aut in religione acatholica instituendos : mandantes seu cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae acatholicos aut alios interdictos; — bona ecclesiastica usurpantes, et alienantes pretiosa aut excedentia valorem 30.000 fr.[1], etc.

2) Cognoscendi quoque quaenam ex istis sint *reservatae.*

Paucae enim omnino sunt quae nemini reservantur et a quocumque confessario possunt absolvi, nempe illae quae attingunt edentes sine licentia libros de S. Scriptura, tradentes indignos sepulturae ecclesiasticae, alienantes illegitime bona ecclesiastica magni valoris, cogentes ad statum clericalem aut religiosum amplectendum, et non denuntiantes confessarium a quo sollicitati fuerunt. Aliae omnes sunt reservatae aut *Ordinario,* — aut S. *Pontifici* : sive *simpliciter,* — sive *specialiter,* — sive etiam *specialissime* ut sacrilega proiecto vel abductio aut retentio specierum consecratarum, violenta manus iniectio in ipsum S. Pontificem, et absolutio complicis. Notetur :

a) sine debita facultate absolventes ab excommunicatione latae sententiae specialissimo aut speciali modo reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam (can. 2338, § 1); in dubio tamen sive iuris sive facti reservatio non urget (can. 2245, § 4);

b) insuper omnes censurae *ab homine* eo ipso sunt reservatae illi qui censuram inflixit aut sententiam tulit (can. 2245, § 2).

[1] Id plures intelligunt de valorc aureo.

3) Cognoscendi etiam *conditiones requisitas* ad eas incurrendas.

Sunt : a) *ex parte sublecti,* ut sit baptizatus, — rationis compos et doli capax, — pubes, iuxta vigentem disciplinam — et subditus iurisdictioni excommunicantis;

b) *ex parte obiecti,* ut peccatum sit externum, — grave, — consummatum (et non solum attentatum) in specie quae reservatur, hoc sensu quod omnes conditiones impleat in prolatione censurae positas, — et cum praesenti contumacia coniunctum (can. 2242, §1). Unde in peccatore requiritur scientia tum legis prohibentis, tum poenae specialis transgressoribus infligendae ac proinde excusat ignorantia etiam culpabilis, non tamen affectata quae aequiparatur scientiae, nec semper crassa, nisi censura feratur in eos qui *praesumpserint, ausi fuerint, scienter, studiose, consulto, temere* egerint, (can. 2229.)

B. Obligatio generatim est *monendi* delinquentes qui excommunicationem ignorant, ut scii, obligationem legis ecclesiasticae cognoscant et maiorem horrorem peccati concipiant, et ita lex suum finem attingat.

Nec in casu applicari potest principium saepius laudatum : non est facienda monitio si non speretur profutura. Hoc enim principium solum invocari potest quando agitur de ignorantia legis et peccati, propter bonum poenitentis et nisi graviora timeatur incommoda, ad vitandum sciL formale peccatum : si enim bona fide ignoret legem et peccatum, et non praevideatur emendandus, melius est abstinere a monitione et permittere transgressionem inculpabilem et peccatum materiale, quam monendo provocare transgressionem culpabilem et formale peccatum. Sed id non valet in casu, quando agitur de mera ignorantia poenae : iam enim adest peccatum formale; unde tunc nulla est ratio monitionem omittendi, sed omni sollicitudine est facienda ut peccatum vitetur in futurum. — Quodsi aliqui de hoc non curent vel et deliberate omittant, ita agunt ut sibi incommoda vitent futuri recursus ad Ordinarium aut ad S. Poenitentiariam. Quod est proprium quaerere commodum, non bonum poenitentis aut Ecclesiae de quibus solis sollicitus sit oportet fidelis minister.

II. Quandonam confessarius absolvere potest a censuris reservatis. — Qui excommunicatus est a censura non liberatur nisi legitima absolutione (can. 2248, § 1); a censura autem reservata non potest per se absolvere simplex confessarius, sed solus ille qui ad hoc habet debitam jurisdictionem

1 Animadvertit Prümmer, Th. M., III, n. 485: In foro externo aliquando sufficit contumacia *praesumpta.* Quando enim lex aliqua ecclesiastica sufficienter est promulgata, eius notitia praesumitur in omnibus subditis, qui, si hanc legem transgrediuntur, debent luere poenas et censuras sancitas. Hinc e. g. catholicus, qui coram ministro acatholico malrimonium contrahit, incurrit excommunicationem latam, quamvis ignoret existentiam huius censurae (S. Off. 11 maii 1892). Talis igitur catholicus reapse ignorans excommunicationem potest absolvi in foro interno a quocumque confessario, sed indiget adhuc in foro externo absolutione >.

ordinariam vel delegatam. Causa tamen urgentiore, iurisdictio delegata ad absolvendum a censuris reservatis conceditur ab ipso iure, scii. :

1) *In periculo mortis,* quilibet *sacerdos* (etiam si praesens sit sacerdos approbatus) licite et valide potest absolvere in foro sacramentali quoslibet poenitentes ab omnibus censuris sine exceptione (can. 882); moribundus tamen, postquam convaluerit, ad superiorem legitimum aut ad alium facultate praeditum recurrere (infra mensem) per se vel per confessarium tenetur, *sub poena reincidentiae* in censuram, ac eorum mandatis stare, sed solum in duobus casibus : si censura fuit lata ab homine per sententiam particularem, vel si S. Pontifici specialissimo modo reservatur (can. 2252).

2) *In casibus urgentioribus.* quilibet *confessarius* directe potest absolvere in foro sacramentali ab omnibus censuris reservatis *latae sententiae,* sed explicite imponendo *onus* recurrendi, *sub poena reincidentiae,* infra mensem, saltem per epistolam et confessarium (si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine) ad superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis, — vel alium adeundi confessarium facultate praeditum ut ab eo, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem et mandata ab eo accipiat.

Casus urgentiores a iure determinantur : si nempe censurae latae sententiae servari nequeant

a) *sine periculo gravis scandali,* v. g. si propter excommunicationem parochi aut magistratus gravis ira aut perturbatio oriretur in populo; vel

b) sine *periculo infamiae,* v. g. si omnia iam sint parata ad nuptias, aut parochus vel vicarius celebrationem aut laicus communionem paschalem sine infamia omittere nequeant; aut

c) si *durum* sit poenitenti *in statu gravis peccati permanere* per tempus necessarium ut superior competens provideat (S. Off. 16 lun. 1897, et can. 2254 § 1 et 2); id tamen non omnibus durum est.

3) *Imo in casu extraordinario,* quando hic recursus praevideatur moraliter impossibil s, quilibet confessarius (excepto casu absolutionis complicis) potest absolutionem concedere sine onere recursus (aut confessionis faciendae apud confessarium privilegiatum) sed duplici *conditione* : a) iniunctis de iure iniungendis scii, remotione scandali aut occasionis proximae, et reparatione damni, et b) imposita (praeter poeni-

tentiam sacramentalem) congrua poenitentia et satisfactione pro censura. Ita quidem ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, reincidat in censuram (can. 2254 § 3).

Resursus fieri potest oretenus, — vel per epistolam, — vel per alium v. g. confessarium. In hoc ultimo casu, moraliter impossibilis est si nec confessarius (quia v. g. abire debeat ante responsum et absens non possit tuto, quin alii suspicentur, responsum communicare), nec poenitens, fortasse imperitus, epistolam mittere possit, ct simul durum sit poenitenti alium confessarium adire (S. Off. 9 Nov. 1898; 5 Sept. 1900). Sed, si poenitens sit sacerdos, nunquam excusatur a recursu, quia ipse facile potest Romam scribere et responsum petere ficto nomine (S. Off. 3 iun. 1899).

III. Absolutio excommunicationis in foro externo, et in foro interno. — Excommunicatio latae sententiae per se delinquentem, qui delicti sit conscius, in utroque foro tenet; ita tamen quod ante sententiam declaratoriam a poena observanda excusetur quoties eam servare sine infamia nequeat, et in foro externo ab eo poenae observantiam exigere nemo possit, nisi delictum sit notorium (can. 2232 § 1). Hinc absolutio dari potest in utroque foro : a confessario in sacramentali; extra forum sacramentale ab eo qui habet in reum iurisdictionem ordinariam aut delegatam in foro externo.

Absolutio data in foro externo valet etiam in foro interno; unde si quis a censura reservata fuit absolutus, peccatum non amplius est reservatum; — absolutio in foro interno de se non valet in foro externo nisi probetur vel legitime praesumatur, et alias superior potest observationem urgere, donec absolutio in foro externo habita fuerit (can. 2251). Remoto itaque scandalo, v. g. si excommunicatio in loco non fuerit publica vel si de recepta absolutione satis constet, absolutus in foro interno potest uti talem se gerere in actibus fori externi.

Ordinarie tamen pro delictis publicis, non est absolutio danda in foro interno antequam obtenta est absolutio in foro externo; unde quod de casibus urgentioribus, periculi scii, gravis scandali aut infamiae, supra dictum est, valet tantum si fama adhuc si integra et delictum non sit notorium; nec proinde valet de poenis ferendae sententiae, quae considerantur tamquam ab homine (can. 2217 § 3). Quodsi tunc alicui specialiter durum esset manere in statu gravis peccati, posset sed solum a censura latae sententiae, in foro interno provisorie absolvi sub onere recurrendi infra mensem; sed in foro externo se gerere deberet ut excommunicatus et a pu-

blica sacramentorum receptione abstinere, donec, scandalo sufficienter reparato, etiam in foro externo fuerit absolutus.

In foro sacramentali adhibenda est consueta forma absolutionis in qua absolutio a censuris continetur; in foro externo, nisi superior facultatem concedens formam solemniorem praescripserit, dari potest quolibet modo; formam tamen in ritualibus traditam observare convenit (can. 2250 § 3).

IV. Modus procedendi in praxi. — Itaque confessarius accusationem accipiens peccati quod excommunicationem incurrit, ita procedat :

1) Imprimis sedulo examinet utrum omnes conditiones (ex parte subiecti et obiecti) adsint necessariae ad incurrendam censuram.

2) Item utrum conditiones insuper adsint censurae qualiter reservatur; quodsi maneat aliquod dubium fundatum, casus non est reservatus (can. 2245 § 4).

3) Si autem omnes conditiones requisitae adsint, tunc investigandum est, num sit casus urgentior necne: quodsi non sit, poenitens non potest absolvi sed ad alium confessarium privilegiatum mittendus est vel prius petenda facultas absolvendi.

4) Si sit casus urgentior. poenitens monendus est de censura reservata et de obligatione infra mensem recurrendi, et si serio promittat, absolvi potest. Et interim petantur debitae facultates a superiore.

5) Si non promittat recurrere, et id faciat quia praevidet recursum esse moraliter impossibilem, ipsi imponendae sunt tum reparatio scandali et damni, tum specialis et congrua poenitentia, intra tempus praefixum implendae, et si promittat implere, absolvi poterit.

6) Si promittere recuset absque ratione sufficienti, absolvi non potest, sed potest mitti superiori vel alii confessario facultates speciales habenti, a quo absolutionem petat.

7) Si poenitens, non obstante prima promissione, non redit ad audienda mandata superioris, et ita facit ex negligentia culpabili, reincidit in excommunicationem, quia parvipendit recursum graviter praescriptum qui non perficitur donec poenitens mandata acceptaverit. Quodsi non potuit redire sine magno incommodo, non reincidit in excommunicationem, sed manet obligatio recurrendi postea quantocius possit si autem

* Ex natura rei constat tempus determinatum fuisse ad urgendam obligationem.

recursus evadit moraliter impossibilis, faciendum est ut supra sub 5°, ac imponenda reparatio debita et congrua poenitentia.

V. Animadversiones. — 1. Reservatio peccati cessat, cessante reservatione censurae.

2. Existente censura quae impedit sacramentorum receptionem (uti est excommunicatio), censuratus nequit absolvi a peccatis nisi prius a censura absolutus fuerit (can. 2250 § 2). Nihilominus si absolutio concederetur ab habente potestatem, esset valida, dum poenitens esset in bona fide.

3. Ignorantia censurae generatim excusat ab eius reservatione, sed non excusat ignorantia reservationis censurae, hac cognita.

4. « Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo non sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata » (can. 2247 § 3). Imo etiam absolutio a peccato valet; nam si quis fuerit a censura absolutus, reservatio peccati penitus cessat.

5. Non solum diversae, sed etiam eiusdem speciei censura potest in eodem subiecto multiplicari (can. 2244 § 1). Hinc « si pluribus censuris detineatur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis. Petens absolutionem, debet casus omnes indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso; quodsi absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis (uti solet dari in confessione sacramentali), valet (dummodo absolvens habeat facultatem competentem) quoque pro reticitis bona fide, excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide » (can. 2249).

6. Absolutio quam a *censura reservata* dederit *confessarius competens,* valet etiamsi confessio fuerit nulla aut sacrilega, dummodo poenitens accusaverit reservata. Si haec accusatio fuerit bona fide omissa, plures existimant etiam tunc censuram sublatam esse, cum confessarius censeatur velle potestate sua efficaciter uti quantum possit.

Excipitur, si quis tempore iubilaei sacrilege confessus sit. quia hoc tempore facultates solum conceduntur in ordine ad iubilaeum lucrandum, quod fieri nequit confessione sacrilega.

7. Qui post absolutionem debitum recursum omisit, reincidit in censuram, non autem in peccatum, quod manet absolutum; unde solum omissionem recursus tamquam peccatum

accusare debet. Quodsi, postquam recurrerit, mandata non servet, graviter peccat, sed an in censuram reincidat, incertum est.

8. Quamvis censura nemini reservata sit, ab ea tamen absolvi non potest, nisi qui debitae obligationi satisfecerit vel se eam impleturum esse serio promiserit.

VI. Monita. — Sciant se graviter peccare, utpote legem Ecclesiae laedentes gravem : a) qui scienter sine necessitate absolvunt a censura reservata, b) qui in casu urgentiori absolventes omittunt monitionem de recurrendo infra mensem, c) qui a superiori, vel in casu extraordinario a iure, delegati, imponere omittunt reparationem debitam et congruam poenitentiam.

2. Sciant Ordinarium, in casibus occultis, posse poenas latae sententiae iure communi statutas, per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis (can. 2237). Insuper episcopos saepe facultates delegatas obtinere ampliores pro notoriis, aut pro reservatis modo speciali vel etiam specialissimo, saltem pro aliquot casibus. Hinc generatim, loco S. Poenitentiariae, potest recursus fieri ad episcopum. In hoc tamen casu curandum est ne sigillum sacramentale violetur.

3. Sciant confessarios regulares mendicantes, et qui participant mendicantium privilegia, *a casibus episcopo,* non quidem auctoritate propria, sed de iure *reservatis,* absolvere posse, uti v. g. est casus de procuratione abortus.

INDEX.

CAPUT I.

De poenitentibus varie dispositis :

CAPUT II.

De poenitentibus variis secundum conditionem corporis :

CAPUT III.

De poenitentibus variis secundum conditionem animae :

Opuscula edita a R. P. MERKELBACH, O. P.
in collectione « Quaestiones Pastorales »
grato animo fuerunt universim recepta atque
pluribus laudibus comprobata.
De quo referantur quaedam testimonia :

I. DE CASTITATE ET LUXURIA : editio 3a

Lo scopo della nostra Rivista, non ci permette un esame particola–reggiato di quest'opusculo. Ma l'importanza dell'argomento, e la maniera veramente magistrale con cui vi è trattato, inducono a raccomandarlo anche el clero Italiano. Tutti sanno che siffatte questioni sono, come scrisse S. Alfonso de Liguori, *frequcntior atque abundantior confessionum materia et propter quam maior animarum numerus ad infernum ditabitur,* e quindi che vi è per tutti l confessori un estrema nécessita di esserne pèrfettamente istruiti.

(Civilta Cattolica, 1926, p. 450.)

Œuvre d'une grande netteté dans sa terminologie, d'une véritable solidité dans sa pratique pastorale et pénitentielle, et où nous trouvons — ce qui manque trop souvent dans les œuvres similaires — les notions physiologiques et morales nécessaires au confesseur.

(P. Hourat, Bull. Circulaire, Août 1927.)

...His chapter on the causes of and remedies of carnal sins is well-timed, and will be especially valuable for confessors and directors of youth. *(The Month,* 1926, p. 476.)

Bref, clair, méthodique : premières qualités d'un *sommaire* que l'auteur a voulu, autant que possible, *complet* pour qu'il fût *pratique.* Heureux choix des notions anatomiques et physiologiques préliminaires : on trouve ici des détails ordinairement passés sous silence, et néanmoins indispensables. Nous ne pouvons relever toutes les particularités dignes d'éloges de cet ouvrage : nous n'en finirions pas.

(Collationes Namure., 1927, p. 213.)

Le traité *de castitate,* tout en étant complet, reste bref comme il sied à une œuvre ayant avant tout un but pastoral. Il a pour objet la chasteté dans le mariage aussi bien que dans le célibat; il n'omet pas d'étudier les causes et les remèdes de la luxure.

(Collationes Tornacenses, 1927, p. 47.)

II. DE EMBRYOLOGIA ET DE MINISTRATIONE BAPTISMATIS : editio 2a

Ce volume réunit et développe un peu plus que ne le font les traités généraux de morale les questions se rapportant à l'avortement, aux interventions chirurgicales, à l'administration du baptême. Dans ces matières, qui donnent lieu à tant de cas de conscience angoissants, on apprendra avec grand intérêt l'opinion de l'éminent professeur, dont la finesse d'analyse et la rigueur de raisonnement sont assez connues. Il prouve solidement les solutions sévères proposées par l'Eglise; il refuse très heureusement de proclamer une obligation certaine, quand elle ne se laisse pas prouver d'une manière suffisante.

(J. Salsmans, S. J-, Nouvelle Revue théol.. 1928, p. 71.)

No dubtem gens ni mica de recomenar vivament l'adquisiciô d'aquest bell fascicle a tots els sacerdots per als quais serà una guia segura en totes les dificultats que poden eixir-los a l'encontre en l'exercici de son ministeri sagrat.

(Esfudis Franciscans, 1927, p. 118.)

On sera heureux d'y trouver réunies toutes les questions pratiques ayant rapport à l'embryologie et qui se trouvent habituellement disséminées en divers traités de la théologie morale, par exemple les questions relatives à l'avortement, à l'embryotomie, à l'opération césarienne et aux autres interventions chirurgicales du même ordre, celles qui ont trait à l'administration du baptême *fœtibus immaturis* ou bien encore *in utero* matris. *(Collationes Tornacenses,* 1927, p. 47.)

On retrouve ici les qualités que nous avons relevées dans le premier volume de ces *quaestiones pastorales* (v. *Collai Namure.,* XXI, 213). Rappel exact des données scientifiques indispensables à l'intelligence des problèmes moraux relatifs à l'existence des « non nati »; énoncés nets des principes dont les solutions devront s'inspirer; solutions elles-mêmes fermement exprimées; souci manifeste d'éviter tout ce qui ressemblerait à une échappatoire, là où d'autres semblent vouloir biaiser... autant de raisons qui recommandent cet ouvrage à l'attention des lecteurs sérieux.

(Collectiones Namure., 1928, p. 321.)

La dottrina in generale è sicura, l'esposizione chiara e ordinata, il fine inteso dall'A. ottüno. L'opuscolo riuscirà certamente utile, massime ai sacerdoti che esercitano la cura d'anime. Noi la reccomandiamo volentien.

(Felice M. Capello, S. J., Gregorianum. 1929, p. 282.)

IV. DE MINISTRO POENITENTIAE EIUSQUE OFFICES :

Très Révérend Père,

...C'est avec une vive reconnaissance que j'ai reçu votre livre De Poenitentiae Ministro; *merci de me Γavoir envoyé, merci aussi de l'avoir édité. Je suis persuadé qu'il est digne de vos ouvrages antérieurs.*

Vos études de théologie pastorale vont ainsi constituer un ensemble de toute première valeur. Je souhaite à vos livres l'influence la plus large et la plus durable.

25 avril 1928. **t** *J· E. Card. Van Roey.*
Archevêque de Malines.

Il dotto Antore, professore di Teologia a Lovanio, vi espone con profondità e chiarezza, sia dal lato speculativo che pratico, le questioni di teologia morale e pastorale, che cheriguardano la giurisdizione e i doveri dei confessore, questioni importantissime che soglione essere troppo succintamente svolte nei comuni trattati scolastici di Teologia morale.

(Osservatore Romano, 9 mart. 1929.)

They are both Pastoral treatises, and will be acceptable to all shepherds of souls. The former deals with the confessor's traetment of various classes of penitents, much as St. Alphonssus did so well in the « Homo Apostolicus. » The chapters on Contemplatives are, we think, particularly helpful to confessors, and Father Mcrkclbach has given us the benefit of wide reading and a long experience. The second monograph deals with the confessor himself, his powers, Jurisdiction, reservation, the Seal, etc... Though the Seminarist will hardly have time to read them with all his other work, the priest on the mission should find time to do so. We look forward to other works on the subject, promised by the scholarly author.

(The Month, aug. 1929, p. 184.)

V. DE PARTIBUS PŒNITENTIAE ET DISPOSITIONIBUS PŒNITENTIS :

Comme les deux volumes qui l'ont précédé, celui-ci est une somme de doctrine dogmatique et morale, en même temps qu'un précieux manuel de pastorale. Il est le fruit de nombreuses lectures mais aussi de longues réflexions. A tout ce qu'il touche l'auteur met un cachet d'ordre et de mesure, et il ne se déclare satisfait que lorsqu'il l'a rendu massif d'idées proposées, expliquées, défendues et coordonnées. Trop modestement il intitule ses travaux : Quaestiones pastorales. Lisez le présent ouvrage, et vous verrez qu'il n'y manque aucun aspect qui puisse figurer dans un traité étendu, pas même les aperçus historiques puisés chez les auteurs universellemen estimés. On trouvera ici ce qui regarde la matière du sacrement de Pénitence, matière éloignée et matière prochaine, c'est-à-dire les actes du pénitent : contrition, confession et satisfaction, avec les diverses questions qu'on est accoutumé de traité à leur sujet.

(G. *Kiselstein, Rev. Eccles, de Liège,* 1929, p. 398).

In verscheidenen Faszikeln, gibt M. die wichtigsten' Lehrstücke des Pastoral heraus. Die Faszikel sind im wesentlichen eine dankenswerte Zusammen tellung der von verscheidenen Autoren vorgetragenen Lehren.

(Zeitschrift für kathol. Theolog., 1929, p. 457.)

Allerlei vraagstukken, anders over verschillende traktaten verdeeld en soms slechts terloops aangeraakt, vinden we hier systematisch geordend en breedvoeriger besproken met verwijzing naar de beste auteurs. Dit is wel de groote verdienste van deze serie.

(Sfudiën, aug. 1929.)

...Een reeks van pastoraal-theologische brochures, welke naar onze meening de bijzonder aandacht vooral ook der dienstdoende Geestelijkheid overwaardig is... De flinke sprekende druk, in afwisseling van gewone letter, vette letter en cursiefletter, beantwoordt aan den inhoud.

De Schr. toont zich in deze brochuren een uitstekend theologant, wiens werken, tegelijkertijd theoretisch en praktisch, de hoogste aanbeveling verdienen.

(M. van Grinsven, C. ss. R. — Nederlandsche Katholieke stemmen, febr. 1929, p. 44 sq.)

Le Gérant.
P. RUTTEN.

IMPRIMERIE VERITAS
Mont Saint-Amand (Gand) Belgique.

EIUSDEM AUCTORIS.

QUAESTIONES PASTORALES.

1. **Quaestiones de Castitate et Luxuria, 3a ed. 132 p.**
2. **Quaest. de Embryologia et de Ministratione Baptisma' tis, editio altera, 88 p.**
3. **Quaest.de Variis Poenitendum Categoriis, editio altera, 187 p.**
5. **Quaest. de Partibus Poenitentiae et Dispositionibus Poenitentis, 172 p.**
6. **Quaest. de Variis Peccatis in Sacramentali Confessione Medendis, 155 p.**

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

1. **De Principiis, 1 vol. in-8° 756 p.**
2. **De Virtutibus moralibus, 1 vol. in-8° 994 p.**
3. **De Sacramentis, 1 vol. in-8° 959 p.**

Ius proprietatis auctor sibi vindicat

LA PENSEE CATHOLIQUE
assodation sans but lucratif
est une œuvre d'enseignement
religieux, moral et sodal.

Quæstiones Pastorales
IV

QUÆSTIONES
DE
Poenitentiae Ministro
eiusque officiis

QUAS IN UTILITATEM CLERI
PROPOSUIT

Pater fr. Ben. H. MERKELBACH, O. P.
S. Th. Mag. et Dr et in Inst. Pontif. Angelico de Urbe
Professor Theologiae Moralis

EDITIO ALTERA. AUCTA ET EMENDATA

MYRON PLEKON

LA PENSEE CATHOLIQUE
association sans but lucratif
Liège (Belgique) 38 Quai Mativa
PARIS (5e) : Librairie Labergerie, 11, rue Cujas
AMSTERDAM : N. V. De R. K. Boek-Centrale
PADERBORN : Verlag Ferdinand Schôningh
TORINO-ROMA : Casa éditrice Marietti
LONDON, W. C. 1: B. Herder
MONTREAL : Granger Frères
MADRID : Editorial Voluntad
MCMXXXV

Nihil obstot:

Fr. B. M. Bonte, S. Th. L.

Fr. H. M. Bisschop. S- Th. L.

Imprimi potest:

Romae, 12 Sept. 1935

F. M. S. Gillet. O. P.

M. G.

Nihil obstat:

G. Kiselstein, L· C.

Imprimatur:

Tillieux, Vie. Geti.

Leodii. 16 Sept. 1935

BENEVOLO LECTORI.

In pastorali ministerio plurimum refert ut bene sciat confessarius potestatis suae naturam, — modum quo obtinetur et amittitur, — limites quibus constringitur, — rectum ipsius usum, — ac officia varia, — sicut et nefandos abusus. Quorum omnium hic subiicimus claram pro posse et syntheticam expositionem, speculativam simul et practicam, ex melioribus auctoribus desumptam et ad theologica principia revocatam. Haec itaque principia et regulae tamquam fundamentum sint eorum quae magis practice conscripsimus de variis poenitentium categoriis.

Quapropter, optime confrater. utrumque opusculum pari benignitate digneris accipere.

In hac autem altera editione, aucta parumper et emendata, addere praetulimus ea quae spectant ipsam formam absolutionis, quia in huius sententiae pronuntiatione ipse formalis usus potestatis confessarii praecise consistit. Ita de Poenitentiae ministro magis erit completa expositio doctrinae.

AUCTOR.

De Poenitentiae Ministro

S. Thomas, Suppl, q. 17, et q. 19, a. 2 et 3.

I. Potestas remittendi peccata non competit omnibus fidelibus, sed quibusdam ministris, scii. Apostolis et successoribus, i. e. solis episcopis et sacerdotibus. — Ita declarante antiquissima et ininterrupta Traditione ac Cone. Trid. sess. 14, c. 16. Unde Codex luris, can. 871 : « Minister huius sacramenti est solus sacerdos ». Ad munus eius *valide* exercendum requiritur itaque potestas *ordinis:* et, docente eodem Cone. Trid. c. 7, insuper ex iure divino requiritur potestas *iurisdictionis,* quia sententia iudicialis ferri non potest nisi in subditos. Hinc Codex, can. 872 : « Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in poenitentem ».

Quod magis scientifice exponit sanctus Thomas, q. 8, a. 4 :

« Alia sacramenta non consistunt in hoc quod ad sacramentum accedens aliquid agat, sed solum ut recipiat, sicut patet in baptismo, et huiusmodi... Sed in poenitentia actus accedentis ad sacramentum est de substantia sacramenti, eo quod contritio, confessio et satisfactio sunt poenitentiae partes, quae sunt actus poenitentis; actus autem nostri, cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab aliis dispensari, nisi per imperium. Unde oportet quod ille qui dispensator huius sacramenti constituitur, sit talis qui possit aliquid imperare agendum. Imperium autem non competit alicui in alium, nisi ei qui habet super eum jurisdictionem. Et ideo de necessitate huius sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat jurisdictionem ».

II. Differt in ministro potestas ordinis et iurisdictionis. — Nam *potestas ordinis* est potestas *efficiens,* sanctificandi seu

efficiendi sacra, in casu, potestas instrumentalis conferendi gratiam; *potestas iurisdictionis* est potestas *moralis,* regendi subditos in rebus ad finem supernaturalem spectantibus, seu in ordine ad sanctitatem et vitam aeternam.

lurisdictio alia est *[ori Ecclesiae* seu *externi,* quando directe et primario spectat publicum Ecclesiae regimen et utilitatem: alia *fori Dei* seu *interni,* quando directe et primario spectat privatam cuiuslibet fidelis utilitatem. Prior est potestas ecclesiastica et socialis quae conceditur a Pontifice ex propria auctoritate, et ideo ex hac derivatur ab eo ut a *causa principali* et auctoritate eius exercetur; altera est potestas non ecclesiastica sed divina, quae conceditur auctoritate propria Dei (qui solus directe valet attingere conscientiam et vinculum peccati), mediante tamen Pontifice ut ministro et instrumento divinitatis, et ideo non auctoritate Ecclesiae propria, sed auctoritate ipsius Dei excercetur. Haec, ait Billot[1], est prius solvendi quam ligandi, illa vero prius ligandi quam solvendi.

Itaque in confessario potestas ordinis et potestas iurisdictionis differunt multipliciter :

1) *Collatione :* Prior consecratione, scii, *sacra ordinatione* confertur et *indelebiliter* subiecto inhaeret; altera actu externo *missionis* ad subditos a superiore confertur[2], qui actus revocari potest, minui aut augeri, suspendi ac limitari, v. g. quoad *homines,* si certis hominibus aut hominum generibus restringatur; quoad *locum,* v. g. inter limites unius dioecesis vel paroeciae: quoad *tempus,* ita ut elapso certo tempore expiret v. g. post triennium; quoad *causas* seu peccata, si superior sibi reservet absolutionem a quibusdam peccatis gravioribus (Cone. Trid. sess. 14. can. 11). Hinc sacerdotes potestate ordinis sunt aequales, non potestate iurisdictionis.

2) *Essentia:* Potestas ordinis dat proximam aptitudinem et dispositionem ad hoc quod quis recipiat iurisdictionem in subditos ad absolvendum a peccatis: est deputatio ad exercendum iudicium sacramentale. sed indeterminate in subditos. *si quos habet :* quorum (i. e. subditorum), ait Christus, remiseritis, remittuntur eis. Potestas iurisdictionis est facultas exercendi potestatem sanctificandi ordinis in aliquos *determinatos* tamquam subditos legitime designatos. Prior scii, dat capacitatem, altera est facultas istam capacitatem exercendi.

1 *De Ecclesia,* th. XXI.
2 Cfr. II-II, q. 39, a, i.

3) *Effectu :* Ex potestate iuridictionis iudicium est validum, ex potestate ordinis est efficax.

Hinc potestas iurisdictionis definiri potest : *Potestas externo superioris actu collata, qua sacerdos iurisdictionem exercere potest erga subditos in foro interno et poenitentiali,* seu *deputatio legitima ad exercendum munus absolvendi a peccatis modo iudiciali poenitentes determinatos tamquam subditos*

III. Potestas confessarii pertinet ad potestatem clavium. Clavis est instrumentum ad aperiendum regnum coelorum quod clauditur per peccatum quantum ad reatum culpae et quantum ad reatum poenae; seu *eminens potestas sacra qua obstaculum peccati removetur.* Quamvis enim Christus auctoritate divina et merito passionis coelum, quantum est de se aperuit in universali, ad ministros tamen eius pertinet aperire, per sacramenta, quantum ad hunc vel illum, quibus manet clausum propter originale vel actuale peccatum : Christus scii, ut principale agens dicitur habere elavem *excellentiae,* sacerdotes, ut agentia instrumentalia, elavem *ministerii.**

Hinc exercitium potestatis includit duplicem actum seu duplex iudicium : 1) iudicium *discretionis* de dispositionibus seu idoneitate huius vel illius recipientis, quo discernitur an dignus sit vel non; 2) ipsum iudicium sive *absolutionis* et remissionis, sive retentionis, quo aperimus vel claudimus, recipimus dignos vel e regno excludimus indignos. Et ideo distinguuntur duae claves : a) clavis *scientiae* seu auctoritas actum scientiae exercendi quo discernitur et ostenditur cui sit aperiendum; b) clavis *potentiae* seu ipsa auctoritas solvendi et ligandi qua aperitur coelum vel clauditur. Non ac si essent duae potestates quantum ad essentiam, sed duae ex comparatione ad actus quorum unus alium praesupponit'.

Etenim, ait S. Thomas, potestas illa clavium *realiter* idem est ac character seu *potestas* spiritualis *instrumentalis* ordinis, ita ut eadem per

' Vel cum Bii.i.uart: *Potestas qua sacerdos ut index fert in alterum tamquam in subditum sententiam in foro conscientiae.* Aut cum Chrétien: *Potestas supernaturalis iudiciaria, actu auctoritatis legitimae collata, vi cuius sacerdos subditorum peccata remittit in sacramento Poenitentiae.* Ita in opusculo: *De Poenitentia Quaedam Quaestiones,* quod pro tota nostra materia meretur inspici.

* Ita S. Thomas, q. 19. a. 2; et q. 17, a. I. Hinc « actus sacerdotis non est *immediate* super regnum, sed super sacramenta quibus homo ad regnum pervenit » q. 17. a. 2, ad 5.

* S. Thomas, q. 17, a. 3.

essentiam sit potestas in corpus Christi reale et in corpus Christi mysticum, seu potestas qua sacerdos conficere potest Eucharistiam et potestas qua potest solvere et ligare, si iurisdictio adsit (q. 17, a. 2, ad 1); sed differunt *ratione* secundum quod ad diversos effectus comparantur: character consecratione ad Deum, potestas clavium ad subditos. Unde claves dantur cum ordine in aliqua consecratione, sed exeeutio clavis indiget materia debita circa quam exercetur, scii, subditis, et ideo actus clavium habetur per jurisdictionem; et ita ante iurisdictionem minister habet claves, sed non habet actum clavium' (ad 2).

Hinc potestas *iurisdictionis* (etiam in foro externo) qua aliquis subiicitur (aut excluditur) ad communionem Ecclesiae, per quam aliquis ad coelum vadit, etiam aliquando *dicitur clavis* sed *improprie,* quia non est immediate clavis regni coelorum, removens peccatum, sed quaedam remota dispositio ad ipsum seu ad gratiam (q. 19, a. 3), et conditio ad clavim exercendam (q. 17, a. 2, ad 1 et 2). Secundum hanc Petro *singulariter* dedit Christus potestatem ligandi et solvendi seu dimittendi peccata (Mt. XVI, 19). ut intelligatur quod ipse prae aliis habet potestatem iurisdictionis. « Et ideo indeterminate Dominus dicit: Quorum remiseritis peccata, intelligens tamen quod usus illius potestatis esse deberet, praesupposita potestate Petro collate, secundum ipsius ordinationem » (q. 20, a 1, ad 1).

Clavis iurisdictionis non solum sacerdotibus sed et aliis competere potest, qui excommunicare possunt (q. 19, a. 3; q. 22, a. 2); clavis ordinis solis sacerdotibus (q. 20, a. 1. ad 1).

IV. Circa potestatem confessarii quantum ad quinque capita solvendae sunt quaestiones:

1) de ipsa potestate confessarii;
2) de concessione et limitatione potestatis;
3) de usu potestatis confessarii;
4) de officiis potestatis confessarii;
5) de abusu potestatis confessarii.

' Ex quo patet, etiam secundum S. Thomam, quidquid aliqui putaverint, potestatem iurisdictionis distingui ab ordine nec cum eo dari. Constat ex verbis ad I: « potestas ... qua potest solvere et ligare, *si iurisdictio adsit* »; et ex resp. ad 2: < clavis cum ordine datur sed exeeutio clavis indiget materia debita, quae est plebs subdita per iurisdictionem; et ideo *antequam iurisdictionem habeat,* habet claves, sed non habet actum clavium >.

CAPUT I

DE IPSA POTESTATE CONFESSARII

QUAESTIO PRIMA

De Potestate Ordinis

S. Th., Suppi, q. 8, a. 1-3; q. 19, a. 3 et 4.

I. Status quaestionis. — Circa potestatem ordinis plures non recte opinati sunt :

A. Circa hoc *erraverunt* : 1) *Montanistae* qui tenebant solos pneumaticos seu spirituales, i. e. eos qui receperunt Spiritum Sanctum posse peccata condonare, quia dixit Christus : Accipite Spiritum Sanctum; — 2) *Abaelardus* existimans potestatem concessam solis apostolis, non successoribus, qui damnatus fuit in Cone. Senonensi, a. 1140 (prop. 12); — 3) *Fratricelli, Waldenses, Wicleffitae, Hussitae.* qui potestatem absolvendi peccata bonis laïcis concedebant, pravis sacerdotibus denegabant (cfr. Cone. Const0., a. 20 et 22); — 4) *Lutherani* qui communiter tenent potestatem remittendi peccata reduci ad ministerium praedicationis et exhortationis ad excitandam 'fidem in remissionem peccatorum, atque *omnibus fidelibus,* etiam mulieribus, in casu necessitatis per se competere (modo se credant absolutos); eamdem tamen, ad confusionem vitandam, non esse exercendam nisi ab iis qui ad hoc deputati sunt a communitate. Alii *Protestantes,* praeter Episcopalianos et Ritualistas, negant omnem potestatem clavium; — 5) *Protestantes liberales* multi tenent primis Ecclesiae saeculis potestatem clavium exercitam fuisse a solis charismaticis, i. e.

ab iis fidelibus qui speciali dono seu charismate gaudebant : hierarchia enim non est a Christo instituta, sed charismata varia a Spiritu Sancto inter fideles distribuebantur.

B. Quidam catholici in medio aevo tenuerunt *diaconos* aut inferiores *clericos,* ministros esse *extraordinarios* qui. deficientibus sacerdotibus, confessiones excipiebant et aliquid poterant ad absolutionem conferre; — vel et *diaconos* antiquitus ministros extraordinarios absolventes habitos fuisse : ita v. g. Morinus. Imo pauci dixerunt, deficientibus sacerdotibus et clericis, *laids* confitendum esse.

II. *Thesis.* **Soli sacerdotes, ex iure divino, i. e. episcopi et presbyteri, sunt ministri confessionis sacramentalis, qui valide possunt absolvere; unde in iis requiritur potestas ordinis.**

Est *de fide* ex Cone. Trid. sess. 14, c. 1 et 6, et can. 10, cuius canonis prima pars dirigitur contra Wicleff, altera contra Lutherum.

Probatur thesis : 1) *Ex documentis revelationis* quibus constat a) verba Christi : *Quorum remiseritis...* directa fuisse ad solos apostolos; insuper b) potestatem concessam tamquam iudicium exercendam; sed ut habeatur iudex, esse debent superior et inferiores; ergo non omnibus, scii, inferioribus, haec potestas concessa fuit. Quinam autem de facto hac in potestate sint Apostolorum successores, an soli episcopi, an etiam sacerdotes vel alii, ex Traditione et usu Ecclesiae determinandum est, quibus constat a primis temporibus generatim illud munus non solis episcopis sed et presbyteris, non vero aliis, fuisse commissum.

Id iam innuunt inde a primis temporibus : Ignatius dum constanter commendat et praecipit obedientiam episcopo praestandam, ac in specie peccatoribus non promittit remissionem peccatorum nisi redeant ad Ecclesiam congregatam et ad consensum episcopi (cp. ad Philad., n. 3); Clemens Romanus dum Corinthiis praecipit ne removeantur illi qui episcopi (i. e. presbyteri) constituti et suo munere praeclare functi sunt; ipsi autem subiiciantur presbyteris ut recipiant correctionem ad poenitentiam, ne excludantur a grege Christi (cp. ad Cor. c. 44 et 57). Diserte autem id affirmant inde a saeculo III : Callixtus sibi vindicans hanc potestatem; Tertullianus, de Poenitentia c. 9, et de Pudic. c. 18, n. 17 et 18; Cyprianus, de Lapsis c. 29, et ep. 17; Origenes, in Levit, hom. 2, n. 4; in Num. hom. 10, c. 1: in Ps. XXXVII, hom. 1; Athanasius, in Fragm. ex 1. c. Nov.; Ephrem, or. de sacerd.; Didascalia, c. 7; Basilius, reg. brev. n. 228; Chrysostomus, de Sacerd. 1. 3. c. 5; Const. Apost. II, 16; Ambrosius, de Poen. 1. I, c. 2; Hieronymus, in Matth. XVI, 19; Augus-

tinus, serm. 351: Enchir. c. 65; Leo M. ep. 108, et ep. ad Theod.; Cone. Carthag. Ill, can. 32, etc. Initio quidem potestas reservabatur episcopo, at presbyteri quandoque eam exercebant ex commissione episcopi, ut patet ex Cypr., ep. 18: ex Const. Ap. VIII, 47, 52; ex Cone. Hippon., Illiber. et Carth. III, atque ex institutione presbyteri poenitentiarii. A saec. VI usus est generalis adeundi sacerdotes.

Competebat autem ipsis ad exclusionem diaconorum, quod constat tum ex facto de istis silentio, tum ex expresso testimonio Ambrosii, de Poen. l. I, c. 2; Hieronymi, in 1er. XIII, 12; in Matt. XVI, 19; Augustini, de Civ. Dei l. 20, c. 10; ep. 228 ad Hon. n. 8; serm. 82, n. 6 et 11: Innocenta I, ep. 25 ad Dec. n. 3. ct aliorum.

2) Etiam *ratione* ex S. Thoma, q. 19, a. 4 : Nullus remittere peccatum et gratiam conferre potest nisi nomine Christi ut instrumentum eius. Sed nemo est instrumentum nisi eligatur ut minister. Ergo soli ministri possunt remittere peccata [1]. Non autem soli episcopi erant eligendi sed etiam sacerdotes, propter magnam necessitatem huius sacramenti.

1 Ex hoc principio concludit S. Thomas i) non sanctos, sed sacerdotes, nec *2)* solos sacerdotes sanctos, sed etiam malos esse ministros sacramenti.

tum ita : « Ex hoc aliquid constituitur principale agens, quod habet aliquam formam, quam in alterum transfundere potest; non autem ex hoc constituitur agens instrumentale, sed ex hoc quod est applicatum a principali agente ad effectum aliquem inducendum... Sed homo... nec ipse alteri gratiam, qua remittuntur peccata, dare potest, nec sufficienter mereri... Et propter hoc, quantumcumque aliquis habeat de gratia, non potest pertingere ad effectum clavium, nisi applicetur ad hoc ut minister per Ordinis susceptionem » (q. 19, a. 4).

2um ita : « Sicut participatio formae quae est inducenda in effectum, non facit instrumentum, ita nec subtractio talis formae tollit usum instrumenti. Et ideo cum homo sit tantum instrumentaliter agens in usu clavium, quantumcumque sit gratia per peccatum privatus, per quam gratiam fit remissio peccatorum, nullo modo tamen privatur usu clavium. » Nam « donum Spiritus Sancti exigitur ad usum clavium, non ut sine quo fieri non possit (seu ad validitatem), sed quia sine eo incongrue fit ex parte utentis (seu ad liceitatem), quamvis subiiciens se clavibus effectum clavium consequatur » (a. 5, et ad 1).

Et ideo etiam in haereticis, schismaticis, et excommunicatis manet clavium potestas quantum ad essentiam (potestas ordinis) ; sed usus impeditur (plerumque) ex defectu materiae (potestas iurisdictionis). Cum enim usus clavium in utente praelationem (seu jurisdictionem) requirat respectu eius in quem utitur..., propria materia, in quam exercetur usus clavium, est homo *subditus.* Et quia per ordinationem Ecclesiae unus alteri subditur, ideo etiam per Ecclesiae praelatos *potest* subtrahi alicui ille qui erat ei subiectus. Unde, cum Ecclesia haeret'eos, schismaticos, et alios huiusmodi privet, subtrahendo subditos vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc quod privati sunt, non possunt *usum* clavium habere » (a. 6).

Quod autem sacerdotes, non diaconi et ministri inferiores eligerentur, maxime est conveniens, ut ostendit idem S. Thomas, q. 8, a. 1 :

« Gratia quae in sacramento datur, a Christo capite in membra descendit, Et ideo solus ille est minister sacramentorum in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod solius sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest. Et ideo cum in sacramento Poenitentiae gratia confertur, solus sacerdos minister est huius sacramenti; et ideo ei soli facienda est sacramentalis confessio quae ministro Ecclesiae fieri solet ».

III. Animadversio. — In thesi diximus solos sacerdotes esse ministros confessionis *sacramentalis.* Etenim confessio apud laicos, deficiente sacerdote.

1) erat in usu ad maiorem erubescentiam et confusionem [1], uti etiam refert S. Thomas, q. 8. a. 2, sed non erat sacramentalis, uti constat ex responsione ad 1 et 3 et ex art. 3;

2) est satisfactoria, si adsit contritio perfecta;

3) est sacramentale quo excitatur attritio ad remissionem peccatorum venialium, sicut tunsio pectoris (cfr. a. 3).

IV. Obiiciunt : Ex historia Ecclesiae constat potestatem excipiendi confessiones vel et remittendi peccata, decursu temporum, agnitam fuisse pneumaticis, — nonnullis confessoribus et martyribus — diaconis — imo et laicis.

Resp. : 1) *Pneumatici* initio Ecclesiae, specialibus fuerunt donati charismatibus (I Cor. XII, 3-11; XIV, 2-40; Eph. IV, 11) sed non legitur ipsis concessam esse potestatem remittendi peccata. Id solus Tertullianus asserit, montanista factus; at assertio universim reprobata fuit, etiam ab eius discipulo S. Cypriano.

2) *Confessores et martyres* privilegio donati fuerunt libellum pacis concedendi delinquentibus in ordine ad remissionem peccatorum. Sed non audiebant confessionem nec absolvebant; solo privilegio intercessionis gaudebant, quo, intuitu ipsorum confessionis, episcopi quosdam peccatores ad reconciliationem admittebant. Quod constat ex epistolis S. Cypriani, cuius doctrina non solum probata fuit ab episcopis africanis, sed etiam, sede vacante, a presbyteris et diaconis romanis.

3) Diaconi, deficiente episcopo et sacerdote, peccatores moribundos ad plenam reconciliationem admittebant et pacem

1 Cfr. de hoc Tectaert, *La confession aux laïques dans l'Eglise latine depuis le VIII jusqu'au XIV» siècle.*

cum Ecclesia, ac ad receptionem Viatici, sive antea absoluti iam fuerint, sive nondum fuerint; quo ultimo casu in iis supponebant sane contritionem perfectam.

Sed quidam diaconi limites excesserunt suae potestatis; id autem Concilia particularia prohibuerunt, ut constat v. g. ex statutis Odonis, epis. Pariensis (a. 1197), et ex Synodo Pictaviensi (a. 1280).

4) Denique *laid,* in periculo mortis, deficiente sacerdote, durante medio aevo, excipiebant moribundorum confessionem, sed non absolvebant. Praxis autem utilis habita est, ad maiorem humilitatem et contritionem et maius desiderium-confessionis; imo a magnis etiam theologis dicebatur necessaria, ad probandum scii, sinceritatem contritionis, quatenus homo saltem debet praestare quod est ex sua parte et facere quod in se est, confitendo quantum possit et erubescentia confessionis debitam satisfactionem incipiendo, ut ita fieret venia dignus ex sacerdotis desiderio et disponeretur ad contritionem perfectam. Et tunc summus sacerdos, Christus, defectum sacerdotis supplet et remissionem concedit.

Non tamen habebatur ista confessio ut vere sacramentalis, cum saepius dicant esse reiterandam, v. g. S. Thomas, suppi, q. 8, a. 2, ad 3; et nihilominus, quia erat imitatio sacramentalis confessionis et quasi gressus ad eam, etiam vocari sacramentalis quodammodo poterat. « Quando necessitas imminet, ait S. Thomas, ad 1, debet facere poenitens quod ex parte sua est, scii, conteri et confiteri cui potest; qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scii., defectum tamen sacerdotis summus sacerdos supplet. Nihilominus confessio laïco ex defectu sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei quod est ex parte sacerdotis ».

V. Corollaria. — Ex praedictis sequitur:

1° Pro sacerdote invalide ordinato Ecclesiam defectum supplere non posse.

2° Diaconum non posse deputari ad absolvendum a peccatis in sacramento Poenitentiae.

3° Non esse obligationem confitendi peccata aliis quam sacerdoti.

QUAESTIO SECUNDA

De Potestate lurisdictionis

S. Th. q. 8. a. 4: q. 19, a. 5-6; q. 20.

I. Opiniones vitandae. — Nonnulli veteres theologi, ut Durandus, tenuerunt iurisdictionem dari ipsa ordinatione, quamvis agnoscerent eius usum Ecclesiae prohibitione ligari; quae opinio communiter reiicitur. — Quidam lanseniani, in synodo Pistoriensi, ulterius progressi, asserebant conveniens, non autem necessarium esse ad validitatem absolutionis, ut confessarius jurisdictione polleret. Quod damnatum fuit a Pio VI in bulla *Auctorem fidei, a.* 37, ut falsum, temerarium, perniciosum, erroneum.

II. *Thesis.* Ad validam absolutionem, praeter potestatem! ordinis, ex iure divino, requiritur potestas jurisdictionis, quae non accipitur vi solius ordinationis, sed superiorum ecclesiasticorum concessione.

Certum est ex Conc. Trid. id explicite declarante sess. 14, c. 7; quod manifeste docet tria : a) sacerdotem (qui habet potestatem ordinis) posse carere iurisdictione in aliquos fideles: b) in tali casu absolutionem iisdem impertitam esse invalidam: c) iurisdictionem in poenitentes esse duplicem : ordinariam et subdelegatam, quo confirmatur esse diversam a potestate ordinis quae eadem est in omnibus per sacramentum ordinis collate.

Probatur thesis : 1) *Ex ipsa natura sacramenti Poenitentiae* quod institutum est per modum iudicii exercendum. Etenim iudicium exerceri valide non potest nisi in subditum, q(ui iudicis auctoritati seu jurisdiction! fuit subiectus a legitimo superiore: secus enim iudex non posset obligare nec urgere iudicii exeeutionem. lamvero sacerdos subditos non habet nisi per iurisdictionem legitime collatam. Ergo ex ipsa natura sacramenti, et ideo ex iure divino, ad ipsam validitatem requiritur potestas iurisdictionis.

Ita scientia iuridica et aptitude ad iudicandum non sufficit in indice humano, sed ad usum requiritur iurisdictio seu deputatio ad determinatam materiam, determinatos subditos, determinatas personas; imo quilibet iudex quamlibet causam cognoscere non potest, sed unusquisque eas

causas cognoscit quae explicite aut implicite a legitimo superiore ei assignantur, et tantum pro determinatis subditis.

2) *Ex praxi Ecclesiae,* qua potestas clavium exercetur *modo iudiciali,* et ab initio episcopi absolvebant suos *subditos.* postea vero, poenitentium nuinero crescente, etiam sacerdotes, sed *ab episcopo designati.* Quod confirmatur ex Conc. Lat. IV: Flor., decr. pro Armenis; Trid. sess. 14, c. 3 et 7; et ex bulla *Auct. Fidei,* n. 37.

3) *Ratione,* ex S. Thoma, q. 8, a. 4 : Minister poenitentiae conditiones imponit ad obtinendam remissionem: unde debet poenitenti imponere aliquid agendum, et non absolvit nisi ligando poenitentem ad aliquid faciendum. Sed imperium non competit alicui in alium nisi habeat in eum potestatem, scii, auctoritatem et iurisdictionem. Ergo sacerdos non potest absolvere nisi habeat iurisdictionem in poenitentem.

III. Obiiciunt Apostolis collatam fuisse a Christo completam potestatem absolvendi, ac proinde iurisdictionem, his verbis : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis,* etc.; atqui eadem verba neo-ordinatis sacerdotibus repetuntur; ergo et ipsi eamdem potestatem absolvendi accipiunt vi ordinationis. — Resp. : Apostoli non receperunt iurisdictionem per verba praedicta, sed vi intentionis Christi, quae manifestatur per verba : *sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Unde licet verba : *Accipite...* neo-sacerdotibus dicantur, non exinde accipiunt potestatem jurisdictionis, quam ceteroquin Ecclesia hisce verbis concedere non intendit.

IV. Corollaria. — 1) Iurisdictio, dum in aliis sacramentis solum ad licitam requiritur administrationem, requiritur ad validam absolutionem : alia enim sacramenta per modum iudicii non conferuntur, nec sunt actus iudicialis in subditos, unde iurisdictionem *ex se* non expostulant (S. Thomas, q. 8, a. 4).

2) Iurisdictio, cum missione superioris confertur, potest vario modo limitari quoad tempus, locum, personas aut causas, uti ex tota historia et praxi Ecclesiae constat, et sancivit Conc. Trid., sess. 14, can. 11. Inde usus reservandi peccata.

3) Iurisdictio etiam requiritur ad absolvendum a peccatis venialibus, quidquid aliqui olim dixerunt. Quod iam omnino certum est ex can. 872 simul cum can. 874.

4) Superior, v. g. R. Pontifex, potest absolvi, quia ut peccator est inferior apud Deum; unde quamvis non possit aliquis

jurisdictionem in ipsum habere ut superiorem, habere tamen potest in eum ut privatam personam, auctoritate Dei, cuius nomine datur iudicium ac absolutio, quique solus est principalis causa remissionis.

Et tamen non potest Pontifex absolvere seipsum, quia ad iudicium requiruntur duae distinctae personae : reus subiectus, et iudex; aliquis autem sibi ipsi subiectus esse non potest. Sed Pontifex potest aliquem nomine Dei designare ut sit superior et iudex sui tamquam privatae personae peccantis. Quod in foro externo utique est impossibile, quia ibi omnia fiunt nomine superioris qui est principalis iudex et legislator, et ideo aliquem designare non potest superior ut nomine et auctoritate sui in seipsum ageret, sicut nec seipsum excommunicare aut iudicare valet (q. 20, a. 3).

Addi quoque potest absolutionem esse principaliter de potestate ordinis et solum ex consequenti respicere jurisdictionem; quantum autem ad potestatem ordinis omnes sacerdotes sunt aequales, non quantum ad jurisdictionem.

CAPUT II

DE CONCESSIONE ET LIMITATIONE POTESTATIS CONFESSARII

QUAESTIO PRIMA

De lurisdictione Confessarii in genere, ordinaria vel delegata

S. Th. q. 8, a. 4 et 5; q. 20, *a.* 1.

I. Omnis jurisdictio vel est ordinaria vel delegata : « *Ordinaria* ea est quae ipso iure adnexa est *officio* (in sensu stricto accepto ex can. 145); *delegata* quae (legitime) commissa est *personae* » (can. 197).

Quae, in ordine ad confessionem, differunt tripliciter : 1) lurisdictio ordinaria datur a superiore ex missione ad *munus* aliquod pastorale quo aliquis fit subditorum quasi *proprius sacerdos;* delegata ex speciali concessione *personali.*

2) Ordinaria iurisdictio ubique terrarum valide exercetur in subditos (can. 881); delegata exerceri nequit extra territorium quo concessa est (nisi jurisdictione ab Ordinario loci ibi obtenta).

3) Ordinaria, dicente can. 199, *per se* potest aliis ex toto vel ex parte delegari, nisi aliud expresse iure caveatur: delegata per se non potest subdelegari nisi specialis accedat concessio delegantis.

II. De iurisdictione ordinaria ad confessiones valet canon 873 :

« 1° *Ordinaria* iurisdictione *ad confessiones excipiendas a)* pro universa Ecclesia, praeter Rom. Pontificem, potiuntur S. 7?. *E. Cardinales* (sine restrictione, ad omnes personas et casus, exceptis tamen censuris S. Sedi specialissime reservatis, iisque quae revelationi secreti S. Officii annexae sunt, iuxta can. 239 § 1 : ita v. g. reservatae sunt quae feruntur in illos qui species consecratas abiiciunt, violentas manus iniiciunt R. Pontifici, absolvunt a peccato turpi complicem);

b) pro suo quisque territorio *Ordinarius loci* (etiam vicarius generalis aut capitularis, vicarius aut praefectus aut administrator apostolicus), et *parochus* aliique qui loco parochi sunt (rector quasi paroeciae; vicarius paroecialis i. e. rector paroeciae quae pleno iure unita est personae morali, administrator paroeciae seu vicarius oeconomus, vicarius parocho diu absenti substitutus cum consensu episcopi, vicarius adiutor si in omnibus supplet parochum imparem : ita sec. can. 471-475; — item aliquando cappellanus militum; non autem per se vicarius adiutor, nec vicarii cooperatores).

Parochus, praeter subditos, non potest poenitentes audire et absolvere extra suum territorium; ex iure tamen particulari plerumque obtinet pro tota dioecesi iurisdictionem delegatam.

Inter illos qui loco parochi sunt, nonnulli addunt rectorem seminarii dioecesani quoad suos subditos, ob can. 1368; sed id non videtur, quia Ecclesia non censetur iurisdictionem concedere quando prohibet ne habitualiter in subditos exerceatur, ut facit can. 890.

2° Hac eadem iurisdictione gaudent etiam

a) *canonicus poenitentiarius'* ecclesiae quoque collegiatae (a fortiori cathedralis), ad normam can. 401 § 1 (i. e. cum potestate absolvendi etiam a peccatis et censuris Episcopo — sive iure sive personaliter ab isto episcopo — reservatis, in dioecesi extraneos, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis);

b) et *Superiores religiosi exempti* pro suis subditis, ad normam constitutionum.

Superior religiosus etiam potest esse religionis laicalis exemptae, dummodo ipse superior sit sacerdos.

3° Haec iurisdictio (ordinaria) cessat amissione officii, ad

1 Ideo tamen non habet potestatem absolvendi religiosas, ut constat ex can. 876, § I.

normam can. 183, et post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, excommunicatione, suspensione *ab officio,* interdicto ».

Ergo ante sententiam, excommunicatus *valide* absolvit, etiam *licite* si toleratus sit et a fideli requisitus (can. 2261).

III. De iurisdictione delegata ad confessiones valent canones 874 et 875.

Canon 874 : « 1° Iurisdictionem *delegatam* ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci *in quo confessiones excipiuntur;* sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris[1], firmo tamen praescripto can. 519 (i. e. casu quo poenitens religiosus accedat ad suae conscientiae quietem').

2° Locorum Ordinarii iurisdictionem ad audiendas confessiones *habitualiter* ne concedant religiosis qui a proprio Superiore non praesentantur; iis vero qui a proprio Superiore praesentantur, sine gravi causa eam ne denegent, firmo praescripto can. 877 (de examine idoneitatis/ ».

Canon 875 : « 1° In religione clericali exempta ad recipiendas (etiam extra domum) confessiones professorum, novitiorum, aliorumve de quibus in can. 514 § 1 (scii, eorum qui *in religiosa domo diu noctuque* degunt causa famulatus, educationis, hospitii, aut infirmae valetudinis, quamdiu habitualiter degunt), iurisdictionem delegatam confert quoque (independenter ab approbatione Ordinarii) proprius eorumdem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis » (etiam quos proprius Ordinarius non approbaverit).

2° In religione laicali exempta, Superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci in quo religiosa domus reponitur ».

Hinc a) episcopus concedit iurisdictionem ad absolvendos religiosos etiam exemptos, vel peregrinos qui in sua dioecesi confitentur, et ideo iurisdictio confessarii dioecesanis reservationibus afficitur, ut confirmatur resp. Comm. interpr. 24 nov 1920; — nisi tamen etiam a superiore exempto pro suis subditis regularem iurisdictionem obtinuerit;

1 Secus peccare possunt, valide tamen absolvunt.
3 Cfr. infra, pag. 31 et 33.

b) idem sacerdos in una dioecesi approbatus non potest valide absolvere in alia, nisi ab episcopo huius dioeceseos iurisdictionem accipiat

c) episcopus concedere potest iurisdictionem non solum suis subditis, sed etiam sacerdotibus extraneis ad confessiones excipiendas non in eorum sed in sua dioecesi.

IV. Animadversiones.— 1. Canon 877 : « 1° Tum locorum Ordinarii iurisdictionem (etiam ordinariam ex can. 149). tum superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant.

2° Si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario ».

2. Canon 878 : « 1° lurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus » (scii, quoad tempus, locum, personas : res enim tota pendet a voluntate delegantis).

2° Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi superiores ne iurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent ».

Hinc a) si episcopus concedit iurisdictionem pro *determinata poenitendum categoria,* ad alios invalide extenderetur, etiamsi limitatio omnino irrationabilis appareret;

attamen b) si postulatio ac concessio sit *generalis,* obtenta iurisdictio non limitatur ad operam quae fuit occasio concessionis : ita iurisdictio, occasione exercitiorum spiritualium in conventu aut societate pia tradendorum concessa, permittit audire confessiones aliorum fidelium : *continetur in concessione quidquid non excipitur,* sive expressa restrictione, sive ipso iure, uti fit pro casibus reservatis.

3. Canon 879 : « 1° Ad confessiones *valide* audiendas, jurisdictione opus est *scripto vel verbis* expresse concessa. (Unde Codex non excludere videtur telegraphi usum vel tele-

1 Ita, ex decreto Conc. provincialis Mechliniensis anni 1920, sub n° 203, « sacerdotibus ab Ordinario suo ad audiendas confessiones approbatis, qui in paroeciis districtuum seu decanatuum alienae dioecesi contiguorum stabili quodam modo, id est saltem per hebdomadam, etiam per feriarum tantum tempus degunt, conceditur ut in decanatibus alienae dioecoesis suo decanatu conterminis, *intra fines provinciae Mechliniensis,* valide et licite confessiones sacramentales excipiant. Qua tamen facultate sacerdotes extranei ne utantur, nisi legitime ab iis quorum interest advocentur ».

phonii, sed concessionem *iurisdictionis* tacitam vel mere praesumptam, quae datur sine signo intentionali solo nutu aut solum daretur si peteretur; et a fortiori excludit iurisdictionem petitam et iniuste denegatam.* At, iurisdictione data, non excluditur *licentia* praesumpta, ex can. 874 § 1).

2° Pro concessione iurisdictionis nihil exigi potest ».

4. Canon 880 : « 1° Loci Ordinarius vel superior religiosus iurisdictionem vel licentiam ad audiendas confessiones ne revocent aut suspendant, nisi gravem ob causam.

2° At graves ob causas Ordinarius potest etiam parocho aut poenitentiario canonico munus interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam.

3° Non tamen *licet* (quamvis validum sit) Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, si de domo formata agatur (i. e. quae constat sex religiosis non novitiis quorum quatuor sint sacerdotes), omnibus alicuius religiosae domus confessarios. *una simul* (i. e. collective) iurisdictionem adimere ».

5. Canon 881 : « 1° Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cuiuscumque ritus orientalis, valide et licite absolvere.

2° Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt *subditos* absolvere ubique terrarum ».

1 Notat P. Vermeersch, *Th. M.,* III, n° 453 : « Intimatio tamen non requiritur. Quare in casu urgente, iurisdictio posset praesumi, ut aiunt, *de praesenti* i. e. qui moraliter certus sit de recepto ab episcopo libello quo iurisdictionem postulat, *et de responso affirmativo dato.* sive procuratori sive per litteras, posset, rebus urgentibus, iam ante receptas litteras vel ante reditum mandatarii, confessiones excipere ». Ita, dummodo certitudo moraVs fundetur in *signo iam posito sufficienter certo,* et non in mera praesumptione. Signum certum esse potest nuntium per testem vel per telegraphum.

Applicari scii, potest can. 38 de rescriptis quibus gratia conceditur sine interiecto exeeutore, quia iurisdictio hoc modo solet conced'. Aliter est dicendum, si munus committatur exequendum, v. g. dispensandi in matrimonio, aut absolvendi aliquem a determinato casu reservato (S. Off. nov. 1892): tunc ante receptas litteras authenticas vel notitiam ab auctoritate concedentis transmissam valide ut' rescripto nequit, ut habet can. 53.

* Constat ex prop. 13a dammata ab Alex. VII : « Satifacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari, episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato ».

6. Canon 883 : « 1° Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario (loci), vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt toto itinere (scii, ipsorum, ac proinde non in portu ubi ascendunt nec in portu ubi eorum iter finem habet), quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquando consistat in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.

2° Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis ».

Concessio respicit :

1° sacerdotes, non ipsos, ut videtur, Ordinarios;

2° *iter* arripientes, et non meram in mari ambulationem seu excursionem, qua recreationis vel piscationis causa quis per aliquot horas a portu solvit;

3° vere *maritimum,* et non in lacu, aut tantum in flumine, quamvis ibi possit incipere;

4° durante *toto itinere* scii, ipsorum, ita ut iter iam inceptum sit et nondum terminatum, ac proinde non in portu ubi ascendunt nec in portu ubi eorum iter finem habet;

5° possunt confessiones in navi excipere quorumlibet fidelium *secum navigantium* in eadem navi aut in navibus eiusdem classis;

6° dummodo confessiones audiendi facultatem rite acceperint vel *ab Ordinario proprio, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti* per quem itinere transeunt; non autem sufficit recipere ab Ordinario portus in quo iter terminatur. Ordinarius proprius, sicut notavimus, intelligitur Ordinarius loci ad quem aliquis pertinet, non vero Ordinarius religiosorum, quidquid aliqui autumaverint, tum quia in toto contextu, imo in toto capite, Ordinarius dicitur de Ordinario loci, dum Ordinarius religiosorum nunquam ibi venit sub hoc nomine, sed constanter vocatur Superior; tum quia in iure novo quoad hoc nihil Immutatum fuit in concessione ex deer. S. Off. 23 aug. 1905, unde applicanda venit regula interpretationis can. 6, 2°, 3° et 4°. Et id iam est omnino indubium ex responsione authentica comm. interpr. 30 iul. 1934;

7° insuper, ubi navis consistat, possunt confessiones excipere *eorum qui quavis de causa ad navim accedant* atque eorum qui, dum ipsi ad terram obiter appellunt, *confiteri petant.* Verbum *obiter,* ex declaratione comm. interpr. 20 maii 1923, intelligendum est per *tres integros dies;* non ultra, si Ordinarius facile adiri queat. Quod etiam valet si ibi unam

l

navem relinquere debeant et aliam expectare et conscendere ad iter prosequendum;

8° eosque *valide et licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis,* etsi adsit alius sacerdos approbatus.

V. Corollaria. — A. *Tribus modis possunt poenitentes fieri subditi eorum qui ordinariam iurisdictionem habent :*

1° *ratione domicilii aut quasi domicilii* subditi sunt episcopo vel parocho cuius in dioecesi vel paroecia domilium aut quasi domicilium habent, iuxta can. 92;

2" *privilegio status* seu cooptatione in familiam religiosam : sic qui sunt de familia Cardinalium reputantur eorum subditi, ita ut Cardinales pro se et sua familia eligere valeant in confessione quemcumque sacerdotem (can. 239); item novitii, famuli, etc. in religione clericali exempta subditi sunt Superiorum (can. 875 et 514); item illi qui subduntur parocho personali, qualis quandoque est cappellanus militum;

3° *iuris interpretatione* seu *consuetudine,* iam in Iure novo inserta : ita vagi et peregrini fiunt subditi episcopi vel parochi loci per quem iter faciunt.

B. *Jurisdictio delegata concedi potest ab homine,* i. e. a superiore qui eamdem potestatem habet delegante; aut *a iure,* v. g. pro suscipientibus iter maritimum (can. 883).

C. *Cessat* secundum can. 207 :

a) *ex parte potestatis:* 1°) *expleto mandato,* si ad determinatum casum concessa fuit;

2°) *exhausto numero casuum* aut *elapso tempore* pro quo concessa fuerit, dummodo tamen confessio non incepta fuerit, quo casu perduraret usquedam poenitens absolveretur; — attamen a potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est;

3°) *cessante causa finali* delegationis, v. g. facultas specialis concessa pro tempore belli;

b) *ex parte delegantis:* 4°) *revocatione delegantis* (vel successoris) delegato directe intimata;

5°) *resoluto iure* delegantis, scii, *morte* eius aut *cessatione ab officio,* quando delegatio data est. non usque ad revocatio-

nem, sed ad beneplacitum vel arbitrium [1], vel « durante meo munere », « donec vixero », aut facta est ad casum particularem et confessio nondum incepta est;

c) *ex parte delegati:* 6°) *renuntiatione delegati* deleganti directe intimata et ab eo acceptata;

7°) *excommunicatione delegati vel suspensione eius ab officio aut iurisdictione,* sed post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam (can. 2264 et 2284).

D. Olim, ex praescripto C. Trid., sess. 23, c. 15, ad valide audiendas confessiones saecularium, etiam sacerdotum, requirebatur, praeter jurisdictionem, etiam pro religiosis exemptis, *specialis approbatio Ordinarii,* scii, huius iudicium authenticum de idoneitate ad audiendas confessiones. Unde dicere solebant confessarios exemptos approbationem habere ab episcopo, sed iurisdictionem recipere a R. Pontifice. — Ius novum autem iam nullibi agnoscit approbationem distinctam a concessione jurisdictionis, sed statuit etiam regulares exemptos iurisdictionem suam accipere ab Ordinario loci (can. 874).

E. Quamvis illi qui ordinariam habent iurisdictionem, per se possint illam delegare aliis vel delegatam extendere, id tamen ad Cardinales, canonicum poenitentiarium, et parochos non est extendendum, quia id iure cavetur, uti pro Poenitentiario constat ex can. 401; pro parochis et illis qui loco eorum sunt, ex authentica interpretatione commissionis pontificiae, 16 oct. 1919; pro Cardinalibus eruitur ex can. 239, § 2, cum iis privilegium conceditur eligendi sacerdotem ut confessarium qui tunc, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtinet. Omnibus aliis exclusis, concessio *scii, iurisdictionis delegatae expresso iure reservatur Ordinario loci,* ut ait can. 874. qui in ordine ad confessiones solus delegare valet: — nisi pro confessionibus illorum qui pertinent ad religionem clericalem exemptam, pro quibus *insuper* delegatam iurisdictionem dare valent superiores (can. 875).

1 Notant aliqui delegationem non extingui, si detur sub clausula: « ad beneplacitum dignitatis », quia dignitas non moritur. Sed talis formula nobis videtur ambigua, quia nomen abstractum *dignitas* potest usurpari ad designandam personam superioris in concreto, sicut *maiestas* ponitur pro rege et *sanctitas* pro Pontifice. Unde in casu esset attendendum ad stylum et mentem curiae.

QUAESTIO SECUNDA

De Iurisdictione quam supplet Ecclesia

S. Th. q. 8, a. 6.

I. Quid sit iurisdictio suppleta. — Quando deest iurisdictio, sive ordinaria sive delegata, eam potest Ecclesia *supplere* i. e. *extraordinarie conferre dum non fuit regulariter collata.* Id tamen non facit nisi gravi de causa, ob bonum commune animarum.

Haec *iurisdictio, quam supplet Ecclesia, differt a iurisdictione ordinaria aut delegata,* in eo quod confertur solum *in ipso actu confessionis,* posteaque extinguitur, dum altera ante confessionem datur et post absolutionem permanet. Tres autem sunt casus in quibus Ecclesia supplet : 1° in periculo mortis, 2° in casu erroris communis. 3° in casu jurisdictionis dubiae.

II. De Iurisdictione in periculo mortis valet canon 882 :

« In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessionem non approbati, valide et licite absolvunt poenitentes a quibusvis peccatis, salvo praescripto can. 884 et 2252 ».

Dicitur : 1° *in periculo,* scii, gravi seu propinquo, et non tantum in articulo, quando mors iam ita instet ut moraliter certo sequatur, sed etiam quando aliquatenus immineat, ita ut ob adiuncta *brevi* possit concurrere, cum facile et sat frequenter contingat. De quo ex indiciis et coniecturis est iudicandum, ita ut prudenter timeri possit ne mors brevi sequatur; unde non sufficit persuasio mere subiectiva sacerdotis aut familiae. Nihilominus si quis ex errore periculum adesse aestimaverit, sed prudenter ob gravem rationem, absolutio erit valida utpote data in dubio positivo et probabili, ut dicetur n. seq.;

2° *mortis ex* quacumque causa proveniat, sive ab intrinseco, ut ex infirmitate periculosa, partu difficili, vulnere inflicto, extrema senectute, sive ab extrinseco, ut ex iudiciali sententia, difficili incisione chirurgica, instante praelio, longa ac periculosa navigatione, etc.; non tamen, ut quidam dixerit, ex itinere aëreo in ordinariis adiunctis, quia periculum proximum non infert; quod si secus, nec liceret instituere;

3° *omnes sacerdotes,* etiam irregulares, suspensi, excommunicat!, schismatici, haeretici, apostatae, dummodo fuerint valide ordinati:

4° *valide et licite absolvunt* ab omnibus peccatis et censuris in foro scii, interno, ita ut nullum effectum sortiatur in foro externo, ut declaravit comm. interpr. 28 dec. 1927;

5° *salvo praescripto* can. 884 et 2252; ubi duplex apponitur restrictio : a) iuxta can. 884, absolutio complicis, extra casum necessitatis, manet ex parte confessarii illicita; b) iuxta can. 2252 : « Qui in periculo mortis constituti a sacerdote specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine: ad... aliquem facultate (absolvendi) praeditum,... si agatur de censura a iure: eorumque mandatis parendi ».

III. De casu erroris communis et iurisdictionis dubiae ait can. 209 :

« In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum interno tum externo ».

A. Ecclesia supplet *in errore communi :* 1° Si in loco vel communitate moraliter omnes, vel absolute aut relative multi, putant aliquem habere iurisdictionem, v. g. esse parochum aut ad confessiones approbatum; non supplet si unus aut alter id erronee putant, vel coetus privatus aut communitas religiosa *omnino* parva. Paucorum scii, utilitas non est ratio sufficiens recedendi a regula generali: aliunde qui deceptus fuit, ab alio instrui potest et ita admissum defectum corrigere.

2" An autem suppleat Ecclesia, si error nondum sit communis, sed solum fundamentum erroris sit pluribus notum, et praesertim si tantummodo factum publice fuerit positum quod per se natum sit multos in errorem inducere si novissent, ut plures nunc affirmant, illud vocantes errorem *virtualem :* id dubitarz potest, tum quia causa erroris nondum est error, tum quia canon voluit dirimere controversias antea existentes, non autem potuit respicere novas quaestiones nondum exortas: quomodo enim legislator supponi potest intendisse quod a

nemine hucusque fuit propositum et quod nec suspicari ipse potuit?

3° Attamen generatim asseritur, et etiam in errore particulari valet, quod legimus in can. 207, § 2 : « Potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est ».

4° Cum sacerdos, qui certo sciens, in casu erroris communis, se jurisdictione carere antecedenter ad suppletionem Ecclesiae, hanc quasi invitam cogat ad supplendum, sicque graviter ordinem perturbet, *illicite* absolvit nisi adsit necessitas, et quidem gravis, poenitentis. A fortiori graviter peccaret qui voluntarie sive errorem communem sive gravem causam eo utendi provocaret.

B. Ecclesia quoque supplet *in dubio positivo* et *probabili,* i. e. serio et solide fundato in rationibus gravibus quae examini subiectae nec eliduntur nec convincunt; non vero in dubio levi aut tenui : si enim nulla ratio solida adsit, dubium est negativum, non vero probabile, et Ecclesia non supplet. Debet autem dubium esse obiectivum de ipsa iurisdictione, non subiectivum de doctrina vel scientia confessarii circa eam. ut si positive dubitet ipse quia non sufficienter inquisivit aut quia non bene recordatur quaenam sit norma in iure clare enuntiata, v. g. an in libris legerit vel a professore audiverit in tali casu adesse potestatem absolvendi : tunc scii, jurisdictio non est dubia, sed dubia de ipsa est notitia confessarii, nec in casu supplet Ecclesia. Ad utendum autem iurisdictione, in dubio scii, positivo et probabili sive iuris sive facti, specialis ratio necessitatis non requiritur. Casus esse potest : dubium an superior possit delegare, v. g. episcopus pro casu pontificio, an potestas audiendi confessiones expiraverit, an peccatum sit reservatum, an adsit periculum mortis.

Ita confessarius dubitans an in can. 873 et 514, § 1 *in religiosa domo diu noctuque degentes* intelligi possint qui *una tantum die et nocte* ibi manent, an e contra plus temporis requiratur ut possint dici *degentes,* poterit sequi sententiam probabilem benigniorem.

QUAESTIO TERTIA

De Limitatione Iurisdictionis quoad Personas

S. Th. q. 20, a. 1.

I. Limitari potest jurisdictio ad aliquas personas, ita ut certae personae excludantur a potestate et non licite, aut etiam non valide, absolvantur. Sic v. g. in quibusdam regionibus non omnes confessarii, sed aliqui tantum, solent approbari pro confessione mulierum. In iure novo quaedam praescriptiones statuuntur tum pro confessionibus religiosorum eorumque novitiorum atque alumnorum, tum praesertim pro confessionibus religiosarum.

II. De confessione religiosorum. — Ad illos valide absolvendos nulla iam requiritur iurisdictio specialis, sed sufficit illa quae ab Ordinario loci vel ab eorum superiore conceditur; quoad liceitatem quaedam in iure ponuntur praescriptiones.

A. De ipsis religiosis valent canones 518 et 519.

Canon 518 : « 1° In singulis religionis clericalis (sive exemptae sive non exemptae) domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agitur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus (i. e. peccatis et censuris) *in religione* reservatis.

2° Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure (divino aut ecclesiastico) servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant.

3° Caveant superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium, vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteantur ».

Ergo : 1) Ut superior licite audiat confessionem, dummodo per modum habitus non fiat, simplex petitio sufficit.

2) Gravis causa, praeter spontaneam petitionem, requiritur, ut superior aliquem audiat per modum habitus, ut difficultas confitendi apud alios religiosos aut exeundi ad inveniendum confessarium; causa gravis tamen difficulter adest si magna sit communitas et plures confessarii.

3) Simplex petitio subditi non est sufficiens ratio ad illum habitualiter audiendum.

Prohibitio respicit superiores, non subditos; superiores intelligendi sunt proprie dicti, non vero praepositus domus filialis, minister, praefectus spiritus, oeconomus.

Canon 519 : « Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipiunt aut suadent apud determinatos confessarios peragendam (quarum proinde vis aut obligatio permanet), si religiosus etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem confessarium adeat (sive intra sive extra domum) ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida ac licita est: et confessarius potest religiosum absolvere (in foro interno) etiam a peccatis et censuris in religione reservatis »; non tamen a censuris ab homine reservatis secundum can. 2245 et 2247.

Ratio ad conscientiae quietem confessionem instituendi, non solum est peccatum grave commissum, sed etiam dubium ob tentationem. aut culpa levis non ordinaria, anxietas quae proprio confessario non facile aperitur, difficultas adeundi confessarium ordinarium, etc. Hisce in casibus quemcumque confessarium possunt adire, sed solum licito modo i. e. secundum regulas, v. g. oblata intra vel extra conventum occasione: non autem ideo possunt sine licentia exire e conventu nec a superiore exigere ut talem confessarium advocet.

B. De novitiis valet canon 566 : « In religionibus virorum, salvo praescripto can. 519 :

1° Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praescripto can. 891:

2° Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipso novitiatus domo commorentur: si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessionem audituri;

3° Praeter confessarios ordinarios designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret;

4° Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi ».

C. De novitiis et alumnis valet can. 891 : « Magister novitiorum (qui stricte intelligendi sunt. scil. ii qui nondum professionem emiserunt) eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium (non exterorum) ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant ».

Hinc 1) isti qui enumerantur in can. 891 non privantur iurisdictionem unde confessio apud eos instituta non esset invalida, sed prohibetur, et est illicita. — 2) Superiores et alumni debent manere in eadem domo conventus, seminarii aut collegii i. e. convictus ubi ad theologiam, philosophiam aut humanitatem informantur. — 3) Tres conditiones *simul* requiruntur ut licite audiantur confessiones : spontanea alumni petitio — gravis et urgens causa — casus particularis. Ergo non possunt, etiam ob gravem causam, habitualiter et ordinario audire confessiones quorumdam alumnorum. Et ideo magis restricta est, hac in re, eorum libertas, quam superioris quoad confessionem religiosorum.

111. De confessione religiosarum valet canon 876 :

« 1° Revocata qualibet particulari lege seu privilegio, sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusvis gradus aut officii, ad confessiones quarumcumque religiosarum (sive monalium, sive aliarum religiosarum a S. Sede approbatarum, sive etiam religiosarum dioecesanarum, imo mulierum in communi viventium sine votis iuxta can. 675) ac novitiarum (non vero postulantium) valide ac licite recipiendas peculiari iurisdictione indigent, salvo praescripto can. 239 § 1 n. 1 (de privilegiis Cardinalium), 522 et 523.

2° Hanc iurisdictionem confert loci Ordinarius, ubi religiosarum domus sita est, ad normam can. 525 ».

Ut autem hoc principium opportune ad praxim applicetur, notandae veniunt ulteriores praescriptiones :

A. Canon 520 : « 1° Singulis religiosarum domibus (saltem formatis) unus dumtaxat detur confessarius ordinarius qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus ».

Quo casu expedit sorores dividere in plures categorias secundum ordinem professionis, officium, vel linguam, ita ut singulis categoriis unus sit ordinarius.

2° Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel

moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat; qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant; quodsi irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate ».

Abusus v. g. sane esset si omnes fere religiosae specialem haberent confessarium, quia esset legem detorquere ac frustrari.

B. Canon 521 : « 1° Unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent saltem benedictionem recepturae.

2° Ordinarii locorum in quibus religiosarum communitates existunt, aliquot sacerdotes (saltem duos, non indeterminate) pro singulis dotnibus designent, ad quos pro sacramento Poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire.

3° Si qua religiosa aliquem ex iis (extraordinariis vel supplementaribus) confessariis expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre ».

Ergo nec potest per se directe inquirere, v. g. petendo rationem ab ipsa religiosa, nec per alios, v. g. per magistram novitiarum vel per alias sorores, aut indirecte ab aliis petendo ubi fuerit aut ea quae locuta sit.

C. Canon 522 : « Si non obstante praescripto can. 520, 521, *aliqua* religiosa, *ad suae conscientiae tranquillitatem,* confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in *qualibet* ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta, *valida et licita est,* revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur ».

Canon 523 : « Religiosae omnes, cum *graviter* aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem, ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt, eique perdurante *gravi* infirmitate, *quoties voluerint,* confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere ».

Igitur *aliqua* religiosa, non communitas, ad suae conscientiae quietem, quemcumque confessarium ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum

potest adire ubique, etiam si confessarius occasionaliter vel vocatus ad ipsam domum religiosam accedat (com. interpr. 28 dec. 1927). — quin tamen ius expetendi illum aut exigendi religiosae competat ullum, — et apud eum confiteri in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipublico; ergo etiam in ecclesia proprii conventus, vel in oratorio in commodum communitatis vel coetus fidelium eo convenientium legitime erecto, non tamen in oratorio alicuius tantum familiae seu mere privato.
Insuper religiosa in gravi morbo, qui scii, valde affligit aut de facili periculosus evadit, potest quemcumque confessarium similiter pro mulieribus approbatum expetere quoties voluerit, ac proinde etiam pluries in hebdomada.

IV. Corollaria. — Ex praedictis concludimus cum P. Vermeersch . *Summa Novi luris,* n. 188-189 : « Religiosae omnes, sive novitiae sive professae, domi aut foris confessionem valide peragunt :

1) apud confessarium *ordinarium* communitatis:

2) apud confessarium vel moderatorem *specialem* quem petenti ad animi sui quietem et ad maiorem in via Dei progressum Ordinarius facile concedet;

3) si graviter aegrotant licet mortis periculum absit, apud *quemlibet* sacerdotem pro mulieribus approbatum, perdurante gravi infirmitate;

4) apud confessarium *extraordinarium* communitatis (cui saltem quater in anno se sistere debent) aut *supplementarem ex* iis quos eo fine Ordinarius designaverit, per antistitam arcessitum;

5) tandem apud confessarium *occasionarium* ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, modo confessio in ecclesia vel oratorio etiam semipublico fiat », aut, sicut recenter concessum est, in loco ad audiendas confessiones mulierum legitime designato '; quod non tantum de loco habitualiter designato est intelligendum, sed etiam de loco per modum actus designato, vel ad normam can. 910, § 1 electo[3], scii, causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit.

' Id scii, ad omnem locum confessionibus *destinatum* extensum fuit, nam 24 Nov. 1920, ad questionem: utrum confessio extra ecclesiam aut oratorium peracta tantum illicita, an invalida sit, sic authentice fuit responsum: « canon 522 ita intelligendus, ut confessiones... licitae et *validae sint,* dummodo fiant in ecclesia, vel oratorio et semipublico, aut in loco ad audiendas confess'ones mulierum *legitime* designato >. Locus requiritur ad validitatem, ut ex ipso textu constat, et recenter fuit authentice declaratum, 28 dec. 1927.

3 Ita com. int., 12 febr. 1935.

Ut facultate sub η. 4 et 5 indicata, « *in casibus particularibus, licite* utantur, requiritur et sufficit motivum rationabile, neque sine Ordinarii consensu, unum ex his adventitiis confessariis sibi stabilem confessarium constituere possent. Casum tamen *particularem* apud personam anxiae conscientiae frequentius recurrere posse haud infitiamur. Omnibus causa rationabilis erit v. g. impedita confessio die consueta, devotio maior in pervigilio festi, culpa etiam levis magis deliberate admissa, dubium ob importunam tentationem, anxietas quam ordinario confessario non libenter aperiat, etc.

Attamen canone 522... facultas... confitendi apud quemlibet confessarium pro mulieribus approbatum... additis verbis : *ad suae conscientiae tranquillitatem,* cautius exprimitur ». et quidem, addimus, obvio sensu, ad validitatem (can. 39). Non ergo sufficit sola praeferentia naturalis, vel levis ratio, non solum solamen naturale cum tali confessario colloquendi, aut merus animi mobilis impetus (un *caprice),* sed seria ratio; secus enim inutiliter in canone poneretur restrictio : *ad conscientiae tranquillitatem.*

Notetur insuper praedictam facultatem factam esse cuipiam *religiosae in particulari* (si aliqua religiosa, ait canon), ac proinde jurisdictionem non concedi nisi *pro casu particulari.* Non posset ergo superiorissa confessarium quemlibet rogare ut pro sua communitate absentem vel impeditum confessarium ordinarium vel extraordinarium suppleret; nec confessarius occasionaliter posset totam communitatem audire. Confessiones enim essent invalidae propter defectum jurisdictionis specialis quae a can. 876 omnino exigitur; quodsi secus, actum esset de praescriptione huius canonis. In casu itaque vocandus esset, vel confessarius extraordinarius, vel unus ex supplementaribus.

V. Animadversiones. — 1° Si confessarii specialiter vocati vel occasionaliter quaesiti experirentur, nullam rationabilem causam necessitatis aut utilitatis specialis legitimare quod religiosae ad illos et non ad ordinarium confessarium accedant, eas prudenter dimittant.

2° *De qualitatibus confessarii religiosarum,* ordinarii vel extraordinarii, dicit can. 524.

3° De eorum approbatione et amotione vide can. 525-527.

QUAESTIO QUARTA

De Restrictione Iurisdictionis quoad Peccata reservata

S. Th. q. 20, a. 2.

I. Reservatio casuum est avocatio casus ad iudicium superioris ordinarii, qua simul potestas inferiorum limitatur (can. 893). seu revocatio casus ad proprium tribunal reservantis ita ut nemo absolutionem impertiri valeat nisi ipse reservans, eius successor aut superior in officio, vel eius delegatus. Ex quo sequitur non omnem limitationem potestatis in confessario esse reservationem, nec omne peccatum cuius absolutio confessario aufertur esse reservatum: sed ad hoc requiritur ut ad iudicium superioris avocetur, et *ideo* restringatur *generaliter* apud confessarios inferiores potestas ad illud absolvendum. Hinc illi qui *ordinario* iure possunt iurisdictionem concedere audiendi confessiones, aut ferre censuras, possunt etiam reservare casus, nisi aliter in iure statuatur: v, g. S. Pontifex pro tota Ecclesia, episcopi pro suis dioecesibus, superior generalis religionis exemptae aut abbas monasterii sui iuris respectu suorum subditorum (C. Trid., sess. 14. c. 7 et can. 11).

Ita statuit can. 893 : « § 1. Qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque, excepto vicario capitulari, et vicario generali sine mandato speciali, nonnullos casus ad suum avocare iudicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes.

§ 2. Haec avocatio dicitur reservatio casuum.

§ 3. Quod attinet ad reservationem censurarum, servetur praescriptum can. 2246 et 2247 ».

II. Duplex est reservatio : alia peccatorum, alia censurarum. — Reservatio duplici modo fieri solet : alia fit *ratione censurae,* quatenus « reservatio censurae impedientis receptionem sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est » (can. 2246, § 3). et tunc si censura non incurritur aut non reservatur aut tollitur, nec peccatum reser-

vatur : est *reservatio censurarum;* — alia fit *ratione sui* seu *peccati :* est proprie dicta *reservatio* casuum seu *peccatorum.*

Reservationis autem *duplex* est *finis :* alter primarius, *disciplinaris,* nempe bonum publicum, nam bona Ecclesiae disciplina postulat ut graviora peccata reserventur illis qui doctrina, prudentia et experientia, melius iudicare valeant qua ratione sit malo obviandum; alter secundarius, *medicinalis,* scii, bonum privatum fidelium, ut ita ab iis peccatis magis absterreantur atque securius emendentur. Finis itaque reservationis nullatenus est poenalis; dum e contra essentialiter *poenalis* est *finis ipsius censurae.* Hinc :

a) Reservatio peccatorum quae secundum essentiam est avocatio peccati ad iudicium superioris ut huic subiiciatur, ex consequenti duplicem importat effectum : primo *immediate et directe afficit confessarium* cuius potestas quoad hoc peccatum limitatur ita ut ab eo non absolvat valide; altero *mediate et indirecte attingit poenitentem* qui pro absolutione obtinenda adire debet tribunal superioris. — E contra *censura immediate afficit poenitentem,* et, si sit reservata, consequenter confessarium qui. stante reservatione. privatur potestate illam absolvendi.

b) *Ignorantia reservationis ab ea non excusat'.* — quod iam omnino certum est in iure novo, quia reservatio primario non est poena delinquentis, sed avocatio ad iudicium superioris et restrictio iurisdictionis in confessario; ignorantia autem delinquentis non dat confessario potestatem quam non habet, nec impedit primarium reservationis finem. — E contra ignorantia censurae ab ea excusat, ac proinde, etiam a reservatione adnexa; nunquam tamen ignorantia affectata, nec etiam crassa si delictum non requirit plenam cognitionem aut praesumptionem (can. 2229).

In praesenti tantum dicimus de reservatione peccatorum; de reservatione censurarum dicitur in Iure Canonico[1].

III. « Unum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio (per se vel per alium), qua sacerdos innocens[2]

1 Nisi per accidens, quando peccatum reservatur sub conditione : si reservatio cognoscatur; et ita reservans ignorantes excipiat.

2 De modo quo confessarius cum excommunicatis se gerere in praxi debet, cfr. nostrum opusculum : *De variis poenitenlium categoriis,* p. 177 et sq.

accusatur de crimine sollicitationis apud *iudices* ecclesiasticos ». Ita ex iure novo[1], can. 894.

Insuper secundum can. 2363, censura incurritur specialiter reservata, si delatio fit *apud superiores quoscumque* (de quo vide infra, c. V, q. 2, η. VII). Unde simplex delatio facta apud superiorem est Sanctae Sedi specialiter reservata ratione censurae; si insuper delatio fit judicialiter, scii, formaliter apud episcopum ut iudicem, iam ratione sui reservatur ipsum peccatum.

IV. De exercitio potestatis Ordinariorum reservandi peccata valent can. 895 et 896.

Canon 895 : « Locorum Ordinarii peccata ne reservent, nisi, re in Synodo dioecesana discussa, vel extra Synodum auditis Capitulo cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioecesis animarum curatoribus, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit ».

Canon 896 : « Inter Superiores religionis clericalis exemptae, unus Superior generalis, et in monasteriis sui iuris Abbas, cum proprio cuiusque Consilio (i. e. audito hoc consilio), peccata, ut supra, subditorum reservare possunt, firmo praescripto can. 518, par. 1 et 519 »[2].

Hic solum *praecipitur* auditio Synodi, Capituli, aut etiam, ut videtur. Consilii. Unde si, non obstante voto auditi coetus, reservatio nihilominus feratur, tamen valida videtur.

V. Qualitates peccatorum reservandorum indicantur can. 897 et 898.

Canon 897 : « Casus reservandi sint pauci omnino, tres scii, vel ad summum quatuor, ex *gravioribus* et atrocioribus criminibus *externis, specifice* determinatis; ipsa vero reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod insolitum vitium extirpandum aut collapsam forte christianam disciplinam instaurandam ».

Canon 898 : « Prorsus ab iis peccatis sibi reservandis omnes abstineant quae iam sint Sedi Apostolicae etiam ratione

1 *Ex dispositione speciali* S. Pontificis, decreto S. Poenitentiariae reservatur quoque absolutio pervicaciter adhaerentium *actioni,* ut dicitur, *gallicae* (16 nov. 1928) et legentium diarium huius nominis (2 mart. 1929).

2 De praescripto can. 518 et 519. vide supra, p. 30 et 31.

censurae reservata, et. regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit ».

Peccatum itaque ab episcopo reservatum *oportet* sit :

1) *grave* seu mortale, tum ratione obiecti, tum ratione subiecti, i. e. cum perfecta deliberatione et pleno consensu commissum : frustra enim venialia reservarentur cum nulla sit obligatio ea confitendi, — *et externum,* etsi occultum; non quod interna reservari non possint, sed quod Ecclesia id agere non soleat (ne continuis anxietatibus subiiciat poenitentes), ita ut ipse actus externus de se gravis esse debeat, nec sufficiat quod actio in se levis propter intentionem internam grave peccatum fuerit, uti v. g. levis percussio clerici ex intentione graviter percutiendi. Unde peccatum oportet sit mortale interne simul et externe;

2) *specifice determinatum,* et non tantum generice : ita v. g., non potest reservari totum genus luxuriae aut quicumque concubinatus (cum plures species contineat), sed casus debet circumscribi iis notis vel adiunctis quae reservationis causa sunt. v. g. sodomia, concubinatus adulterinus, si propter istam circumstantiam reservandus sit. — imo *in sua specie completum.* seu opere consummatum, ita ut verba reservationis in sensu strictiore verificentur, v. g. si reservatur incestus aut sodomia, debet adesse copula carnalis perfecta (cum emissione seminis intra vas) scienter, cum consanguinea vel affine, aut cum masculo admissa: si reservatur homicidium, mors debet esse secuta;

3) *certum,* certitudine excludente dubium iuris et facti, i. e., certo reservatum, certo commissum et certo mortale. Hinc si serio dubitetur utrum lex reservans se extendat ad hunc casum, vel utrum peccatum revera commissum fuerit, vel utrum sit grave subjective aut objective, non incurritur reservatio : odiosa enim sunt restringenda, unde reservatio semper strictam recipit interpretationem, et in dubio sive iuris sive facti non urget (can. 19; 2246, § 2 et 2245, § 4).

Insuper, ut reservatio fiat conformiter ad vota Iuris. peccatum *optatur* esse :

a) *non reservatum Romano Pontifici,* imo etiam, saltem regulariter, nulla censura affixum,

b) reservatione plectendum *ad vitium publicum cxtirpandum* aut Christianam disciplinam instaurandam : cum autem, ait P. Vermeersch. *Summa Novi luris,* n. 361, non in omni regione sperari potest ut vitium reservatione omnino extirpari possit, si propagationem vitii impediat, id iam satis esse arbitramur ut reservatio utilitatem habeat quae votis Sanctae Sedis postulatur.

VI. Cessatio reservationis. — Omnis reservatio cessat in periculo mortis (can. 882); insuper iuxta can. 900, « Quaevis reservatio vi caret[1] :

1°) Cum confessionem peragunt sive *aegroti* qui domo egredi non valent (quod etiam prodest aegrotis religiosis aut aliis qui in domo sunt ubi confessarii habitant, non autem iis qui egredi non valent sed vere aegroti non sunt ut incarceratis aut parturientibus), sive *sponsi* (etiamsi sponsalia non contraxerint) *matrimonii ineundi causa;*

2°) Quoties vel legitimus Superior petitam pro *aliquo determinato casu* absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi *poenitentis* incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis (uti sunt *gravis* difficultas redeundi ad confessarium, periculum gravis scandali v. g. difficultas abstinendi a communione sine aliqua nota aut suspicione);

3°) Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit » (scii, in fraudem legis).

Quinque igitur sunt casus : aegrotus egredi non valens, — sponsus matrimonium initurus, — facultas in determinato casu denegata, — grave poenitentis incommodum, — recessus a territorio reservantis.

VII. Reservationis efficacia ex monito can. 899 sufficienter obtinetur et simul tamen circumscribitur :

« 1°) Statutis semel reservationibus quas vere necessarias aut utiles iudicaverint, curent locorum Qrdinarii ut ad subditorum notitiam, quo meliore eis videatur modo, eaedem deducantur, nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant (sed tantum selectis confessariis).

« 2°) At huiusmodi absolvendi facultas *ipso iure* competit canonico *poenitentiario* ad normam can. 401, § 1, et *habitualiter* impertiatur saltem *vicariis foraneis* (i. e. decanis), addita, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui distric-

[1] *Ex dispositione* tamen speciali sacerdotes qui absolverint adhaerentes « actioni gallicae » et fuerint absoluti cessante reservatione, intra mensem a die obtentae absolutionis vel convalescentiae debent ad S. Poenitentiariam recurrere sub poena excommunicationis specialiter S. Pontifici reservatae.

tus, si et quando pro urgentiore aliquo casu determinato ad eos recurrant.

« 3°) *Ipso iure* a casibus, quos quoque modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt tum *parochi* aliive qui parochorum nomine in iure censentur [1]. *toto tempore* (etiam legitime anticipato aut prorogato) *ad praeceptum paschale adimplendum utili* (etiam si non ad implendum praeceptum confessio instituatur), — tum singuli *missionarii* quo tempore missiones (et forsan exercitia spiritualia collective tradita) *ad populum* (non ad particulare institutum, aut consociationem, aut coetum v. g. cleri) haberi contingat ».

VIII. **Animadversiones practicae.** — 1a) Instructiones praefatae sunt normae generales secundum quas episcopi in sua legislatione agere debent, potius quam leges quas ipse Romanus Pontifex directe imponit.. Et ideo si episcopi non mutaverint leges dioecesanas, aut novos casus reservatos statuant praeter normas indicatas, iis nihilominus standum est. At possunt applicari dispensationes indicatae can. 899 et 900 (cfr. n. VI et VII).

2a) Attamen hodie non amplius in Belgio sunt peccata ab episcopis reservata; a Concilio tamen Mechliniensi (in Actis, n. 205) praevidetur casus quod introduci possint.

3a) Pro peregrinis, vagis et religiosis, qui vi jurisdictionis acceptae ab Ordinario loci absolvuntur, semper et unice existit reservatio vigens in loco confessionis. Absolvuntur enim ex jurisdictione Ordinarii loci in quo confitentur (can. 874, 881); quae iurisdictio afficitur reservatione ibi vigente, cum reservatio directe confessarii potestatem restringat (can. 893). — E contra parochi *extra dioecesim* suos *subditos,* a reservatis ab alio episcopo, possunt absolvere; atque forsan a reservatis proprio Ordinario, cum quidam id asserere non dubitent.

4a) Quando poenitens peccatum reservatum accusat, *statim* confessarius inquirat utrum adsint necne conditiones omnes ad incurrendam reservationem necessariae. Si constat peccatum vere reservatum esse, ac simul confessarius debitis facultatibus careat, moneat poenitentem ut vel superiorem aut confessarium specialem adeat, vel post paucos dies redeat, quando videlicet necessariae facultates obtentae fuerint, quod

[1] Vide supra pag. 20.

generatim praeferunt poenitentes; — nisi tamen sit casus urgentior, quia tunc reservatio cessat secundum can. 900.

Quodsi poenitens reservationem ignoraverit, de ea est edocendus, ut horrorem peccati concipiat.

5a) Absolutio a reservatis potest dari directe vel indirecte : *directe,* quando peccatum reservatum expresse declaratur apud confessarium qui facultatem habet absolvendi a reservatis; uti est etiam simplex confessarius, casu quo iuxta can. 900 reservatio cessat;

indirecte quando .absque sacrilegio, vel non declaratur, vel declaratur apud simplicem confessarium qui a reservatis absolvere non potest : tunc remittitur indirecte, si simul alia peccata declarantur a quibus poenitens directe absolvitur.

Hinc confessarius, speciali facultate carens, qui scienter, absque necessitatis casu, a reservatis absolvit, graviter peccat. Ecclesiae leges in re gravi violando, imo suspensionem incurrit iuxta can. 2366: attamen absolutio valida est, si simul cum reservatis aliud peccatum declaratum est : directe enim absoluto peccato non reservato, indirecte alia remittuntur.

Talis confessarius simplex autem qui ita agit, sicut et ille qui absolvit *ex inadvertentia,* a casu reservato, debet hunc errorem pro viribus corrigere. Ergo debet monere poenitentem de reservatione, si *facile potest,* ut error reparetur et peccatum rursus declaretur superiori aut eius delegato ad obtinendam directam eius remissionem; secus in bona fide eum relinquat, cum in proxima confessione possit indirecte absolvi ab hoc peccato et eius, simul cum aliorum peccatorum, remissionem obtinere, aut et illam iam obtinuit.

6a) Poenitens, *ex inculpabili oblivione,* omittens peccatum reservatum in confessione, apud confessarium privilegiatum instituta, valide absolutus est. Tenetur tamen postea in confessione manifestare peccatum omissum, sed hoc *probabiliter* iam non est reservatum. Ratio est quia confessarius privilégiais censetur quantum potest absolvere poenitentem rite dispositum. Ergo censetur eum indirecte absolvere a reservatione, quia hanc potestatem habet.

Paulo aliter res se habet, si poenitens *invalide aut sacrilege* confessus est. Certum est, si ille peccatum reservatum reticuerit, illud non esse remissum. Sin autem peccatum reservatum manifestatum fuit, et nullitas aut sacrilegium ob aliam causam accidit, reservatio ipsa videtur esse ablata, cum habens facultatem absolvendi de illa rite iudicaverit et satisfactionem congruam imposuerit, quae in casu semper erit adimplenda. In sequenti confessione igitur poenitens debet repetere totam accusationem et fateri sacrilegium commissum, sed iam a simplici confessario absolvi potest.

Excipitur, si tempore *luMaei.* sacrilege confessus est peccatum reservatum confessario simplici: nam tempore lubilaei solummodo illi poenitentes fruuntur privilegio absolutionis recipiendae a quocumque confessario, qui volunt adimplere omnia quae praescribuntur ad lucrandum Jubilaeum. Imprimis autem praescribitur confessio bona.

CAPUT III

DE USU POTESTATIS CONFESSARII

Formalis usus potestatis confessarii consistit in remittendis peccatis vel iis retinendis. Remittit peccata per pronuntiationem sententiae absolutionis: quae in sacramento se habet per modum formae. Dum enim poenitens materiam ponit contritione, confessione et satisfactione, sacerdos iis coniungens verba absolutionis, perficit sacramentum.

Hinc dicemus :

1) de essentia formae absolutionis,

2) de significatione formae,

3) de requisitis ad validitatem et liceitatem formae absolutionis.

QUAESTIO PRIMA

De Essentia Formae Absolutionis

S. Th. HI. q. 84, a. 3; Opusc. 22.

1. *Thesis 1.* **Forma conveniens et legitima est: Ego te absolvo**, vel verba formaliter aequivalentia, v. g. : *ego tibi remitto, condono..., absolvatur Petrus a peccatis.* — Ita decretum Conc. Flor. pro Arm.; et Conc. Trid., sess. 14. c. 3.

Probatur ex S. Thoma, III, q. 84, a. 3 :

« Cum sacramenta N. L. efficiant quod figurant..., oportet quod forma sacramenti significet id quod in sacramento agitur proportionaliter materiae sacramenti. Unde forma Baptismi est : *Ego te baptizo,* et forma Confirmationis : *Consigno te signo crucis et confirmo te chris-*

mate salutis, eo quod huiusmodi sacramenta perficiantur in usu materiae; in sacramento autem Eucharistiae, quod consistit in ipsa consecratione materiae, exprimitur veritas consecrationis cum dicitur : *Hoc est corpus meum.* Hoc autem sacramentum, scii. Poenitentiae, non consistit in consecratione alicuius materiae, nec in usu alicuius materiae sanctificatae, sed magis in remotione cuiusdam materiae scii, peccati, prout peccata dicuntur esse materia Poenitentiae... Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur : *Ego te absolvo;* nam peccata sunt quaedam vincula... Unde patet quod haec est convenientissima forma huius sacramenti : *Ego te absolvo* ». « Ergo dicendum quod ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi quibus Petro dixit (Mt. XVI, 19) *Quoflcumgue solveris super terram* » (ib. ad 1). « Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertinet ad primam auctoritatem Dei, scii, ut dicatur : *Ego te absolvo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* » (ad 3).

Breviter : forma debet exprimere exercitium potestatis clavium seu potestatis remittendi peccata, ministris Ecclesiae concessae, nomine Dei exercendae, cuius sacramentum Poenitentiae est usus et effectus; quod praestat forma : *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris,* etc.

II. *Thesis II.* Forma debet exprimere exercitium potestatis clavium, seu potestatem remittendi peccata ab ipso ministro, sacerdote. *Unde* 1° *non sufficit forma mere deprecative; sed.* 2° si *apparenter, materialiter* et *quoad modum loquendi* aliquando fuerit aut sit *deprecative,* saltem *secundum sensum debet esse formaliter indicativa.*

Probatur primum : a) Forma debet indicare exercitium potestatis clavium, seu solvendi peccata. Petere autem non est solvere. Ergo non sufficit forma mere deprecativa, sed debet esse forma indicativa saltem quoad sensum.

b) Pronuntiatio formae est actus iudicialis (Cone. Trid., sess. 14, c. 6 et can. 9). Atqui sententia iudiciaria non est deprecatio : iudicare enim est actus habentis potestatem; deprecari est actus supplicantis. Ergo idem actus non est iudicium et deprecatio sub eodem respectu.

Probatur secundum : Forma secundum constructionem grammaticam deprecativa, secundum sensum partialiter debet aequivalere formae indicativae seu enuntiativae. Nam absolutio sacramentalis est sententia iudiciaria. Sed non esset sententia iudiciaria, nisi aliquo modo significaretur a) *potestas iudiciaria* in pronuntiante, b) *huius usus,* et c) *actualis effectus.* scii., ius concessum in ordine ad remissionem peccatorum. Ergo.

III. Conclusiones. — Hinc 1° *convenit forma expresse et formaliter indicativa,* quae enuntiat usum actualem po-

testatis iudiciariae in ordine ad remissionem peccatorum de praesenti praestitam. Nam, ut ait S. Thomas, a. 3 :

« Ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi, quibus Petro dixit (Mt. XVI, 19) : *Quodcumque solveris super terram.* Et tali forma Ecclesia utitur in sacramentali absolutione » (ad 1). At « in quibusdam absolutionibus quae in Ecclesia publice fiunt, sicut in prima et completorio. et in cocna Domini, absolvens non utitur oratione indicativa, ut dicat : *Ego te absolvo,* sed oratione deprecativa, cum dicit : *Misereatur vestri omnipotens Deus,* vel : *Absolutionem et remissionem tribuat vobis omnipotens Deus* » (Obi. Ia). « Huiusmodi autem absolutiones in publico factae non sunt sacramentales, sed sunt orationes quaedam ordinatae ad remissionem venialium peccatorum. Unde in sacramentali absolutione non sufficit dicere : *Misereatur tui omnipotens Deus,* vel : *Absolutionem et remissionem tribuat tibi omnipotens Deus,* quia per haec verba sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit ut fiat » (ad 1).

2° Attamen per *se valida esse potest deprecativa forma.* si ratione circumstantiarum sufficienter ostendat ministrum absolvere et remittere peccata, aut si Ecclesia hunc sensum ipsi adnexerit.

Constat a) *ex historia :* Initio enim et per decem priora saecula, *in utraque Ecclesia* omnes formae quae noscuntur adhibitae fuerunt deprecativae, v. g. *Deus, ei condona, eum absolve vel relaxa,* etc.

Quod constat ex Sacramentariis (v. g. Gelasiano) et Poenitentialibus; et ex *concordi* testimonio Patrum v .g. Ambrosii, de Spiritu Sancto. III, 18; Hieronymi, in Ps. 28; c. Lucif., n. 5; Augustini, de Bapt.. c. Don. V, 20: serm. 99: Leonis M., ep. 108 ad Theod. etc.; qui semper alludunt ad deprecativum formulae modum, nunquam ad indicativum. — A saeculo autem XI0, in ecclesia *latina* incipit transitus a formulis deprecativis ad indicativas, ambaeque simul adhibentur ita ut deprecativae addatur formula indicativa. Usus tamen formulae deprecativae perduravit, ita ut initio saeculi XIIIl adhuc vigeret, quod scimus ex testimonio Gulielmi Altissiodorensis, Gulielmi Parisiensis, et Hugonis Cardinalis, et ex ipso opusculo S. Thomae *de forma absolutionis,* qui defendens formam indicativam, id tamen simpliciter negare non potuit (c. 2 et 5). At paulo post, indicativa forma communiter recepta fuit; ita tamen ut preces concomitantes vestigium sint antiquae disciplinae. — In Ecclesia vero *orientali,* post sacculum XIIInl mansit forma deprecativa, et hodie manet apud Graecos non unitos, imo apud unitos qui versantur extra Europam, et in Ecclesia Coptorum Alexandrina. At plures, etiam inter Schismaticos, formam indicativam ab Ecclesia latina mutuati sunt, ut lacobitae, Armeni. Copti, Russi, Rumeni; Item Graeci uniti qui versantur in partitus Europae, et Maronitae: Rutheni vero schismatici forma utuntur quae est simul deprecativa et indicativa.

b) *ratione:* Formula deprecativa. cum intentione absolvendi, et ratione adiunctorum. scii. : causa cognita, ab eo qui potestatem habet remittendi, et habetur ab omnibus ut iudex qui vere remittit licet non propria sed Dei auctoritate, suffi-

cienter ostendit (sive implicite, sive etiam explicitis verbis, v. g.: « per ministerium meum ». aut mentione potestatis clavium concessae) sacerdotem esse Dei ministrum et nonnisi auctoritate eius absolvere; nec impedit quod sacerdos sit iudex vereque ministerialiter absolvat, praesertim si Ecclesia ita praescribat vel toleret et usus sit communis Tunc sensus erit : « Absolutus sis seu absolveris per me, per ministerium meum ». Ita et formula : *Benedicat vos omnipotens Detis,* non a laico sed a sacerdote prolata, a quo petitur benedictio iuxta consuetum ritum Ecclesiae, significat : Ego vos auctoritate Dei benedico; item absolutio a censuris saepe datur modo deprecative, et tamen est actus iudicialis. Et verba : *Baptizetur servus Christi,* aequivalent formae Baptismi : Ego te Baptizo.

Nec obstat Ecclesiam non posse mutare materiam et formam sacramentorum a Christo institutam, quia non omnes sacramentorum formae semper a Christo fuerunt omnino determinatae secundum uniformitatem materialem, sed solum secundum significationem; unde si Ecclesia ius habet ultimam determinationem formae definiendi, nihil prohibet quin forma deprecativa, cum intentione manifestata sententiam iudicialem ferendi, possit esse valida. Qui autem aliter sentirent, videre deberent quomodo suam theoriam cum factis conciliare possent. Itaque forma indicativa est expressior et magis convenit potestati iudiciali. quae ministris Ecclesiae competit, quia certum est eos non solum postulare ut fiat remissio sed eam ut instrumenta Dei potestative operari; sed etiam legitimari potest forma deprecativa, quia minister non nomine proprio sed nomine et auctoritate Dei remittit; unde dicit quasi imperative : Absolvat te Deus i. e. nomine Dei pronuntio quod Deus te absolvere debet.

3° Nihilominus *practice in Ecclesia latina adhiberi potest sola forma indicativa.* Cum in Ecclesia occidentali enim iam a pluribus saeculis indicativae formulae usus praescriptus sit, merito de valore formulae deprecativae in Ecclesia latina dubitari potest.

Ecclesia enim potest praescribere unam formam ut validam, et declarare potest aliam non esse legitimam, et ideo non iam habere sensum indicativum; potest statuere conditiones exercendi actum iudicialem et formam unicam authenticam : potest enim non concedere iurisdictionem nisi pro forma indicativa. An autem ista fuerit intentio Ecclesiae, non est certum, sed dubium. Unde quia id saltem incertum est, abstinendum est a forma deprecativa tamquam dubia.[1]

1 Sunt et formae *imperativae,* sed illae reducuntur ad dcprecativas, si nempe dirigantur ad Deum, v. g. absolvat te Deus, indulgcat, valent: Deus, ei condona, indulge ; aliae ad indicativas seu enuntiativas, si dirigantur ad poenitentem, v. g. absolvere a me, absolvere a Deo. i. e. Deus per ministrerium meum te absolvit.

QUAESTIO SECUNDA

De Significatione Formae

I. Forma significat usum et effectum potestatis clavium, i. e. remissionem ipsius peccati seu culpae a ministio factam, ita ut sensus sit : ego vere remitto tibi culpam. — Quod indicat definitio Conc. Trid., sess. 14, can. 9; unde « res et effectus sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo » (Conc. Trid.. sess. 14, c. 3).

II. Igitur sensus formae non est :

1° *Ostendo vel declaro te absolutum* scii, in facie Ecclesiae.

Ita contra Protestantes, qui dixerunt peccatum remitti sola fide, non vi sacramenti, et absolutionem « non esse actum iudicialem, sed *nudum* ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat esse absolutum », quod a Trid. (can. 9) expresse fuit damnatum. Et contra Petrum Lombardum et alios veteres qui idem asserebant, sed sensu valde diverso, cum admittebant assistricem Dei virtutem operantis per se solam interius quod exteriori absolutione significatur, quin veram causalitatem instrumentalem ministro vel eius sententiae tribuebant quantum ad remissionem peccati, sed solum quoad remissionem in facie Ecclesiae; quod tamen cum doctrina Conc. Trid. non satis cohaeret.

Et sane a) sacramenta efficiunt quod figurant; atqui Poenitentiae forma significat remissionem peccati; ergo eam efficit. Sicut ergo forma Baptismi : ego te baptizo, non significat : ostendo te ablutum, sed abluit; ita forma Poenitentiae non solum ostendit hominem absolutum, sed absolvit (III, q. 84, a. 3, ad 5);

b) secus enim potestas clavium enervaretur : frustranee data fuisset Apostolis si nihil possent nisi ostendere, cum omnis doctus et prudens (discussione conscientiae) id facere posset.

2° *Nec sensus est : absolvo te a poena,* uti interpretati sunt Richardus a S. Victore et quidam scholastici, ac Baius.

Nam a) est contra sensum obvium formae et Ioh. XX, 22 : *a peccatis;* b) iuxta Conc. Trid., sess. 6, c. 15. poena aeterna una cum culpa remittitur; ergo si forma non remittit culpam, nec remittit poenam aeternam; c) iuxta idem Conc., sess. 14, c. 1, sacerdos habet potestatem ad *reconciliandos* fideles post Baptismum lapsos; reconciliatio autem fit per remissionem culpae et non solius poenae (cfr. prop. 57 et 58 Baii damn.). Et d) tunc « non exigeretur voluntas suscipiendi effectum clavium ad culpae remissionem, sicut non exigitur votum suscipiendi alia sacramenta quae non ordinantur ad culpae remissionem sed contra poenam » (Suppi, q. 18, a. 1).

3° *Nec sensus est : absolvo te ab obligatione iterum peccata subiiciendi clavibus,* uti habet S. Bonaventura, IV Sent., dist. 18, p. 1, a. 2, q. 1.

Nam a) est contra sensum obvium formae et Ioh. XX. 22 : solvere *a peccatis;* b) absolutio a confessione venialium, vel peccatorum iam remissorum, iam nullam haberet significationem et non valeret.

4° *Nec sensus est : ego do tibi gratiam de se remissivam peccati,* ut ait Suarez, de Poen., disp. 19, sect. 2. n. 13-20.

Nam verba directe significant remissionem peccati et solum indirecte gratiam, quia in praesenti ordine non remittitur gravis offensa sine infusione gratiae. Verba scii, ex se, id est ex institutione humana, non directe significant gratiae collationem, quamvis eam producant ex institutione Christi secundum significationem sacramentalem. Sensus ergo potius est : ego tibi remitto peccata per infusionem gratiae. — Cui non obstat quod tunc remissio antecedit infusionem gratiae. Nam remissio, ut cessio iuris divini ad aversionem, ratione praecedit infusionem gratiae, et hanc consequitur ablatio seu expulsio peccati.

III. Verus sensus formae est : *ego iudicialiter tibi sacramentum* (seu signum practicum sacrum, vel titulum et causam) *absolutionis* (i. e. remissionis) *impendo,* ut habet S. Thomas, q. 84, a. 3, ad 5, et in opusc. *de forma absolutionis,* c. 3; a. v. iudicialiter facio ut tibi debitum sit quod a peccato libereris. Unde verificatur sensus absolutionis, etiam si quis iam sit in statu gratiae, vel si ex defectu subiecti gratia non conferatur.

QUAESTIO TERTIA

De Requisitis ad Validitatem et Liceitatem Formae Absolutionis

1. Ad validitatem formae requiruntur verba essentialia : *Absolvo te,* et probabiliter etiam : *a peccatis.*

1° *Certo* requiruntur : *Absolvo te,* quia effectum sacramenti, modum iudicialem quo efficitur, et subiectum recipiens satis declarant.

2° *Probabiliter* etiam : *a peccatis,* quia verba : absolvo te, non satis determinata sunt et possunt intelligi de absolutione a censuris vel a poenis, quamvis tamen probabiliter ex ipsa praevia peccatorum confessione res sufficienter indicetur; in praxi autem addenda sunt quia in ministratione sacramentorum faciendum est quod est tutius : quod si omissa fuissent, forma foret repetenda sub conditione.

3° E contra, *essentialia non sunt : ego,* in lingua latina, et *tuis,* quia sufficienter includuntur in : absolvo te; pertinent tamen ad integritatem formae.

4° *Nullo modo requiruntur verba : in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* quae nec a Christo praescribuntur nec in antiquis formulis inveniuntur.

Hinc a) voluntaria omissio vel substantialis corruptio verbi essentialis, aut verbi quod probabiliter est tale, semper est peccatum mortale, quia sacramentum irritat vel periculo nullitatis exponit, et poenitentem privationi gratiae sacramentalis;

b) absolutio sub forma aequivalenti, quamvis graviter illicita, valida est, v. g. si diceretur : remitto vel condono tibi; absolvo vos aut excellentiam vestram; aut absolvatur talis a peccatis, etc., quia remanet idem sensus et solum est mutatio accidentalis;

c) sola omissio verborum: *in nomine Patris...* censetur levis transgressio legis ritualis.

II. Ad liceitatem, forma sedulo in Ecclesia latina a ministro servari debet, quae a Rituali Romano, aut a ritualibus particularibus Ordinum religiosorum praescribitur, simul cum comitantibus caeremoniis ac precibus praecedentibus et subsequentibus.

A. *Secundum Rituale Romanum, de Poen. c.* 2 :

« 1. Cum igitur poenitentem absolvere voluerit, iniuncta et prius et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit : *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Arnen.*

2. Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit : *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Arnen. Dominus noster lesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii,* f *et Spiritus Sancti. Arnen.*

3. Si poenitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis.*

Passio Domini nostri lesu Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Arnen.

4. lusta de causa omitti potest, *Misereatur,* etc. et satis erit dicere : *Dominus noster /esus Christus,* etc. ut supra usque ad illud : *Passio Domini nostri* etc.

5. Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit :

Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis. in nomine Patris, et Filii, f *et Spiritus Sancti. Arnen ».*

Circa quae notandum est : 1° *Pia est consuetudo,* non obligans sub peccato, ut sacerdos ante confessionem dicat : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ad digne confitendum omnia peccata tua, in nomine...,* etc. vel saltem crucis signo benedicat ut sic « poenitens... admoneatur ut ipse flexis genibus signo crucis se muniat » (Rit. c. 1. n. 10).

2° Caeremonia *elevationis manus, a* verbo *Indulgentiam* usque ad formationem crucis in absolutione impertiendam, non obligat sub gravi, sicut nec signum crucis sub absolutione; imo secundum aliquos nec sub levi, quod admitti potest, non tamen dum pronuntietur ipsa forma.

3° Preces *Misereatur* et *Indulgentiam* omitti possunt in confessionibus *frequentioribus,* ut si magnus adest poenitentium concursus, aut *brevioribus,* ut si poenitens saepius redit, vel post absolutionem recordatur peccati; secus eas omittere non convenit, quamvis absque peccato fieri possit, quia non sunt de praecepto sed de consillio, cum Cone. Trid. sess. 14. c. 3, dicit quod « *laudabiliter adiunguntur* ». Quod consilium rursus inculcat Codex, can. 885 : « Etsi preces ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctac, ad ipsam liberationem obtinendam non sint necessariae, nihilominus, nisi iusta de causa, ne omittantur ». Et idem valet de verbis: *Passio Domini...;* sunt tamen qui putant hac oratione omnia poenitentis opera aliquo modo participare efficaciam satisfactionis sacramentalis, ut etiam refert S. Thomas (Quodl. III, q. 13. a. 28), et propter hanc sententiam aiunt minus conveniens esse praedictam orationem omittere.

4° Absolutioni a peccatis ex praecepto Ecclesiae ad cautelam praemittitur absolutio a censuris; quia non decet Deo reconciliari per ministerium Ecclesiae, qui prius cum ipsa Ecclesia non fuerit reconciliatus. Unde a) confessarius *certo* cognoscens censuram, *graviter* peccat si prius absolvit a peccatis quam a censuris, absolutio tamen est valida; b) absolutionem a censuris omittere, ubi confessarius moraliter certus est non adesse censuras, peccatum non est. sed nihilominus ad cautelam rectitudinis est praemittenda; c) veniale est si suspicio sit probabilis censurae.

5° Vox *suspensionis* omittitur, si de laicis agitur, quippe qui suspendi nequeunt; at praecipitur pro illis qui sunt in Ordinibus sacris, de consilio adhibenda est pro clericis.

6° Hinc omissio voluntaria vel corruptio verbi non essentialis in ipsa forma, absque sufficienti ratione, est peccatum grave vel leve prout mutatio ipsa notabilis reputetur vel non : quamvis enim non invalidet sacramentum, importat tamen erga illud irreverentiam contra Ecclesiae de cultu sacro ordinationem.

Sic omissio verborum: *in nomine Patris...* censetur levis: e contra mutatio verbi : *absolvo* in aliud aequivalens, aut omissio verborum : a *peccatis,* esset notabilis, et etiam omissio absolutionis a censuris potest esse gravis, ut dictum est.

B. *Haec* tamen *variari possunt in aliis Liturgiis,* et nominatim *in quibusdam Ordinibus religiosis.* Six iuxta *caeremoniale Ordinis Fr. Praedicatorum :*

« 1. Forma absolutionis communiter observanda in confessione sacramentali :

« Si teneris aliquo vinculo excommunicationis (suspensionis) et interdicti, a quo possim te absolvere : ego absolvo te, et restituo te sanctis sacramentis Ecclesiae, communioni et unitati fidelium. In nomine Patris t- *et Filii, et Spiritus Sancti. Arnen.*

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, salvet, et confirmet in omni opere bono, et perducat te ad vitam aeternam. Arnen.

Dominus noster lesus Christus, Filius Dei vivi, per suam piissimam misericordiam te absolvat : et auctoritate ipsius, qua fungor, ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, ut sis absolutus hic. et ante tribunal eiusdem Domini nostri lesu Christi, habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. In nomine Patris +, et Filii t· *et Spiritus Sancti* f. *Arnen.*

Passio Domini nostri lesu Christi, et merita beatae Mariae semper Virginis, et beati Dominici Patris nostri, et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris et intendis facere, aut mala quae sustines, et sustinebis, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. In nomine Patris +, et Filii, et Spiritus Sancti. Arnen.

2. Forma brevior observanda in reconciliatione, seu in confessionibus frequentioribus et brevioribus :

Omitti potest *Misereatur,* et satis erit dicere :

Si *teneris aliquo vinculo excommunicationis (suspensionis) et interdicti, a quo possim te absolvere : ego absolvo te. In nomine Patris* t, *et Filii, et Spiritus Sancti. Arnen.*

Item ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris f. *et Filii, et Spiritus Sancti. Arnen.*

3. Forma brevissima observanda urgente necessitate in mortis periculo:

Ego absolvo te ab omnibus censuris et peccatis. In nomine Patris f. et *Filii, et Spiritus Sancti. Arnen ».*

III. Modus quo forma proferri debet ad validitatem requisitus, est a) ut sit ore prolata, b) in praesentem directa, c) independenter a conditione suspensiva in futurum.

A. *Ore prolata verbis proprie dictis.* De quo forsan aliquis dubitare posset, quia sacramentum istud institutum fuit per modum iudicii; ergo quod requiritur rigorose ad ferendam sententiam in aliis iudiciis, sufficere posset et in hoc iudicio. In aliis autem sufficit scriptum, nutus, et generatim quodcumque signum quo valeat manifestari sententia. Ergo et in hoc sacramento verba proprie dicta possent non requiri; quod

confirmatur exemplo matrimonii in quo nutus potest sufficere. Nihilominus verba proprie dicta ore prolata requiruntur ad validitatem. *Probatur :*

a) *Ex verbis Eugenii IV,* in Cone. Hior., deer, pro Arm., docentis sacramenta perfici tribus, quorum unum sunt verba tamquam forma, quibus deficientibus non existit sacramentum. Et quamvis postea dixerit, de matrimonio *regulariter* perfici verbis, ita indicans posse aliquando fieri sine verbis, haec tamen exceptio non apponitur nisi pro matrimonio et ita confirmat regulam; imo dicitur forma poenitentiae esse verba absolutionis quae sacerdos *profert,* cum *dicit,* quod de solis verbis proprie intelligi potest.

b) Item ex Cone. *Trid.* dicente sess. 14, c. 3 : « sacramenti Poenitentiae formam... in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo,* etc. »

c) Ratio desumitur ex institutione Christi quam Traditio et consuetudo Ecclesiae perpetuo manifestavit in facto et doctrina.

Discrimen autem cum matrimonio est : a) quod non novum quid instituit Christus Dominus quasi sacramentum, sed ipsum matrimonium elevavit ad dignitatem sacramenti; b) in matrimonio ad hoc requiruntur, verba ut comparti innotescat consensus; in aliis autem sacramentis non ad hoc requiruntur verba; c) matrimonium est ex natura sua pro omnibus etiam mutis, ideo non requiruntur verba ad valorem; quoad poenitentiam ex natura sua non est inconveniens quod muti non possint absolvere.

Hinc in *praxi :* 1. sententia opposita, quae olim fuit plurium, non habet fundamentum;

2. unde non est attendendum ad hoc, quod ait Sporer, in casu extremae necessitatis sacerdotem mutum posse, deficiente omni alio sacerdote, absolutionem nutu vel scripto dare;

3. attamen necesse non est ut verba audiantur, sed sufficit ut sint de se audibilia; imo prudentia potius postulat ut non alta, sed submissa voce proferantur, ne circumstantes advertere possint quemdam absque absolutione dimitti.

B. *In praesentem directa.* Verba : *te* absolvo, supponunt poenitentem esse moraliter praesentem. Praesentia autem moralis ea est, intra quam homines, altiori voce loquentes. inter se loqui et audiri possunt et solent; quod S. Alphonsus cum aliis multis putat certo extendere posse ad 20 *circiter* passus, praesertim ubi poenitens nondum est egressus ab aspectu confessarii; si vero distantia sit maior, vel si confessarius et poenitens sint in diversis cubiculis omnino separatis, absolutio *dubia* erit, et ideo ab ea. extra casum extremae necessitatis, est abstinendum, quia in tali dubio faciendum est id quod est tutius. Hinc *in praxi :*

1. Si poenitens a confessionali exeat antequam absolutio data fuerit, tuto potest absolvi si certo cognoscatur intra paucos passus esse; quod ad 20 circiter potest extendi, si a confessario adhuc videatur; secus

benigne ad confessionale revocetur. Quod si iam longe absit nec inveniri possit, res committatur Deo; postea autem, si ad confessionem redeat, moneatur ut de omnibus suis peccatis etiam praeteritis doleat, et absolvatur.

2. Absolvi potest moribundus iam e porta cubiculi.

3. In praelio multitudo militum absolvi potest, quamvis quidam multum distent, quia efformant unum quid morale et hac ratione omnes sunt sufficienter praesentes.

4. In casu necessitatis absolvi possunt *(sub conditione}* ii omnes qui aliquo sensu percipiuntur etiam in confuso, v. g. e tecto ruentes, labentes in flumen vel mare, in incendio iacentes, etsi a longe tantum aspiciantur, dum aliquo modo *probabile* sit illos moraliter esse praesentes, quia aliquo modo sensibili coram confessario adsunt.

C. *Independens ab omni conditione suspensiva in futurum.* Sacramenta enim statim operantur effectum suum quem possunt, neque est in potestate ministri suspendere in futurum. Tempore enim quo sacramentum confertur, effectus non producitur, cum incerta sit conditionis exeeutio, et suspensa remaneat sacerdotis intentio quae requiritur ad validitatem sacramenti; tempore autem quo conditio verificatur, iam non existit sacramentum, nec proinde effectum producere valet. Hinc :

1. Invalida est absolutio sub conditione de futuro incerto, v. g. *absolvo te si infra mensem restitueris.*

2. E contra sub conditione de *praesenti* vel *praeterito* valet, si verificatur conditio, v. g. *absolvo te si vivis, si es capax, si restituisti, si te non absolvi,* etc. Haec enim effectum non suspendit, nam verificata conditione, absolutio est reipsa absoluta, ac proinde eodem modo ac haec valet et statim suum effectuum producit.

IV. Corollaria. — Exinde deduci possunt *practice corollaria :*

1° *Illicitam esse et invalidam absolutionem, sive per litteras sive per internuntium datam absenti, etiam hoc modo confitenti',* tum quia non fit verbis vocalibus, tum quia non fit in praesentem.

1 Id admiserunt olirn plures ut Petrus Paludatius, Adrianus, Sylvester, quorum sententia secundum P. Soto teneri potest. loannes a S. Thoma pro ipsa insuper affert I. Medina, *de conf.* 9; et Navarrum, *Summa* c. 21, n. 30. Contra eam stant Caietanus et Ledesma et generatim recentiores; atque adducuntur S. Thomas III, q. 84, a. 3 ad 3; a. 4, ad 3; et IV Sent., d. 1, q. 1. a. 3, ad 3; d. 14, q. 1, a. 1, qc. i, ad 2; d. 17, q. 3, a. 4, qc. 3, ad 3; S. Bonaventura et S. Albertus M. in IV Sent.; Alexander Alensis, III, q. 60, m. 1, a. 1; Richardus in IV, d. 17, a. 2, q. 5; Ferrariensis, c. Gent. IV, c. 72.

Ceteroquin natura sacramenti Poenitentiae videtur exigere ut, ex modo quo ministratur, *per se* saltem *possit* sacerdos fieri certus de *actuali* poenitentis statu; ad quod requiritur confessio praesens et absolutio praesentis; nec internuntius gerit vices poenitentis quoad dispositionem. Propter quod Clemens VIII, die 20 iunil 1602, in Congregatione S. Officii, ad minus ut *falsam, temerariam* et *scandalosam,* damnavit hanc propositionem : « licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absenti absolutionem obtinere », mandavitque ne ullo unquam casu ad praxim deducatur. Ex quo sequitur absolutionem non solum esse illicitam sed et invalidam, secus enim aliquando, saltem in extrema necessitate, ad praxim posset licite deduci.

2° *Invalidam quoque esse absolutionem datam absenti, etsi confessio facta fuerit sacerdoti praesenti,* propter eadem motiva.

3° Item *invalidam esse absolutionem datam praesenti, sed vi confessionis in absentia factae,* et hic et nunc nullo modo nec in generali renovatae. Deest enim tunc materia praesens (scii, confessio), ac proinde absolutio non esset sacramentalis, utpote non informans materiam, nec magis certificatur sacerdos de *actuali* statu poenitentis.

Fertur quoque Clementem VIII pronuntiasse, se adductam propositionem damnasse et prohibuisse non solum copulative sed divisive, de absolutione et confessione seorsum; et certissime Paulus V. in Congregatione S. Officii 14 iulii 1605, declaravit decretum valere in sensu diviso, ita ut contrariam interpretationem e scriptis Suarez expungi iusserit.

4" Unde, ut axioma solent dicere : *invalidam esse absolutionem, sive a) absens confiteatur et absens absolvatur,* sive b) *praesens confiteatur et absens absolvatur,* sive c) *absens confiteatur et praesens absolvatur.*

5° Nihilominus *non esse improbatam praxim absolvendi moribundos sensibus destitutos,* qui confessionis desiderium manifestarunt, de quo per adstantes testimonium habetur, ut declaravit Clemens VIII.

Nam tunc adest confessio praesentis facta praesenti per adstantes. quasi per interpretes. Ut enim ait Billuart, de Poen., diss. 7, art. *3.* § II, « praesens est poenitens, praesentes adstantes, praesens confessarius, et per testimonium adstantium praesens ipsa confessio ». Poenitens scii, praesens est, et eius confessio moraliter continuatur et exprimitur ore adstantium, ita ut moraliter certus esse possit sacerdos de statu actuali poenitentis, cum nullo modo verisimile sit illum, stante mortis periculo, bonam dispositionem mutasse.

6" Denique *invalidam esse, vel saltem valde dubiam, absolutionem per telephonium,* aut per longum canalem phoneticum.

Nam secundum modum naturalem et ordinarium colloquendi, non sunt poenitens et confessarius ad invicem praesentes, et aestimatione communi hominum, colloquium censetur fieri inter absentes : simplex communicatio nondum est praesentia. Imo neque ipsa vox loquentis auditur, sed solum perfecte reproducitur; artificiosa autem translatio vocis non sufficit ut absolutio quae poenitentem attingit sit vere vocalis. Unde, ad summum, in casu extremae necessitatis, et tantum sub conditione, posset sic poenitens absolvi, defectu modi certioris.

Quod si S. Poenitentiaria, 1 iulii 1884, quaestioni circa hoc propositae, rescripsit *nihil* esse *respondendum,* videtur voluisse significare : quaestionem non ad se spectare, sed ad S. Officium.

V. Animadversio. — De validitate absolutionis sub conditione de praesenti aliquando dubitatum fuit, praesertim de conditione :si *es dispositus.* Ita olim plures Lovanienses et quidam alii, ut Collet, dixerunt hanc conditionem, sicut plures alias, obstare speciali indoli sacramenti Poenitentiae, quod est institutum per modum iudicii.

Distinguebant inter conditiones *[acti.* v. g. si vivis, si es baptizatus, etc. de quibus iudicare non debet confessarius, et conditiones *turis, v.* g. si es dispositus, si vis restituere, etc. de quibus iudicare debet. Priores generatim admittebant, quia non invalidant sacramentum; conditionem vero de qua confessarius iudicare debet, qualis est illa : si *es dispositus,* reiiciebant utpote invalidantem, quia tollit naturam iudicii, cum per eam confessarius supponat praecise id de quo debet iudicare et iudicium ferre. Unde sicut nulla esset sententia iudicis civilis super re litigiosa, si diceret : « adiudico tibi rem, si sit tua », ita invalida est absolutio si confessarius dicat : « si es dispositus, abolvo te ». Haec opinio iam est obsoleta.

Sententia enim, etiam tempore disputationis, extra scholam Lovaniensium communissima, et nunc, post finitam controversiam, omnino communis tenet sacramentum Poenitentiae esse validum, si subsit conditio. Ratio est doctrina generalis : conditiones *de praesenti* non invalidate sacramenta: quia verificata conditione, in casu dispositione poenitentis, forma conditionata aequivalet absolutae, adeoque omnia adsunt ad valorem sacramenti requisita.

Et sane: 1) *Talis conditio non tollit omne iudicium.* Est enim aliquod iudicium dicere : si es dispositus, facio tibi ius quo debitum est ut peccatum tibi remittatur et non amplius imputetur. Etiam in humanis iudiciis, sententia conditionata haud raro fertur, v. g. « in carcerem ibis, nisi infra tres dies debitum solvas », vel « ad carcerem te condemno, sed, si in culpam non reincidas. pro tempore a poena immunis eris », aut

« condemnaris aut liberaris, si in tuo scrinio sit hoc vel illud documentum », quod statim a fidis hominibus inquiri iubetur[1] ».

2) *Illa conditio non tollit naturam iudicii huic sacramento proprii.* ludicare debet confessarius de dispositione poenitentis; at, secundum S. Thomam, q. 17, a. 3, hoc est iudicium discretionis tantum, ut confessarius prudenter et licite absolvat, non autem est ipsa sententia ludicialis nec ad eius validitatem est necessarium. Essentia iudicii hic unice consistit in pronuntiatione sententiae absolutionis super reo contrito et confesso; — secus enim invalide absolveret qui absolvit nihil iudicans de dispositionibus poeenitentis aut positive eum Iudicans indispositum dum tamen rite est dispositus; quod nemo admittet.

3) *Ad argumenta adversariorum respondetur:* Disparatas est cum iudicio humano, a) Hoc non tribuit ius sed declarat illud et ideo nullum est, si fiat sub illa conditione quae praecise declarari debet, quia nil declarat si id quod declarare debet in conditione supponit : ita enim supponit id quod quaeritur; e contra sacramentum Poenitentiae tribuit ius, quod etiam sub conditione fieri potest. — b) ludicium humanum ab hominibus est execution! mandandum, et ideo oportet ut cognoscatur et declaretur conditionem verificari; sacerdotis sententiam Deus ipse exequitur, et ideo sufficit ut Deus noverit utrum conditio adimpleta fuerit. — c) Quoad exemplum allatum, negatur paritas, quia de essentia iudicii civilis est ut iudex pronuntiet cuius sit res: de essentia iudicii sacramentalis non est pronuntiare quod poenitens sit capax, dispositus, vivat, restituerit, etc., sed pronuntiare quod ius ei conceditur ad liberationem a peccatis.

Quamvis conditio : *si es dispositus* relinquat sacramentum validum, non tamen videtur opportune adhibenda in praxi, imo nec generatim licite, ut infra dicetur c. IV, q. 2. a. 3. VII.

1 Cfr. Lehmkuhl. *Th. M..* II, n. 370. qui addit: ‹ Imo sententia etiam humani iudicii et in re civili aliquo modo hanc conditionem implicite non raro habet « si modo testimonium testium verum fuerit » ; nisi enim hac existimatione atque conditione, quae tamen aliquando falli potest, nitatur, iniusta atque ita nulla sit sententia... A pari, sententia sacramentalis semper nititur in hac suppositione, poenitentem verum dicere et vere dolere... ›

CAPUT IV

DE OFFICIIS POTESTATIS CONFESSARII

I. Sicut duplex est finis in administrando sacramento Poenitentiae, ita et in ministro duplex distinguitur munus, seu officium : iudicis scii, et medici.

1) *Primarium* est officium *iudicis,* quia essentiale est ministro huius sacramenti, quod institutum est sub forma iudicii. Cum autem hoc iudicium non sit condemnatorium sed liberatorium et in utilitatem poenitentis. nec solum ad praeterita delenda sed et ad futura praecavenda institutum, 2) *consequenter* confessarius etiam *medici* partes agere debet, vulnera eius sanando ac remedia opportuna suggerendo. « Sacerdos, ait sanctus Thomas (in IV Sent. D. 19, in fine exp. textus), debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi *medicus* vulnus et *index* causam ». Hinc can. 888 : « Meninerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere, ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat ».

Cum autem a) una ex infirmitatibus humanis et peccatorum causis sit ignorantia, cumque minister sacramenti teneatur docere accedentes ea quae necessaria sunt ad sacramentum valide ac licite suscipiendum, officio *doctoris* fungi debet medicus et iudex, ignorantes docendo et ignorantias depellendo.

Similiter b) quia varia munera eo tendunt ut vitam spiritualem generent et nutriant, confessarius est poenitentium *pater* spiritualis, quod munus non fructuose exercebit nisi paterno affectu eos diligat (Gal. IV. 19; I Thess. II. 7).

Hinc ab aliquibus post S. Alphonsum distinguuntur quatuor munera : patris, doctoris. medici et iudicis; de quibus Haine, *Th. M.* Ill, de Poen. q. 97 : qua *pater* viscera charitatis induat; qua *doctor* scientia polleat; qua *medicus* prudentia; qua *iudex,* debet servare aequitatem qua solvat et liget, non quidem pro suo arbitrio, sed sicut a Deo est sibi praeceptum. Quae tamen quatuor facile reducuntur ad duo ultima.

II. In quovis autem munere exercendo confessarius debet prae oculis habere :

1) *Bonum sacramenti,* ita ut magna cum diligentia huius validitatem et liceitatem procuret, *ac honorem Dei.*

2) *Bonum poenitentis,* ut meliore quo fieri potest modo sacramentum eiusque fructum iste recipiat ad peccata praeterita reparanda et futura praecavenda; nam sacramenta sunt propter homines.

3) *Bonum publicum,* cavendo ne aliquid minus rectum in exercitio muneris scandalum causet aliudve malum in communitate.

Ut autem de his omnibus ordinatim dicamus, quaerendum est, in tribus quaestionibus, de officiis ante actum — in actu — et post actum confessionis.

QUAESTIO PRIMA

De Officiis ante Actum Confessionis

seu

De Confessarii Dotibus

Praeter potestatem ordinis et iurisdictionis quae ad valorem sacramenti necessariae sunt, plures in ministro requiruntur dotes seu qualitates, sine quibus munus suum licite et fructuose pro spirituali confitentium salute, exequi non posset. Confessarius itaque ad confessiones excipiendas sese praeparare debet, *qualitates* acquirendo quae necessariae sunt ad hoc munus rite adimplendum : ex parte *intellectus speculativi,*

scientiam; ex parte *intellectus practici, prudentiam; ex* parte *voluntatis, bonitatem vitae.* Ita Rit. rom. tit. 3, c. 1. n. 1.

Articulus 1

De Scientia Confessarii

1. Confessarius tenetur sub gravi, extra casum necessitatis, eam scientiam habere quae ad suum munus rite subeundum requiritur et est competens; non eminens scii, sed mediocris qua possit casus solvere qui communiter occurrunt in loco ubi confessiones audire solet, et de difficilioribus saltem prudenter dubitare, ut libros vel alios doctiores consulere valeat.

Probatur : Deficiente enim hac scientia, proximo ac moraliter certo periculo se exponit munus suum male explendi, cum iniuria sacramenti et poenitentium damno. Nam, ut *minister* debet sacramenti validitatem et integritatem procurare; ut *doctor,* ignorantes instruere de officiis tenetur; ut *index,* de peccatis, — dispositionibus. — obligationibus urgendis poenitentium debet iudicare: ut *medicus,* causam spiritualium morborum investigare ac opportuna remedia proponere debet. Quae omnia certo requirunt scientiam non parvam; qua deficiente, sacramentum nullitati exponitur aut defectibus, et poenitentes detrimentum in re gravissima patiuntur, iuxta illud (Mt. XV, 14) : « Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt ». — Hinc S. Alphonsus, *Pr. Conf.* n. 18 : « Affirmo in statu damnationis esse eum confessarium qui sine sufficienti scientia, ad confessiones excipiendas se exponit ».

Dicitur A) *mediocris, qua casus solvere possit communiter occurrentes;* scii, a) *ut minister* tenetur scire 1) quae spectant ad essentiam et effectus sacramenti Poenitentiae, ad eius validitatem et licitam administrationem et susceptionem; — b) *ut index et doctor :* 2) principia discernendi inter mortalia et venialia tum in genere tum in singulis praeceptis; 3) quae spectant speciem, numerum, circumstantias peccatorum necessario declarandas; 4) quae spectant ad restitutionem famae et bonorum; 5) casus reservatos et censuras frequentius occurrentes; 6) impedimenta matrimonii et obligationes sta-

tuum: — quae omnia impossibile est scire, nisi cognoscat principia generalia scientiae moralis de actibus humanis, conscientia, peccatis et legibus; — c) *ut medicus: 7)* radices et occasiones peccatorum et opportuna remedia;

B) *in loco ubi confessiones audire solet* : non enim eadem scientia in omnibus confessariis requiritur, sed maior vel minor pro locorum, temporum ac poenitentium diversitate. Ita v. g. maior requiritur in civitate quam in remoto pago, ad quoslibet fideles diversarum conditionum audiendos quam pro fidelibus eiusdem status et conditionis;

C) *extra casum necessitatis* : nam, si urgeat necessitas, non solum extrema, sed etiam gravis, confessarius minus doctus licite confessiones excipit, cum plerumque ignorantia confessarii non validitati sacramenti, sed solum eius integritati vel fructuosae eius administration! obstet; imo in casu verae necessitatis, non semper illicitum est administrare sacramentum cum periculo ne mancum aut invalidum maneat. Sacerdos autem, qui timet ne sacramentum nullum sit, conditionaliter tantum absolvere potest.

11. Corollaria. — Ex praedictis theologi deducunt sequentia :

1) In confessario non sufficere naturales dotes ingenii aut *sanum sensum* seu *naturale iudicium.* Sufficit quidem ad prima principia moralia cognoscenda, non autem ad ultimas horum conclusiones; nec multum iuvat ad detegendas leges positivas circa vota, iustitiam, sacram ministrationem, iurisdictionis ambitum et limites, casus reservatos, matrimonii impedimenta ac dispensationes, aliaque huiusmodi. Insuper naturale et sanum iudicium, quod ad principiorum et regularum applicationem necessarium est, non parum iuvatur theologiae studio, ubi invenire est monita et consilia practica, quae sensus communis sapientium per plura saecula elaboravit ac digessit. ludicio sano careret qui aliorum prudentium sapientiam contemneret.

2) Nec sufficere *experientiam solam* : haec enim scientiam non supplet sed tantum iuvat. Multum scii, prodest ad interiores poenitentium dispositiones scrutandas, necnon regulas applicandas secundum varias locorum, temporum ac personarum circumstantias; sed non praebet cognitionem princi-

piorum et regularum. Unde qui soli experientiae innituntur, necessario committunt errores multos. Accedit quod ex tot rebus tam diversis et inter se disparibus, praesertim ex iis quae positiva lege praescribuntur, et rarius occurrunt, multae facillime e mente decidunt, nisi saepius in mentem revocentur.

3) Peccare *graviter* sacerdotem, qui dum *certo* noverit sibi competentem scientiam deesse, munus confessarii accipit, etiam si ex sola charitate vel obedientia; — nec sufficit semel subire bonum examen, sed tenetur scientiam studio conservare, imo augere, propter novos casus occurrentes, novas leges positivas, novas decisiones, v. g. Congregationum romanarum. Neque eum excusat approbatio ab Episcopo data, cum haec supponat, sed non suppleat scientiam; quamvis tamen *in dubio* utrum ista desit vel non. iudicium Episcopi sequi possit'.

4) Item *graviter* peccare episcopum, qui confessarium probaret quem sciret esse ignarum, quia sic eius peccato cooperaretur; — quamvis tamen excusari possit si *minus idoneum approbet* in casu necessitatis, v. g. pro locis exiguis et remotis, quando doctiorem invenire nequeat : melius enim est pro fidelibus indoctum habere confessarium quam nullum. Quo casu episcopus illum monere tenetur de obligatione quamprimum comparandi scientiam competentem.

5) Item *graviter* peccare poenitentem qui *de industria* eligat ineptum confessarium, si ita se exponat gravi damno spirituali, cum praeter damnum quod patitur, est causa quod sacramentum indebito modo ministretur.

6) *Sub gravi* teneri seminariorum alumnos, qui sacro ministerio destinantur, diu ac serio theologiae studio incumbere, non solum dogmaticae sed etiam morali, ut ad confessam munus exercendum idonei efficiantur.

7) Item *peccare* confessarium qui per longum tempus negligat studium theologiae moralis, si memoriter non teneat; et quidem *facile graviter,* si se exponat proximo periculo committendi graves errores et nocendi poenitentibus!.

1 Benedictus XIV asserere non dubitat. *Inst.* XXXII, n. 4 « aliquos nempe sacerdotes qui initio praeclarissime *Confessarii* munus acceperint, inde post diuturnum tempus omni studiorum cura neglecta, pristinam moralis theologiae scientiam amittere, ita ut qui in eiusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua confusaque ipsius artis scientia primisque rudimentis instructi, vix inter tyrones adnumerentur ».

' Scribit S. Alphonsus *(Praxis Conf.* η. 17): « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius (Malach. II, 7).

III. Animadversiones. — 1) Ne committantur errores quando difficiles occurrunt casus, non expedit eos statim solvere, sed dicendum est poenitenti ut det tempus rem maturius considerandi ac libros et doctiores consulendi; qui tamen interea absolvi potest, dummodo decisioni dandae obedire paratus sit vel doctiorem adire confessarium.

2) Item neo-confessariis valde utile est, etiam quando casum statim solvere debuerunt, de eodem libros ac perltlores consulere, ut statim cognoscant utrum recte egerint necne : ita enim defectus admissi reparari possunt et futuri errores praecaveri.

3) Item hic maxime commendandae veniunt conferentiae ecclesiasticae de re theologica dogmatica et morali.

Confessario, ut doctoris officio rite fungatur, opus est, ut bene sciat legem ; qui enim eam ignorat non potest alios docere. Sed hic advertendum est id quod scribit S. Gregorius, *nempe officium dirigendi* animas per viam salutis aeternae esse artem artium : *Ars artium regimen animarum.* Et S. Franciscus Salesius dicebat officium audiendi confessiones esse omnium maximum et difficillimum. Revera ita est. *Est omnium maximum;* quia est omnium scientiarum finis, qui nihil alium esse debet quam salus aeterna; estque omnium *difficillimum.* dum primo, confessarii munus requirit omnium scientiarum, omnium officiorum, atque artium notitiam ; secundo, quia scientia theologiae moralis complectitur tot materias inter se diversas ; tertio, quia in magna parte constat ex tot legibus positivis et sacris canonibus quorum intelligentia debet accipi secundum suam veram significationem : praeterea qualibet harum legum redditur difficilis, cum ratione circumstantiarum quae casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandae sint. Quidam, qui eruditos et theologos magnae notae se iactant, moralistas, quos casuistas (nomen ignominiae apud eos) appellant, dedignantur ne cursim quidem legere. Dicunt hi sufficere, ut confessiones rite excipi possint, principia generalia moralis callere; illis enim posse resolvi (aiunt) omnes casus particulares. Quis negare potest, omnes casus particulares esse his principiis resolvendos; sed totum opus, et totus labor est in adaptando ad casus particulares, tam diversis circumstantiis irretitos, principia huiusmodi, utque discernatur quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat; nequit id fieri sine magna discussione rationum quae pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud quod moralistae effecerunt, dum elaborarunt in explicando a quibus principiis multi casus particulares resolvi deberent. Praeterea, hac nostra tempestate, ut dictum est, adsunt tot leges positivae, tot bullae, tot decreta, quae nequeunt sciri, nisi casuistae legantur, qui ea collegerunt, et prout varietas materiarum postulat, ibi opportune illa inveniuntur; ideoque, quo recentiores hi moralistae sunt, eo antiquis utiliores. lusta ratione motus auctor Instructionum pro novis confessariis (Part, i, i8) affirmat, multos theologos quanto profundiores in scientiis speculativis, tanto rudiores in scientiis moralibus quae, ut scribit Gerson *(.Tract, de orat.),* omnium difficillimae sunt, et nemo doctus, quamtumvis sit in his versatissimus, est cui in dies nova non accidant; ex quo infert nunquam confessario deserendum esse theologiae moralis studium. Doctissimus Sperelli *(De Episc.* p. 3, c. 4.) pariter dicit longe errare eos qui totos in scholasticae studio sc applicant, aestimantes tempus in morali frustra expendi et postea nesciunt distinguere lepram a lepra; qui error (subiungit) confessarios simul et poenitentes in aeternam perditionem trahit ».

Articulus II

De Confessarii Prudentia

I. Scientiae accedere debet prudentia, i. e. sapientia practice quae ordinat optima media ad finem. Maxime enim necessaria est confessario, ut sciat in praxim deducere principia et generalia praecepta applicare secundum personarum et adiunctorum conditionem, ita ut nec per excessum nec per defectum peccet, nec in laxitatem nec in rigorem impingat, sed tuto ad vitam honestam christianam, et perfectionem ac vitam aeternam ducat. ludicis enim et medici est ea recte aptare quae ad causas iudicandas vel morbos curandos requiruntur; confessarius autem est iudex et medicus animarum; ad hoc ergo requiritur ut cognoscat indolem poenitentis et ut diversos poenitentes tractet non eodem modo, sed pro diversa eorum indole et conditione. — Insuper non raro occurrunt casus difficiles quorum circumstantiae in infinitum variari possunt, et in quibus recte procedere nequit confessarius, nisi prudentia eum dirigat.

Debet autem esse prudens tum erga poenitentem, tum erga seipsum, ut neutri noceat; tum erga rempublicam christianam ne, cum detrimento religionis, scandalum praebeat, sed pro viribus bonum publicum procuret.

A. *Erga poenitentem* debet esse prudens 1) quantum *ad contritionem,* ut motiva contritionis proponat iuxta singulorum ingenium, indolem et peccata; et non nimis facilis sit ad indicandum quod poenitens sit contritus, neque nimis rigidus, sed ex indiciis et circumstantiis aequum iudicium ferat;

2) *in confessione:* a) *in iudicio* de actionum moralitate, ut non obiectum solum, verum et circumstantias subiectivas, cuiusvis dispositiones ac conscientiam respiciat, quae saepius speciem vel gravitatem immutent;

b) *in interrogationibus,* quae nullo modo immodicae, indiscretae aut intempestivae, indoli tamen, aetati et conditioni cuiusque adaptari debent, ad cavendum scii, ne simplices et innocentes ignota peccata doceat, et in tentationem inducat, aut poenitentibus offendat; et nihilominus sufficientes sint ad detegendum vulnera latentia ac morborum spiritualium causas, occasiones et gravitatem;

c) *in consiliis* praebendis et *instructionibus,* monendo poe-

nitentes ignorantes vel relinquendo illos in bona fide, prout bono poenitentis *generatim* expedire cognoscat;

d) *in perfecta libertate* relinquenda adeundi alium confessarium;

3) *in absolutione,* ut recte discernat poenitentis dispositionem vel indispositionem, et ut absolutionem deneget, concedat vel differat prout saluti eius expediat, potissimum cum occasionariis et recidivis;

4) *in satisfactionibus,* ut salutares et convenientes imponat, accomodatas qualitati peccatorum, magis autem bono poenitentis; item ut opportuna remedia suggerat accomodata peccatis, imprimis tollendo peccatorum causas;

5) *in consectariis adiunctis* confessionis: a) in corrigendis propriis erroribus; et b) in custodiendo sigillo, ita ut caveat omne periculum quod directe vel indirecte aliquid reveletur, et quidem ita stricte ut in dubio agat id quod est *tutius:* imo c) in abstinendo ab omni verbo de aliorum confessariorum defectibus.

B. *Erga seipsum* : 1) in exquirendis circumstantiis peccatorum, praesertim contra castitatem, ne istis modis valde minutis in seipso tentationem excitet;

2) in vitando feminarum aspectii, praecipue iuniorum:

3) in agendo caute cum feminis, etiam spiritualitati deditis aut ad perfectionem tendentibus, vitando nempe superfluas confabulationes aut familiaritatem, munuscula non recipiendo, sine necessitate eas domi non invisendo, rigidum et austerum potius quam suavem seipsum exhibendo, etc.

C. *Erga retnpublicam christianam* : quamvis enim confessarius ratione officii sui teneatur principaliter incumbere bono poenitentis, cum tamen sacramenta sint propter Ecclesiam et ipse minister sit constitutus propter bonum Ecclesiae, non solum bonum privatum sed etiam pro posse ab ipso est procurandum bonum publicum, cui non est nocendum et cui bonum privatum poenitentis est subordinandum, ut monet S. Alphonsus, Th. M. l. VI. n. 615.

II. **Regulae prudentiales** praecipuae a confessario servandae traduntur sequentes :

la Confessarius, antequam confessiones excipiat, semper

pia oratione imploret Dei auxilium, cuius ministerio fungitur et cuius adiutorio indiget.

2a Si casus difficilis occurrat, *ne sit praeceps* in definiendo, sed omnes facti circumstantias diligenter inquirat nec interrogatus inconsiderate respondeat, — sed attente ac mature omnia penset, ac etiam, si opus fuerit, tempus petat ad deliberandum et virum doctum consulendum.

3a Aequaliter devitet nimiam laxitatem et nimium rigorem, sed haereat *in sano et tuto medio.*

4a In seligendis, pro directione poenitentis, opinionibus, ante omnia inquirat quid exigat *bonum spirituale poenitentis;* nec tamen rigidiores *imponat,* nisi necessarium sit ad vitandum proximum periculum peccati formalis.

5a In casibus perplexis confessarius faciat id quod, attentis omnibus circumstantiis et invocato Dei lumine, credit esse faciendum; nec postea sit inquietus, quia, si forsan erraverit, equidem prudenter processit, ideoque apud Deum iustificatur.

III. Media ad acquirendam prudentiam necessaria, indicari possunt, conformiter ad doctrinam S. Thomae de natura et partibus prudentiae[1]:

1) *Puritas intentionis,* scii, solum desiderium placendi Deo et homines ad salutem perducendi. Prudentia enim semper supponit rectum appetitum finis. Unde eo maior erit prudentia, quo maior erit charitas. Et sane, quo magis homo flagrat desiderio boni, eo magis industrius est in excogitandis mediis illud obtinendi, cautus in eligendis aptioribus, solers ne quid praetermittat quod in rem suam convertere possit, generosus ut obvias superet difficultates et quod decreverit exequatur. Confessarius itaque omnem affectionem hominibus placendi aut commodo proprio studendi abiiciat.

2) *Acquisitio cognitionis* necessariae, scii, a) *studio scientiae moralis,* qua cognoscuntur regulae et principia applicanda: b) *experientia diuturnae praxis,* quae maximum adiumentum est ad iudicandum de iis quae ut plurimum accidunt, et de modo melius interrogandi, de modo poenitentes monendi, aut in bona fide relinquendi, de modo eos disponendi, indulgentius aut rigorsius tractandi, remedia inveniendi, etc.; c) *docilitate mentis,* qua confessarius. de seipso diffidens, expetat scien-

1 **II-II**, q. 47, a. 6-8; q. 48 ct 49.

tiam. experientiam et consilia aliorum : quod iunioribus omnino, imo quandoque omnibus est necessarium.

3) *Intellectus perspicacitas et rectitudo iudicii.* qua scii. : a) recte consideretur negotium cum suis circumstantiis prout revera est: b) praecise iis principiis solvatur quae applicanda sunt; c) et quidem recta deductione applicatis.

4) *Circumspectio et cautio,* ut ponderentur etiam variae circumstantiae personarum vel et impedimenta externa, quae omnia possent media reddere inefficacia. iudicium labile, consilium inopportunum.

5) *Sollicitudo,* ut *in omnibus* diligentia adhibeatur debita, et *praesertim in providendo* de emendatione peccatoris *in futurum* et de stabili eius reconciliatione cum Deo.

Articulus III

De Confessarii Bonitate vitae

I. **Praeter scientiam et prudentiam requiritur quoque bonitas seu honestas vitae.** Quae non solum consistit in statu gratiae, qui ad vitandam sacrilegam sacramenti ministrationem regulariter est necessarius, et ideo in eo qui confessiones audire solet ordinario requisitus, nec occasioni proximae exponendus; — sed et in complexu virtutum quae ad munus confessarii rite obeundum desiderantur, tum ut ipse peccatorum ulcera tractando non contaminetur, tum ut alios in via sanctitatis dirigere possit.

Praecipuae autem virtutes confessario necessariae recenseri solent :

1) *Supernaturalis zelus animarum,* quo ex sincera *charitate* erga Deum et proximum soli honori Dei et saluti proximi unice consulat ac totum se impendat, et poenitentes speciali *dilectione paterna* diligat tamquam spirituales filios Dei sibi commissos ad vitam aeternam perducendos, tamquam fratres Christi, huius sanguine redemptos ac eius virtutibus informandos. Ad quod requiruntur : *paterna gravitas* quae reverentiam exigit, et qua nihil appareat in vultu, corporis gestu, sermone, quod non deceat virum maturum, exclusa omni affectione nimis sensibili; — et *mansuetudo* qua, sine ulla taedii, irae, impatientiae aut stuporis manifestatione, benignum et suavem

se omnibus ostendat, induens viscera misericordiae, non solum quando interrogat, instruit, monet, disponit, sed etiam quando corripit, bonitatem coniungens firmitati. Quare

a) non refugiat a molestiis ministerii ob poentitentium multitudinem vel ruditatem, aut ob peccatorum molem;

b) non praeferat divites et nobiles pauperibus et rudibus, devotas aut devotulas mulieres viris graviore delicto oneratis, sed omnes paterno affectu amplectatur, maxime autem miseriores ac graviorum peccatorum reos;

c) et si magnus adsit poenitentium numerus, ne tamen plus acceleret quam oportet, « ita ut pro audiendis plurium confessionibus. deficiat vel circa integritatem confessionis, vel circa debitam dispositionem, aut omittat illis praebere monita necessaria » (S. Alphonsus, *Praxis confes.* n. 179).

2) *Patientia,* quae maxime decet Christi ministrum, et valde necessaria est ad ignorantes et rudes instruendos, — ad disponendos eos qui imparati accedunt, praesertim si sint occasionarii aut recidivi, aut multum peccaverint ac vix scintillam contritionis habeant, — ad benigne excipiendos eos qui prolixas instituunt confessiones (ut scrupulosos), praesertim si iam per longas horas sacri tribunalis sessio duraverit. — ad non turbandos poenitentes qui ita periculo peccata reticendi exponi possent.

3) *Fortitudo,* ne ex vano timore ac pusillanimitate, aut ex partialitate, monere ac corripere omittat praesertim divites, nobiles ac potentes, eisque salutaria remedia praescribere; quapropter ne nimis facilis sit in bona fide admittenda eorum qui gravia sua officia negligunt.

4) *Eximia puritas* ne. dum aliorum sordes mundat, ipse maculetur.

5) Denique, ut omnium aliarum virtutum fundamentum praerequisitum : *humilitas,* qua peccatorem seipsum reputet, et misericordia Christi egentem.

II. Animadversio. Hinc vitia opposita vitanda veniunt : durities — impatientia et praecipitatio — acceptio personarum — affectuosa familiaritas — vanitas et proprii nominis existimatio. Cfr. Aertnijs, *Th. Past.,* η. 18 sq.

III. Speciatim de charitate confessarii meretur audiri S. Alphonsus, *H. Ap.* **tr. 21, n. 1 sq :**

‹ *Confessarius primo charitatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes,* sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint. Nonnulli tempus solummodo insumunt in audiendis confessionibus aliquorum devotorum aut personarum spectabilium, quia ut has a se repellant, non est eis tantus animus. Si tamen ad se aliquis miserabilis peccator accedat, aegre auditur, et conviciis oneratus arcetur; unde fit ut ille miser, postquam sibi maximam vim intulerit, ut ad sua peccata confitenda veniret, se tam aspere acceptum sentiens, odium in poenitentiae sacramentum concipiat, et desperans se posse invenire qui sibi opituletur et se absolvat a peccatis, in perditae vitae lubricum laxis habenis praeceps ruat, et in salutis desperationem incidat.

Secus boni confessarii agunt. Cum ad se huiusmodi peccatores confluunt, benigne hos accipiunt, et quasi victor capta praeda exultant, perpendentes sibi sortem contigisse, animam de manibus daemonis eripere. Sciunt hoc sacramentum proprie non pro iustis fuisse constitutum, sed pro peccatoribus: etenim veniales culpae, ut remittantur, non indigent sacramentali absolutione, cum multis aliis modis mederi possint; sciunt quoque Christum protestatum fuisse his verbis : Non enim veni vocare iustos, sed peccatores (Mc. II, 17). Propterea confessarius charitatis viscera induens, quo magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis ut Deo ipsas lucrifaciat, maiore charitate eas amplectitur, eisque animum praebet his aut similibus verbis : Eia, frater, bono animo esto, noli timere, peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuae conscientiae sinus non introspexeris : sufficit, si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias, qui te hucusque ad poenitentiam expectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Laetare, quia Deus certe omnia peccata, quantumvis ingentia, remittit, si bonam habeas voluntatem, ideoque te expectavit. ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia, nil involucris tegas.

Charitatem deinde longe maiorem ostendere debet in confessionem excipiendo. Caveat, ne se impatientem aut taedio affectum exhibeat, nec ostendat, admiratione se percelli de peccatis quae narrantur, modo poenitens non sit ita animo durus aut petulans, ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore et sine ulla displicentia animique sensu exponeret; quia tunc opus habet pro viribus efficere, ut a poenitente, quanta sit illorum deformitas et magnitudo, percipiatur; ideoque tunc acrior requiritur correctio, ut ipse a lethali letargo expergefiat. Verum quidem est, quod in actu confessionis abstinere debent confessarii a correctione facienda ne forte exterriti poenitentes peccata reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo... Advertat tamen ne poenitentem exasperet, nec perterreat. Quapropter postquam eum, quantum opus fuerit, correxerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda, dicens : Eia, frater, visne ab hoc vitio resipiscere? Et quoniam hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata, nihil reticens. Cave, quaeso, ne sis sacrilegium commissurus. Hoc enim esset maximum omnium peccatorum quae hucusque commisisti. Igitur dic omnia animo forti, vince teipsum, confitere omnia sincere : Deus enim paratus est tibi parcere.

Deinde, in fine confessionis oportet, ut confessarius vehementiore ardore ac studio incumbat, ut poenitenti percipere faciat grauitatem et multitudinem eius peccatorum, ac miserum damnationis statum, in quo

reperitur; sed hoc semper *maxima cum charitate fiat.* Verumtamen congruentius est tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet ut poenitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex singulari amore et commiseratione erga suam animam procedere. Quod poterit hoc modo exprimi : Fili mi, considerasne vitam damnati, quam duxisti? Percipisne malum, quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contempsisti? Si Iesu Christo nullus tam fuisset tibi inimicitior, potuisses cum illo te gerere peiorem? Sed, quaeso, animadverte, quis sit hic Iesus. Hic est ille qui, cum esset Deus, nullius egens, factus est homo propter te; voluit mori in cruce, ut te de inferno redimeret. Ah, fili, si interim mortuus esses, si hac nocte, quo iturus fuisses? Ubi nunc esses? Esses in aeterno igne inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere, et vide, nisi mores in melius mutes, iam es damnatus. Quid boni tot peccatis tibi collegisti?... Age, fili, averte a malo, desine peccare, et te totum in Dei brachia, quae ad te suscipiendum sunt extensa, committe; sufficit, quantum ei peccasti... Deus enim semper paratus est, et propterea hoc tempus tibi impertitus est, ut avertas a malo et facias bonum. Oh quam bonum est amicum habere Deum... ›

QUAESTIO SECUNDA

De Officiis in Actu Confessionis

Confessarius quandoque debet munus suum exercere, — et tunc tenetur cognoscere causam. — et ferre sententiam.

Ad munus exercendum, oportet scire ex quonam et quandonam ad id obligatur.

Ad cognitionem causae pertinet : 1) ut iudex, per se poenitentem interrogare et iudicium sibi de causa efformare; dein, per accidens et occasionaliter, etiam 2) ut doctor, instruere et monere; 3) ut medicus, remedia praebere; 4) ut pater, disponere et praeparare.

Ad pronuntiationem sententiae, ut minister potestatem clavium et sacramentale iudicium exercens, debet absolutionem concedere, negare aut differre.

De quibus in tribus articulis est dicendum.

Articulus 1

De Obligatione Audiendi Confessiones

1. « Parochi aliique quibus cura animarum vi muneris est demandata, gravi iustitiae obligatione tenentur audiendi sive per se sive per alium confessiones fidelium sibi commissorum, quoties ii audiri rationabiliter petant ». Ita can. 892, § 1. Qui enim curam animarum in se suscipiunt, ad hoc se obligant ex tacito contractu cum subditis suis, a quibus sustentationem vel honorem accipiunt sub conditione ministrandi sacramenta; et cum superiore ecclesiastico, qui non committit alicui curam animarum nisi sub conditione quod munera huius officii fideliter adimpleat : iamvero unum ex his officiis est audire confessiones subditorum.

Hinc, ut discimus ex tractatu de charitate, non solum 1) in *extrema* necessitate, sed etiam 2) in *gravi* necessitate spirituali urgente subditorum, sub gravi tenentur, per se vel per alium, ministrare sacramentum etiam cum periculo vitae; 3) in necessitate autem *communi,* audire confessiones eorum tenentur, quando ipsi *rationabiliter* petunt i. e. propter veram spiritualem utilitatem. Pastor enim debet ovibus praebere pabulum, non solum quando extreme aut graviter, sed etiam quando communiter indigent; alioquin non esset satis illis provisum. Atqui unus ex praecipuis actibus pascendi exercetur in sacramento poenitentiae. Quod ita tamen est intelligendum ut. propter legitimum impedimentum, ad modicum tempus poenitentes remitti possint : cum enim non sit urgens necessitas, lex non obligat cum tanto incommodo. Hinc :

a) *Graviter* peccant, si declarent se nolle confessiones audire nisi raro et paucis diebus determinatis, v. g. semel aut bis quolibet mense; ac *saepe* se difficiles et morosos praebeant in excipiendis confessionibus : sic enim confessio odiosa redditur, et fideles non pauci ab eius praxi deterrentur.

b) Si quis autem semel aut bis, extra urgentem necessitatem, alicuius confessionem audire renuat, etiam sine legitima ratione, non peccat *graviter,* generatim loquendo, quia damnum quod infertur facile reparatur.

c) *Nullomodo* autem *peccat,* si dimittit eos qui nimis frequenter et absque speciali ratione confiteri volunt: hi enim non rationabiliter petunt.

d) Si parochus idoneos coadiutores habet, non tam stricte obligatur ad excipiendas confessiones per seipsum, sed per vicarios huic officio satisfacere potest; nisi *nominatim* requiratur. aut specialis necessitas poenitentis postulet ut confessio a parocho audiatur. Attamen omnino decet ut pastores, hac in re, bonum exemplum vicariis praebeant, confessiones audiendo quoties gravioribus negotiis non sint impediti.

II. « **Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex charitate confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes ». Ita can. 892, § 2.**

Hinc, ut scimus ex tractatu de charitate, 1) si proximus versetur in mortis periculo, ad audiendam confessionem omnes *sacerdotes* sub gravi tenentur etiam cum sat magno incommodo. pro necessitate gravi, imo cum certo periculo propriae vitae, pro necessitate spirituali extrema proximi;

2) si extra mortis periculum, proximus versetur in gravi necessitate spirituali, *confessarii* iurisdictione sufficienti instructi et eam exercere soliti, sub gravi tenentur, deficientibus aliis, cum aliquo detrimento in bonis temporalibus prudenter aestimando; — imo cum gravi incommodo, si *communis* adsit penuria confessariorum;

3) si proximus peccator versetur in necessitate *communi* et confessionem petat, tenetur confessarius audire, dummodo fieri possit sine ullo incommodo nec adsit alius qui opportune possit adiri,

III. **Animadversio.** — Ut pro simplici sacerdote vel confessario gravis adsit obligatio confessiones audiendi cum propriae vitae periculo, tria requiruntur : 1) ut necessitas spiritualis proximi sit moraliter certa nec proinde alius sit qui opem ferat; 2) ut pariter certa vel probabilis sit spes absolvendi moribundum; 3) ut ex morte sacerdotis maiora mala non sequantur, v. g. probabilis damnatio plurium aliorum, si non sit alius sacerdos in hoc loco.

Articulus II

De Officiis ad Absolutionem Praeviis

I. **Confessarius,** *ut iudex,* **ex officio poenitentem quandoque interrogare morali diligentia tenetur, et** quidem per se sub gravi, quoties probabiliter iudicat eum, sive culpabiliter, sive

inculpabiliter, quaedam forsan omittere scitu necessaria ad absolutionem.

Dicitur 1) *quandoque,* nam si ex ipsa confessione vel ex conditione personae poenitentis peccata ex integro et animi dispositiones satis cognoscere existimat, non tenetur interrogare confessarius : tunc enim interrogatio otiosa et odiosa fieret; unde nec rudes interrogandi sunt si videantur satis esse instructi et diligenter confiteri peccata sua cum numero et circumstantiis iuxta statum et captum eorum;

2) *morali diligentia,* quia confessarius solum tenetur interrogare ad supplendum defectum poenitentis. qui ipse non tenetur ad diligentiam maiorem; et ceteroquin diligentia nimia redderet sacramentum onerosum et odiosum;

3) *per se, sub gravi :* agitur enim de re gravi, utpote quae spectat ad poenitentis salutem et ad sacramenti reverentiam; quamvis possit dari tamen negligentia leviter culpabilis, ut si in longa peccatorum serie una vel altera interrogatio praetermitteretur. Sicut iudex perfide agit si credit testem aliquid tacere quod ad causam iudicandam necesse est declarari, illudque interrogare omittit, ac dissimulat; sic confessarius qui in materia gravi deest huic officio, per se graviter delinquit. Quod peccatum pertinet ad genus sacrilegii.

Probatur: a) ex auctoritate Ecclesiae, scii. ex. Cone. Lat. IV, cap. *Omnis utriusque sexus :* « Sacerdos autem sit discretus et prudens... diligenter inquirens, et peccatoris circumstantias, et peccati »; et ex Rit. Rom., tit. III. c. 1. n. 16: « si poenitens numerum, species et circumstantias peccatorum explicatu necesssarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget »;

b) ratione : Confessarius, *ut iudex.* sententiam ferre nequit nisi causam cognoscat, scii, tum peccata, quae poenitens commisit. quoad numerum, speciem, gravitatem, tum eius dispositiones, tum etiam saepe occasiones et causas peccatorum, quas iste dispositus esse debet relinquere vel impugnare. Ad hoc autem saepe non sufficit ut poenitentem audiat, sed requiritur ut eum interroget : haud raro enim poenitens, prae ignorantia, aut oblivione, aut confusione, aut negligentia in examine, aut exigua doloris vel propositi dispositione, peccata vel saltem numerum aut circumstantias peccatorum tacet, saepius nil de dispositionibus dicit aut manifestat, et adhuc

minus de causis et occasionibus peccatorum. Ergo haec scire aliquando nequit confessarius nisi interrogando, et id tenetur facere quoties cognoscit vel rationabiliter dubitat aut praesumit poenitentem ea non satis aperire.

De tribus itaque interrogare tenetur, quae scii, et in quantum necessaria sunt ad procurandam 1) validitatem sacramenti, 2) integritatem confessionis, aut 3) correctionem seu emendationem poenitentis[1].

II. Confessarius, inspecta causa, ex sufficienti accusatione vel, si necesse sit, ex supplementaria interrogatione, *ut index, ex* **officio tenetur prudens de ea sibi efformare iudicium, nempe de peccatis commissis et de dispositionibus poenitentis.**

Probatur: 1° Confessarius *tenetur iudicium efformare de peccatis,* quod necessarium est ad cognoscendum quaenam satisfactiones aut remedia sint imponenda, et an dispositiones poenitentis sint sufficientes. Hinc *debet iudicium ferre de moralitate peccatorum* i. e. de eorum specie et gravitate tum obiectiva tum subiectiva, in quantum possibile est. Et quidem a) de obiectiva moralitate saltem requiritur ut, praeditus habituali scientia principiorum quibus gravitas et diversa peccatorum species distingui possit, poenitentem audiat et audiendo secundum dicta communia principia iudicet; b) de subiectiva moralitate praesumere potest esse eamdem ac obiectiva. nisi Sit specialis ratio dubitandi, quo casu interrogare debet poenitentem: c) de omnibus iudicet quantum possit diligentia ordinaria, nam non semper possibile est de singulis delictis dicere an sint talis speciei vel gravitatis, mortalia vel venialia, quod nec magni possunt theologi: quia saepe res in se difficilis est, et ceteroquin nec ipse poenitens valet semper dicere an plene consenserit: — quodsi praedicta cognitione careret vel ex ignorantia de peccatis falso iudicaret, non ideo invalida esset confessio: d) si autem ob distractionem vel strepitum aut cantum quaedam peccata non audierit, oportet interrogare si probabile sit in istis forsan adesse materiam gravem; e) non tamen tenetur distincte recordari omnia peccata momento absolutionis, sed sufficit quod in confuso recordetur statum poenitentis.

2° Confessarius quoque *tenetur iudicium ferre de sufficien-*

1 De modo quo in praxi interrogandum sit, vide opusculum nostrum : *De variis poenitentium categoriis,* p. i8 sq.

ti dispositione poenitentis, quod necessarium est ad cognoscendum quamnam sententiam pronuntiare debeat, scii, an absolutionem concedere aut denegare: — quae dispositio dignosci valet coniecturalibus signis, de quibus a. 3, η. III.

Quid autem agendum sit confessario qui de sinceritate poenitentis dubitet aut eum noverit vel praesumat peccatum reticere? Resp. : Ipsi attendendum est ad principium : *credendum est poenitenti tam pro se quam contra se dicenti,* nisi certo appareat eum mentiri : iste enim est reus simul et testis, cuius testimonium per se valet solum in hoc tribunali et melius est quam quodcumque aliud, cum melius noverit ipse quam quilibet alius utrum peccaverit vel non, utrum peccatum commissum iam fuerit declaratum vel non. Hinc :

a) si *dubitetur* de sinceritate poenitentis, tenetur confessarius diligenter interrogare, et hortari potest ad perfectam sinceritatem; sed si poenitens perseveret in sua declaratione, credendus est et absolvendus;

b) si poenitentem grave peccatum commissum reticere certo *noverit* confessarius, et quidem *ex experientia propria,* poenitentem convincere debet, et si iste negare pergat, dimittendus est sine absolutione, nisi putari possit esse in bona fide, ignorare gravitatem culpae, aut eam iam confessum esse, aut iustam habere rationem reticendi;

c) si confessarius id noverit *testimonio aliorum,* de peccato tenetur poenitentem specialiter interrogare, sed iste, si negare pergat, est absolvendus, nisi tamen testimonium aliorum esset maioris omnino auctoritatis ita ut faceret veram seu perfectam certitudinem;

d) si confessarius noverit ex *alterius confessione,* v. g. complicis, uxoris, sponsae, etc., non potest illum interrogare nisi generaliter prout interrogare solet, et non specialiter nisi etiam personas eiusdem conditionis ita interrogasset; nec expedit a complice licentiam petere utendi notitia acquisita, quia in casu redderet confessionem odiosam. Poenitenti autem in tacendo perseverante, potest eum absolvere ac si confessionem alterius non excepisset; quia non tenetur uti scientia acquisita in confessione et ex alia parte sacrilegium impedire non potest; — imo videtur teneri absolvere (saltem sub conditione). quia secus frangeret sigillum, cum sat aperte uteretur notitia confessionis ad gubernationem alterius.

S. Alphonsus tamen asserit absolutionem esse denegandam, sed orandum esse aliquatenus et negationem absolutionis esse dissimulandam : ex una parte, ait, sacerdos non frangit sigillum quia nihil manifestat et neutri gravamen causât, ex altera parte reverentiae sacramenti consulit, frustrationem eius impediendo.

III. Confessarius, *ut doctor,* ex officio instruere tenetur poenitentem, quantum possibile est, de iis quae stricte necessaria sunt ad sacramentum rite suscipiendum, nisi absolutio in aliud tempus differri possit; — imo regulariter et per se saltem monere de addiscendis christianis veritatibus, et praeceptis, tum communibus, tum particularibus status, quae poenitens cognoscere debet.

Dicitur 1) tenetur *instruere* seu *docere* quae necessaria sunt ad sacramentum rite suscipiendum; ergo non de omnibus quae poenitens scire tenetur et aliunde discere possit est instruendus, (nisi per accidens ex charitate si aliunde addiscere esset alicui impossibile), sed per se de omnibus quae scire tenetur ad sacramentum *hic et nunc* rite suscipiendum; — excipitur tamen : a) si docere hic et nunc sit impossibile et adsit extrema necessitas suscipiendi sacramentum quod differri non possit; b) si absolutio in aliud tempus possit differri;

2) de aliis veritatibus et obligationibus addiscendis solum tenetur *monere* et quidem *per se* et *regulariter;* quia per accidens potest non teneri si exinde maius malum (pro poenitente aut pro aliis) sequatur.

Probatur : Minister poenitentiae 1) ex officio tenetur procurare validam et fructuosam administrationem, et ideo doctor est ad docendum illa quae ad validam et fructuosam susceptionem sunt necessaria; et 2) cum sacramentum sit ad emendationem et liberationem a peccatis, etiam de addiscendis veritatibus cognoscendis et officiis implendis, ex officio (et non solum sicut quilibet homo ex charitate si fieri possit sine incommodo) tenetur saltem monere inquantum ad finem praedictum conferat, quia ex officio tenetur poenitentem abducere a peccato futuro et ducere in viam salutis. Quod confirmatur auctoritate Rit. Romani, tit. 3. c. 1. n. 14 et 18.

Et sane, cum ad validitatem sacramenti confessarius egeat jurisdictione, vel est poenitentis proprius pastor, vel ex quadam delegatione locum tenet proprii pastoris. Unde ad illum pertinet ex officio subditos docere officia ac obligationes, et media ad defectus vitandos in futurum; imo, cum in ministran-

do sacramento sit minister Ecclesiae, etiam tenetur bonum commune procurare si sit possibile[1].

Hinc debet 1) docere, et quidem ante absolutionem, veritates necessarias ad sacramentum hic et nunc suscipiendum, scii, illas quae necessitate medii ad salutem etiam probabiliter tantum sunt cognitu necessariae, et illas quae pertinent ad dispositiones necessarias contritionis, confessionis, propositi, satisfactionis, quoad substantiam et pro captu uniuscuiusque;

2) item monere de officiis quae ex peccatis declaratis resultant, v. g. quoad restitutionem faciendam, scandalum tollendum aut reparandum, odium deponendum, reconciliationem quaerendam, etc.;

3) monere de addiscendis veritatibus cognitu necessariis necessitate praecepti, et de officiis vitae christianae tum communibus tum particularibus status: a) si ignorantia illorum sit vincibilis vel brevi fiat, b) etiam si sit invincibilis sed monitionis speretur fructus, c) etiam si non speretur fructus sed ignorantia sit in maius detrimentum sive ipsius poenitentis (v. g. quia exponit periculo peccandi vel perseverandi in peccato), sive aliorum aut boni communis[2].

IV. Confessarius, speciatim *ut medicus spiritualis,* ex officio tenetur remedia indicare salutaria ad perseverantiam poenitentis obtinendam et futurum eius lapsum praecavendum.

Probatur: Sacramentum enim poenitentiae etiam institutum est ad sanationem animarum earumque praeservationem a peccatis futuris; et ideo illud a partiali suo fine frustraretur minister, si non indicaret remedia contra peccata futura. « Quamvis poenitentia, ait S. Thomas, q. 12, a. 3, ad 3, ex prima sui institutione sive intentione respiciat praeteritum, tamen ex consequenti futurum respicit, in quantum est medicina praeservans ». Quod confirmatur ex Rit. Rom. tit. 3, c. 1, n. 18.

Ad hoc autem cognoscere oportet (etiam interrogando de iis) causas et occasiones peccatorum, sicut medicus morborum causas investigat; quas causas ceteroquin iam saepius est investigare ad diiudicandas dispositiones poenitentis, inter quas requiritur ut ipse dictas causas vitare aut impugnare velit (ut dictum est η. I). Causas, dico, et occasiones oportet

1 « Licet enim confessarius teneatur ratione sui officii principaliter incumbere bono poenitentis, nihilominus, cum ipse sit pars reipublicae, et in bonum reipublicae christianae minister constitutus, tenetur praeferre bonum publicum bono privato poenitentis. Ita cum Buscinbaum.... Lugo..., Roncaglia..., Salmanticenses... cum Aversa. Dicastillo et aliis communiter » S. Alphonsus, *Th. M.,* l. VI, n. 615.

2 Magis practica de obligatione instruendi et monendi videre poteris in opusculo: *De variis poenitentiunt categoriis,* p. 24 sq.

cognoscere peccatorum a) quia secus non possunt radicitus extirpari, et, nisi extirpentur, malos effectus iterum producent; b) quia pro diversis causis diversa remedia opportuna sunt assignanda : sic v. g. alia remedia sunt indicanda contra luxuriam, sive proveniat ex occasione externa, sive ex interna complexione corporis, sive ex pravis cogitationibus aut tentationibus.

In talibus remediis proponendis confessarius praeter ipsam satisfactionem, non potest strictam obligationem imponere, nisi tamen declaret ea ad quae poenitens iam aliunde teneatur v. g. vitandum proximum periculum peccandi : medici enim, ut talis, est consulere, non praecipere, stricto modo.

Confessarius debet itaque 1) nosse quibus corriguntur pravi habitus, superantur tentationes. et praecaventur relapsus;

2) interrogare poenitentes de peccandi consuetudine, de occasionibus proximis, de tempore, de loco, de personis quibuscum, et quo rerum concursu in peccata prolabi soleant;

3) praescibere remedia apta quae poenitenti magis conveniunt secundum suam conditionem, aetatem, temperamentum, etc.;

4) etiam remedia proportionate gravitati et origini peccatorum sive:

a) generalia, uti sunt frequens oratio, sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae frequens susceptio, praesertim confessio statim post lapsum instituenda, impositio poenitentiae praevie determinatae post relapsum, novissimorum pia consideratio et divinae praesentiae recordatio, conscientiae seria excussio quotidiana cum exploratione causarum peccati et sincerae contritionis et propositi efformatione, electio prudentis confessarii et frequens ad eius consilia recursus, fuga malorum sociorum et aliarum peccandi occasionum, praxis mortificationis, custodia sensuum et castigatio vocis, actus charitatis erga Deum frequenter repetiti, opera misericordiae, devotio erga S. Eucharistiam, Beat. Virg. Mariam. S. Cor lesu, etc.; sive

b) particularia quae unicuique vitio melius et directius opponuntur, v. g.: Illi qui odio tenetur, insinuetur ut quotidie oret pro illo quem odit, et ad memoriam iniuriae reminiscatur contumeliarum quibus ipse Deum affecit. — Illi qui in peccata turpia prolapsus est, iniungatur ut otium vitet, malos socios et occasiones aufugiat. — Illi qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, praescribatur ut non solum vitet occasiones proximas, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili ad resistendum factae sunt tamquam proximae (Cfr. S. Alphonsus, Pr. *Conf.* n. 15-16); at

c) imprimis praestat imponere satisfactiones medicinales; dein remedia insinuare spiritualia;

5) denique corripere etiam fortiter et monita salutis praebere.

6) *Graviter* autem desunt officio confessarii qui praeteritorum peccatorum remissione contenti, novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum prorsus negligunt. Cfr. S. Alphonsus, Pr. *Conf.* n. 6-7.

V. Confessarius, *ut pater,* **generatim tenetur ex charitate, in quantum fieri potest, indispositis apta motiva contritionis proponere et ita eos ad absolutionem praeparare.**

Dicitur 1) *indispositis:* si enim confessarius prudenter iudicet poenitentem bene dispositum esse, stricte ad nihil tenetur, quamvis hortari ad contritionem semper expediat quia exhortatio confessarii prae ceteris est efficax, et saltem breviter hortari potest ad renovandum actum contritionis;

2) *motiva apta,* qualia sunt deformitas peccati, valor divinae gratiae, periculum damnationis, brevitas vitae et periculum mortis, bonitas Dei, amor et beneficia Christi, et similia, pro captu et dispositione uniuscuiusque;

3) *ex charitate,* et non stricte ex officio, quia ad hoc sufficit absolvere illos qui dispositi sunt, indispositos autem potest remittere usquedum disponantur; sed ex charitate tenetur saepius aliter agere;

4) *in quantum fieri potest,* i. e. si adsit fundata spes, et tempus disponendi ad contritionem; nisi tamen in extrema necessitate, in qua grave officium est omnia tentandi etiam cum maximo incommodo.

Probatur: Ex charitate generatim tenemur bonum poenitentis procurare et ab eo grave damnum avertere, saltem si facile fieri possit. Atqui grave damnum incurrit peccator qui sine absolutione dimittitur, cum periculo exponatur diu in statu peccati mortalis manendi, et forsan a confessione deterreatur. Cum autem absolvi nequeat indispositus, in quantum fieri potest confessarius eum disponere debet. Unde Rit. Rom. l. c., n. 18: « ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet remediaque peccatorum tradet ».

Quae obligatio per se est gravis, saltem si proximus sit in gravi necessitate spirituali et sine magno incommodo ad debitam dispositionem induci possit.

Articulus III

De Obligatione Concedendi, Denegandi vel Differendi Absolutionem

I. Postquam confessarius poenitentes interrogaverit, monuerit ac exhortatus fuerit ad contritionem et emendationem.

eorumque dispositionem inspexerit, reperiet alios certo dispositos ad absolutionem recipiendam, alios dubie dispositos, alios denique positive indispositos. Propterea dicit Rituale, tit. 3, c. 1, n. 23: « Videat diligenter quando et quibus conferenda, vel deneganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces ». De quo valent principia sequentia.

II. Absolutio regulariter et per se, et quidem ex iustitia et sub gravi, concedenda est poenitenti gravis peccati reo, qui certo est bene dispositus. Quod principium generale enuntiatur in lure, can. 886 : « Poenitenti certe disposito et absolutionem petenti haec nec deneganda nec differenda est ».

Confessarius enim, excipiendo confessionem, quasi-contractu sese obligat ad sententiam secundum Christi institutionem ferendam. Atqui, iuxta Christi institutionem, bene dispositis per se concedi debet absolutio, cum hoc sacramentum praecise ad remittenda peccata fuerit institutum. Ergo per se debet vi contractus, et ideo ex iustitia, rite dispositos absolvere, qui proinde ius strictum habent ad absolutionem; — et quidem *sub gravi,* si poenitens sit in statu peccati mortdlis, quia gravis iniuria est, cum iniuste maximo bono privatur gratiae sacramentalis.

Dicitur 1) *gravis peccati reo,* quia si sola venialia vel mortalia iam remissa habeat, aliquoties differre poenitentem non est peccatum grave, quia gravis ei iniuria non irrogatur; imo, si id ex rationabili causa fiat, nullum erit peccatum;

2) *qui certo est dispositus,* i. e. moraliter seu quasi certo, certitudine practica et imperfecta, quae omne prudens et grave dubium excludat, ita scii, ut gravis sit ratio id existimandi et nulla sit ratio seria dubitandi. De dispositionibus enim maiorem habere certitudinem saepe est impossibile;

3) *regulariter et per se:* regulariter enim absolutio statim concessa magis prodest quam si differatur, quia gratiam sacramentalem praebet qua efficacius tentationi resistere et virtutem colere poenitens valeat. Attamen aliquando per accidens differri potest absolutio etiam sufficienter disposito : a) ut ante absolutionem urgeatur restitutio aut reparatio quae in praesenti fieri possit; quod est modus aptus explorandi magis et probandi poenitentis dispositionem et certius obti-

nendi officii impletionem; — b) etiam si confessarius ut medicus prudenter iudicet id esse utilius poenitenti, qui tunc esset irrationabiliter invitus; cuius tamen consensus est expetendus, quia dilatio generatim non proderit nisi poenitens ei consentiat. Unde generali regula iam statuitur in iure : « poenitenti certo disposito et absolutionem *petenti* haec... nec differenda est »;

c) solum *ad breve tempus,* v. g. ad aliquot horas, ad diem, ad octo dies aut paulo plus, quia grave est incommodum diu in peccato mortali manere.

III. Indicia positivae dispositionis requiruntur, ut adsit motivum revera grave ad ferendum iudicium vere fundatum aut moraliter certum de sufficienti poenitentis dispositione.

Huiusmodi sunt : 1) debita poenitentis ad confessionem praeparatio, 2) ipsa confessio rite peracta, praesertim si spontanee agitur, v. g. ad facilius vitandum peccatum et obtinendum statum gratiae, 3) affirmatio poenitentis si vera et sincera appareat, 4) modus confitendi, scii, modus evidenter candidus et humilis. Haec sunt *signa ordinaria,* quae scii, per se et in ordinariis adiunctis sufficiunt; at quando adest specialis ratio dubitandi de dispositione aut sinceritate poenitentis, exiguntur graviora *ex specialibus* poenitentis *circumstantiis* deducta, seu *extraordinaria* signa coniecturalia sive uberioris gratiae, sive doloris intensioris, sive firmioris propositi :

A. *Uberioris gratiae,* ut 1) si ex motivo supernatural! et peculiari confiteatur, v. g. occasione praedicationis, vel mortis amici, aut imminentis mali; *2)* si ad confitendum sat magnum incommodum subire debuerit, ut longum iter, lucri diei amissionem, magnum conflictum externum; 3) si confessio *omnino* sponte fiat ex solo impulsu gratiae, *nulla* alia circumstantia externa impellente, praesertim in regionibus ubi fides elanguit et respectus humanus ad sacramenta non impellit.

B. *Doloris intensioris,* v. g. 1) si specialia media (ieiunium, eleemosynas, orationes, missas) adhibuerit ut bonam institueret confessionem: 2) si dicat verba ex corde manantia, aut edat suspiria et fundat lacrymas, quod est signum in pluribus valens, sed non semper certum aut sincerum; 3) si confiteatur cum maiori sinceritate, effusione cordis, v. g. peccata quae prius culpabiliter omiserit; 4) si significet se peccata sua et periculum damnationis melius apprehendere.

C. *Firmioris propositi,* ut 1) si dicat se post peccatum statim poenituisse; 2) si speciatim petat remedia et libenter promittat ea adhibere, aut magnam poenitentiam libenter acceptet; 3) si iam aliquo tempore perseveraverit aut ad hoc diligentiam adhibuerit remediis indicatis, v. g. occasionem fugiendo, pravos libros comburendo, societati pravorum renuntiando; uno verbo, si iam adsit mutatio vitae; 4) si difficilius, i. e.

post notabilem resistentiam, aut rarius in iisdem circumstantiis sit relapsus; 5) si difficilem obligationem iam impleverit, v. g. restitutionem aut famae vel honoris reparationem aut cum inimicis reconciliationem.

IV. Absolutio deneganda est iis qui certo moraliter sunt incapaces aut indigni. Quod est omnino certum, cum in utroque casu absolutio est invalida vel saltem infructuosa; iamvero scienter et volenter administrare sacramentum modo certo invalido aut infructuoso est grave sacrilegium.

Radicaliter incapaces sunt perpetuo amentes, — nondum baptizati, — certo mortui, — nescientes cognitu necessaria necessitate medii, — et illi qui certo non sunt moraliter praesentes.

Incapaces quia indigni indicantur a Rit. Rom., l. c., n. 23 : « Ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt : qui nulla dant signa doloris, — qui odia et inimicitias deponere — aut aliena, si possunt, restituere — aut proximam peccandi occasionem deserere — aut alio modo peccata derelinquere (v. g. pravam consuetudinem aut artem peccaminosam) — et vitam in melius emendare (v. g. adhibendo remedia necessaria) nolunt, — aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant ». Quibus addi possunt modo generali ii omnes qui gravem obligationem sibi notam adimplere nolunt; vel qui integre confiteri peccata sua recusant, nisi gravi ratione ab integritate materiali excusentur. In his enim aut similibus casibus deest essentialis conditio ad validitatem absolutionis requisita, scii, contritio.

Notetur autem confessarium : 1) antequam absolutionem deneget, hortari generatim debere peccatores ad contritionem ut quantum possit eos disponat, et si ferventi exhortatione eos contritos reddat, absolvere possit; — 2) si denegare absolutionem debeat, id nonnisi magna cum charitate et benignis faciat verbis, rationem exponendo cur aliter agere nequeat ac declarando se libenter absolutionem concessurum statim ac poenitens dispositus erit.

V. Differenda regulariter est absolutio iis qui dubie sunt dispositi, nisi gravis ratio urgeat eos sub conditione absolvendi. — Quod est omnino certum, nam per se illicitum est sacramentum exponere periculo nullitatis aut infructuositatis, quia id prohibet reverentia sacramento debita tamquam sacrilegium; — nisi *per accidens,* si adsit ratio gravis et proportionata seu notabilis utilitas proximi statim obtinenda, quia sacramenta sunt propter homines. Quod intelligendum est, dum

confessarius omnem conatum adhibuerit ad obtinendam dispositionem sufficientem, et certa dispositio obtineri nequeat.

Quotiescumque scii, adest periculum nullitatis pro sacramento et periculum notabilis detrimenti pro proximo, et utrumque simul vitari nequit, potius vitandum est periculum proximi et sacramentum nihilominus conferendum sub conditione : sacramenta enim sunt propter homines et lex charitatis in casu gravis necessitatis praevalet legi religionis. Ita autem in sequentibus casibus :

1) in periculo mortis, dum urgeat necessitas hic et nunc absolvendi et non adsit nisi materia dubia, — aut dubia dispositio, — aut subiectum dubie capax, v. g. quia dubium est de eius vita aut sufficienti ad ministrum praesentia:

2) in casu matrimonii mox celebrandi, aut confirmationis mox recipiendae, si dubia sit poenitentis dispositio; item in reditu ad Ecclesiam post Baptismum sub conditione reiteratum

3) in casu quo poenitens dubie dispositus diu careret occasione confitendi;

4) in casu quo poenitens dubie dispositus exponeretur gravi infamiae aut scandalo aliis dando, si non absolutus dimitteretur;

5) si *valde* timendum sit ne dubie dispositus et dimissus in desperationem iniciatur aut ad sacramentum suscipiendum non sit rediturus; non tamen si huius serio minetur, quia potius est signum indispositionis;

6) in dubio de sufficientia materiae quae dubie gravis est, aut de sufficiente aut perfecto usu rationis in poenitente, dum urgeat praeceptum confessionis, aut forsan adsit materia gravis;

7) demum in dubio an minister iam absolverit aut rite, i. e. debita forma, absolverit. Qui casus reduciter ad dubium de conditione subiecti, quia si poenitens iam esset valide absolutus, deesset materia sacramenti, scii, nova confessio.

Itaque *solum sex* sunt *casus ex parte poenitentis,* et *unus ex parte ministri.*

1 Non ita per se, dum urget praeceptum communionis, quia haec potest postponi; — nisi per accidens adsit fundatus timor infamiae vel scandali, ut dicitur sub 40.

VI. Dubie dispositi censentur iuxta S. Leonardum a Portu Mauritio : a) qui eodem aut peiori modo relapsi sunt, quin remedia a confessario praescripta adhibuerint et absque serio conatu emendationis; b) qui frigide tantum respondent se dolere, praesertim si iam saepius relapsi sunt; c) si magnum affectum ad peccatum ostendunt, aut magnam utilitatem ex peccato hauserunt, vel in passionibus satisfaciendis totum studium conferunt; d) quando sunt liberioris et laxioris vitae, aut peccata sua temere excusant, vel cum confessario contentionem et altercationem instituunt, aut de peccato commisso iactare videntur; e) quando ad sacramentum accedunt non spontanee, sed *solum* parentum aliorumve iussu, aut ex mera consuetudine, aut ad aliis placendum, vel ex timore ne famam amittant; f) si recusant poenitentiam moderatam ac viribus proportionatam.

Itaque dubie dispositi stricto sensu dicuntur illi contra quorum dispositionem *ex positivis indiciis* (qualia enumeravimus) gravis suscipio oriatur, quin ex altera parte propter rationes *multo graviores* probabile et prudens iudicium de sufficienti dispositione formari possit.

Dicitur : 1) *ex positivis indiciis;* ergo si contra dispositiones gravi ratione probatas nulla militat *ratio positiva gravis,* vel ratio tantum *levis* et tenuis, tunc poenitens non censetur dubie dispositus, quia in rebus humanis et practicis opinio solide fundata cui nulla ratio gravis opponitur, aequivalet certitudini practicae. Et sic conciliantur opiniones aliquorum, qui contendunt sufficere dispositionem probabilem (intelligendo probabilitatem in sensu stricto philosophico maioris verisimilitudinis), cum opinione S. Alphonsi qui requirit dispositionem moraliter certam;

2) *quin ex altera parte probabile et prudens iudicium de sufficiente dispositione formari possit.* Quamvis enim ex uno alterove motivo, v. g. ex repetito relapsu, gravis suspicio oriri possit, ex altera parte haberi possunt *rationes multo graviores* de sufficiente dispositione, scii, extraordinaria signa contritionis. Opinio autem *notabiliter* probabilior aequivalet practicae certitudini. Tunc ergo absolutio danda est statim et quidem modo absoluto.

VII. Quaeritur sub quanam conditione dubie dispositus sit absolvendus?

Recentiores plures indicant conditionem : *si es dispositus;* cuius ratio assignari potest differentia inter Poenitentiam et alia sacramenta.

Dispositio scii, ad iustificationem necessaria, nempe attritio quae non est de essentia aliorum sacramentorum, est pars necessaria huius sacramenti. et addita absolutioni ut formae, simul cum confessione et satisfactione ipsam materiam sacramenti constituit. Unde sicut alia sacramen-

ta, quando dubium adest de materia, ministrantur sub conditione : si possum, ita hoc sacramentum dubie contrito, sub conditione : si es dispositus. — Hinc etiam sacramentum Poenitentiae non potest esse simul validum et informe seu infructuosum : si enim validum est, dispositio ad iustificationem, scii, attritio adest, ac proinde fructus statim obtinetur.

Plures alii reiiciunt conditionem : si es dispositus, et non admittunt, sicut pro aliis sacramentis, nisi conditionem : si es *capax.*

Existimant contritionem, quae est necessaria pars ad valorem sacramenti Poenitentiae, non esse eamdem ac illa quae est dispositio sufficiens ad iustificationem seu fructum sacramenti (ut explicatur ubi dicitur de effectu contritionis) : primam contritionem aiunt esse illam quae externe manifestari potest et practica certitudine a confessario diiudicari, scii, quae sit interna et sincera, supernaturalis et universalis; sed ut dispositio ad iustificationem requiritur plus, scii, etiam contritio appretiative summa, qua homo ita est dispositus ut peccatum habeat summum malum et efficaciter velit omnia pati potius quam illud committere : hoc autem fugit experimentum humanum nec potest practica certitudine diiudicari, et ideo non pertinet ad signum sensibile sacramenti. Hinc si prior adsit contritio et desit altera, sacramentum erit validum sed infructuosum: adveniente autem altera dispositione, fructum obtinebit et reviviscet.

Exinde concludendum, aiunt, sicut pro aliis sacramentis, absolutionem, numquam esse ministrandam sub conditione : si *es dispositus,* i. e. si habes omnes dispositiones requisitas ad sacramentum; sed sub conditione : si es *capax,* scii, sacramenti suscipiendi, ad quam omnes aliae conditiones ex parte subiecti positae reduci possunt : si vivis, si es baptizatus, si peccasti, si te non absolvi... Formula enim: si es *dispositus,* in casu quo dispositio, scii, contritio appretiative summa, abesset, sacramentum redderet prorsus nullum et eius reviviscentiam in perpetuum impediret; — e contra forma : si es *capax,* sacramentum relinqueret validum in casu quo contritio illa minor adesset quae sufficit, tamquam pars sacramenti, ad valorem, et non adesset illa maior quae requiritur ad fructum, scii, iustificationem; ac proinde, si poenitens postea contritionem appretiative summam eliceret, eo ipso sacramentum revivisceret et poenitens obtineret gratiae effectum eodem modo ac in aliis fit sacramentis. Reviviscentia scii, sacramenti non est impedienda.

In praxi, conclusio praedicta est legitima, etiamsi secunda sententia non sit certa, sed tantum probabilis, uti de facto est. Exinde enim sequitur ad eam in praxi esse attendendum. Nam sacramenta non sunt quocumque modo probabili et incerto, sed modo tutiori et certiori pro bono poenitentis ministranda, et quidem non ita ut eorum effectus impediantur, sed ut hominibus tantum proficiant quantum sit possibile. Et ideo abstinendum est a conditione : si es dispositus, et adhibenda illa alia : si es capax.

Eadem scii, ratio cur dandum sit sacramentum cum periculo Infructuositatis vel et invaliditatis, spiritualis necessitas proximi seu periculum ne privetur gratia ipsi necessaria, est etiam ratio cur non conferatur sub

conditione *si cs dispositus,* ut scii, fructus sacramentalis si non in praesenti saltem in futuro ipsi provenire possit, et ita necessitati eius spirituali conferatur. Melius est enim permittere absentiam fructus praesentis quam reviviscentiam impedire et fructum futurum: quia periculum sacramenti, utpote minus malum, praeferendum est periculo salutis seu boni spiritualis hominum. Et haec videtur esse ratio cur Ecclesia in suis ritualibus de praefata conditione sileat, et quamvis multas conditiones enumeret, huius mentionem nunquam faciat; imo ista in Ecclesia fuerit ignota usque ad saeculum XVIIm.

VIII. Animadversiones. — 1° Si quis poenitens est dubie dispositus, omnes conatus adhibendi sunt ut perducatur ad certam dispositionem; tunc solum sub conditione est absolvendus, si certa dispositio haberi non possit et tamen grave adesset periculum detrimenti spiritualis, quia gratia sacramenti ipsi hic et nunc est necessaria.

2° Non est licitum regulariter aut semper absolvere sub conditione, quia sacramentum poenitentiae institutum est sub forma iudicii; indicium autem regulariter pronuntiari debet modo absoluto.

3° Hinc de sufficientia dispositionum confessarius ex officio iudicare debet, et reprobanda est praxis eorum qui, ad vitandas difficultates, simpliciter absolvunt sub conditione : *si es dispositus.*

QUAESTIO TERTIA

De Officiis post Actum Confessionis

Tria post actum confessionis sunt officia seu obligationes ministri : a) per se :

1) servandi sacramentale sigillum;

2) non utendi, cum gravamine poenitentis. notitia in confessione accepta [1]

1 Aliud est sigillum seu secretum servandum, aliud obligatio non utendi notitia in confessione acquisita, etiam sine laesione secreti. Hoc ultimum a quibusdam parum accurate vocatur sigillum accidentale; imo multi de utroque simul tractant promiscue et sine distinctione. Oportet tamen ea distinguere: sigillum nempe valde strictius obligat quam alterum; praeterea obligatio sigilli est specialis, de qua expresse agit S. Thomas; altera obligatio est generalis non causandi gravamen, quae secundum communia principia declaranda venit, de qua nihil speciale occurrit apud S. Thomam.

b) *per accidens*:

3) supplendi defectus et corrigendi errores.

Articulus I

De Obligatione Sigilli Sacramentalis

S. Th.. Suppi., q. 11.

I. **Sigillum sacramentale,** seu sacramentalis confessionis, est strictissima obligatio sub secreto servandi ea quae in sacramentali confessione seu in ordine ad absolutionem sacramentalem a poenitente declarata sunt, et quorum revelatio aliquo modo manifestaret peccatum et peccatorem et redderet sacramentum onerosum vel odiosum. Vocatur sigillum metaphorice a sigillo quo litteras obsignamus quas volumus esse secretas, estque obligatio celandi audita in confessione. Breviter S. Thomas (a. 3): « sigillum confessionis nihil aliud est quam debitum confessionem celandi ».

Teste can. 889 : « Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem » i. e. personam et peccatum. Strictissima scii, est obligatio sub gravi tacendi extra confessionem peccata quae confessione sacramentali cognita sunt, nisi poenitens licentiam loquendi dederit. Quae obligatio ex triplici oritur iure, tum naturali, tum divino, tum ecclesiastico. Oritur

1° *ex iure naturali:* a) quia inter confessarium et poenitentem intercedit pactum implicitum, vi cuius hic peccata sua confitetur nonnisi sub conditione secretum servandi perfecte; hoc est autem secretum commissum ex iustitia servandum; b) insuper lex naturalis prohibet ne alterius fama iniuste laedatur;

2° *ex iure divino,* quia Christus implicite voluit sacramentum poenitentiae ita ministrari ut fideles ab eo non arcerentur; ad hoc autem oportet confessionem esse secretam pro peccatis secretis. Qui enim vult finem vult media. Christus ergo voluit ea sine quibus confessio stare non potest. Atqui confessio stare non potest sine sigillo stricto. Ergo;

3° *ex iure ecclesiastico,* uti constat ex Conc. Lat. IV, c. 21, et ex canone 889 supra citato [1].

Notetur autem argumentationem S. Thomae in statuenda thesi ad hoc reduci posse : Nunquam licitum est agere contra significationem sacramenti, quia id est violatio sacramenti, et ideo sacrilegium contra reverentiam ipsi ut a Christo instituto debitam. Atqui per confessionem significatur peccata esse tegenda. Ergo vi institutionis sacerdos celare tenetur. *Prob. min. :* Quae exterius aguntur in sacramentis sunt signa eorum quae interius contingunt : ita confessio est signum interioris subiectionis qua quis Deo subiicitur. Sed Deus illius qui se subiicit peccata tegit quasi nunquam fuissent. Ergo et hoc in sacramento Poenitentiae debet significari (q. 11, a. 1).

Insuper notetur doctrina S. Thomae : « Illud quod sub confessione scitur est quasi nescitum, cum illud non sciat aliquis ut homo sed ut Deus » (a. 1, ad 1). Hinc

a) « si praecipiatur... quod dicat si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere, quia debet existimare quod intentio praecipientis est, si sciat ut homo; hoc autem non scit ut homo. Et, si etiam exprimeret de confessione, interrogatus non debet dicere..., quia non est subiectus superiori suo nisi ut homo; hoc autem non scit ut homo sed ut Deus » (ad 2);

b) « Homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, et ideo sine laesione conscientiae potest iurare se nescire quod scit tantum ut Deus » (ad 3);

c) « Potest autem confitens facere ut sacerdos illud quod sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum; et ideo si dicat, non frangit sigillum confessionis; tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli reputetur » (a. 4).

d) « Illud quod homo alias scit sive ante confessionem, sive post, non tenetur celare quantum ad id quod scit ut homo; potest enim dicere : scio illud quia vidi. Tenetur tamen celare illud in quantum scit ut Deus; non enim potest dicere : ego audivi illud in confessione. Tamen propter scandalum vitandum, debet abstinere ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas » (a. 5).

II. Natura obligationis. — Obligatio sigilli est religionis simul et iustitiae : religionis, quia illam exigit reverentia sacramento debita, quod alias fidelibus odiosum foret; iustitiae, quia protegit ius poenitentis, tum ad famam, tum maxime ne

[1] Lex sigilli, in primitiva Ecclesia, non eodem rigore declarabatur sicut nunc fieri solet. Satisfactio enim publice implebatur, etiam pro delictis occultis, vel et absolutio publice dabatur; quod primo intuitu videri posset incompossibile cum lege sigilli. At fideles illo tempore eam non tam stricte urgebant, nec videbant eius incompossibilitatem cum publicitate poenitentiae, ex hoc quod publicitas fiebat in familia et quod omnes peccatores sumus, ut ait Tertullianus. Poenitentia hoc tempore erat res socialis, non individualis. Unde in casu non aderat diffamatio iniusta; secus et in ipsa confessione potuisset videri diffamatio, praesertim quod nondum solebant confiteri venialia.

laedatur revelando secretum commissum. Unde violatio sigilli duplicem semper malitiam importat : sacrilegii ob laesam reverentiam sacramento debitam, et iniustitiae ob violatum pactum initum cum poenitente vel et ob laesam famam. Sigillum stricte urget, ita ut nullam admittat exceptionem, et in nullo unquam casu relaxari valeat sine *certo* et prorsus *libero* consensu poenitentis, qui de iure suo cedere potest, cum secretum in eius favorem institutum fuerit: — qui consensus non potest praesumi sed indubiis signis explicite (verbis) vel implicite (factis) debet dari, nec vi, dolo, precibus importunis aut metu reverentiali esse extortus, nec postea revocatus. Consensus tamen non debet esse spontaneus, sed a confessario potest peti ob gravem causam.

Hinc nullus finis, quantumvis bonus et utilis, violationem sigilli, sive ante sive post mortem poenitentis, sine eius licentia excusat : nec bonum confessarii sive temporale (v. g. ad vitam servandam aut in sui defensionem), sive spirituale (v. g. ut ipse integre confiteatur), — nec bonum ipsius poenitentis vel tertii (etiam ad vitandum damnum maius[1], v. g. ut alteruter corrigatur aut innocens declaretur), — nec bonum ipsius Reipublicae[2] (v. g. in casu proditoris, ad interitum Reipublicae praecavendum), — nec bonum religionis (ad impediendum ne sacramentum Eucharistiae, Ordinis, Matrimonii, indigne recipiatur, imo ne haeresis vel schisma in partem Ecclesiae spargetur). Nulla enim causa boni assequendi vel mali vitandi istud malum odii erga sacramentum ad salutem omnino necessarium compensare potest. Agitur quippe de bono spirituali totius Ecclesiae in servanda frequentatione huius sacramenti ad salutem omnium instituti, quod praeponderat omni alii bono[3].

Unde, etiam in dubio an adsit periculum revelationis seu frangendi sigillum, sive sit iuris (v. g. an aliquid cadat sub sigillo), sive sit facti (v. g. an aliquid iam sit aliunde cognitum, aut dictum fuerit in ordine ad confessionem), standum erit pro tutiore parte, etiam si altera sit probabilior, quia non agitur de sola honestate sed de damno spirituali totius communitatis omnibus mediis cavendo.

Casus tamen quo confessarius noverit grave damnum sibi, vel tertio, vel Reipublicae aut Ecclesiae imminere, poenitentem monere potest et debet ut per se vel per alium illud damnum impediat (v. g. reum su-

1 Ita Innocentius XI, 18 nov. 1682.

2 Clemens VIII, 26 maii 1593.

3 Itaque a sigillo multum differt secretum naturale, 1) quia huius laesio per se non est sacrilegium; 2) quia per se admittit levitatem materiae; 3) quia obligatio eius in quibusdam casibus cessare potest.

period manifestando vel complicem a delicto avertendo), et recusanti id facere, absolutionem denegare potest utpote indisposito; sed secretum revelare absque poenitentis licentia non poterit unquam.

III. Radix obligationis. — Oritur obligatio sigilli ex omni et sola confessione sacramentali facta ad se accusandum ministro Ecclesiae, ut tali, vel et ad absolutionem obtinendam, sive completa sive inchoata, valida aut invalida; — etiam si absolutio, quacumque de causa, non fuerit concessa, aut confessio sit sacrilega (v. g. sine dolore aut proposito), vel tantum existimata (v. g. bona fide facta apud illum qui non habet potestatem). Cum enim sigillum sit in favorem poenitentis, obligatio sigilli oritur ex eo quod ex parte sui posuerit necessaria ad confessionem sacramentalem eamque ad absolutionem ordinaverit. Hinc non oritur sigillum

1) si quis scienter confiteatur ministro non legitimo, v. g. laico vel sacerdoti iurisdictione carenti:

2) si apud ministrum legitimum confessionem simulatam instituat alia de causa, v. g. *unice* ad confessarium decipiendum vel irridendum, ad eleemosynam obtinendum aut consilium petendum, ad extorquendum testimonium confessionis, vel ad confessarium seducendum, sine intentione sacramenti suscipiendi;

3) si in confessione declaret aliquid ad confessionem non pertinens, sed omnino extrinsecum.

In his circumstantiis potest existere secretum naturale; quod si aliquis sub conditione sigilli quid communicet sacerdoti et conditio ab isto acceptetur, non tamen adest obligatio sigilli sed secretum naturale promissum : tunc scii. « tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in confessione habeat, quamvis sub sigillo confessionis non habeat » (q. 11. a. 2, ad 2).

IV. Subiectum sigilli sunt omnes illi qui ex confessione sacramentali, sive immediate sive mediate, sive licite sive illicite, notitiam habeant rei sub sigillo comprehensae seu aliquid audierint : per se et primo confessarius. secundario et per participationem omnes ad quos, casu vel industria, confessionis notitia pervenit. Cum enim omnes illi confessionis sacramentalis secreti participes fuerunt, etiam obligationis, illud servandi participes sunt, (Cfr. Can. 889, § 2). Et quidem :

A. *immediate notitiam habent :* 1) confessarius. sive verus sive fictus etiam laicus, verus per se, fictus vero per accidens;

2) confessarius, qui extra confessionem a poenitente consulter de peccatis accusandis in confessione *sibi* facienda, quia iam est inchoata confessio;

3) interpres adhibitus in confessione peragenda, communicans scii, in ipso actu confessionis, vel ille qui alterius peccata confitenda, saltem intra confessionem, conscribit;

4) adstantes et vicini confessionem audientes sive casu sive ex industria, imo omnes qui conantur audire confitentem eo ipso rei sunt violationis sigilli; non tamen illi coram quibus poenitens. dum se audiri advertens, loquitur altius et publice confitetur;

B. *mediate notitiam habent :* 1) superior cui de iure se sistit provisorie absolutus a reservatis, vel a quo extra confessionem petitur facultas absolvendi reservata;

2) consultus theologus ad quem casus conscientiae cum licentia poenitentis refertur : est enim particeps secreti;

3) ii omnes qui a confessario vel ab aliis audierint sacrilege. aut imprudenter, aut legitime, peccata in confessione accusata, seu quibus sive confessarius, sive alius quilibet, notitiam habens, aliquid sub sigillo cadens monstraverit; imo

4) qui legerit confessionem alterius scriptam, si scriptura fuerit de facto *medium* confessionis, v. g. si chartam legerit sive in actu accusationis, dum poenitens actu ea utitur, sive iam confessario traditam, dum in manu eius versatur, sive a confessario amissam, aut post absolutionem in confessionali relictam; item qui litteras legerit, directas superiori pro facultate a reservatis.

C. E contra *non tenentur sigillo :* 1) qui legit chartam in qua poenitens sua peccata descripserit per modum examinis conscientiae, aut medii ad memoriam iuvandam aut ad facilius faciendam confessionem, qua scii, ante confessionem usus est vel quam conservavit postea : est enim mera praeparatio ad confessionem et solum remote et per accidens ordinatur ad confessionem;

2) is quem confessarius consulit de licentia poenitentis, sed circa confessionem *alteri* faciendam, vel qui confessionem scribit extra confessionem;

3) ipse poenitens : obligatio enim sigilli est in favorem poenitentis.

Tenentur tamen ilii *secreto naturali,* etiam ipse poenitens, qui tacere debet illa ex quibus vel infamia, vel confusio, aut damnum, sine iusta ratione iniuste fieret confessario.

V. Obiectum seu materia sigilli sunt generatim omnia quae confessione sacramentali sunt cognita et quorum revelatio peccatorem prodere potest; porro sigillum potest ad aliquid se extendere sive directe sive indirecte, per se vel per accidens :

A. *Directe et per se* sigillum se extendit ad omne et solum id quod in ordine ad confessionem sacramentalem manifestatum est. scii. :

1) ipsa *peccata* declarata omnia, etiam levissima, vel solum materialia, etiam cogitata et non impleta, interna et externa, praeterita aut futura patranda : mortalia etiam in genere, venialia in tali specie, vel in gravitate aut multitudine sat notabili; secreta et etiam publica *ut* confessa. Nam ait S. Thomas, q. 11, a. 5, ad 1 : « Confessarius potest loqui de furtis notorii iuris iam aliunde sibi notis, sed non potest dicere : fur confessus est mihi sua furta, quia nullo casu dicere potest se aliquid audivisse in confessione »;

2) *peccatorum obtecta,* ut esse possunt peccata aliena, v. g. si quis dicat se mala locutum esse de puella gravida, de furto aut homicidio Titii, se imprecatum fuisse filio ebrioso aut virginis defloratori, se matrem odisse propter adulterium, patrem despexisse propter tenacitatem;

3) *circumstantiae,* ut tales, etiam post absolutionem declaratae. quae sunt vel existimantur necessariae aut utiles ad peccati manifestationem, v. g. theatri frequentatio, pravorum librorum lectio, nobilitatis iactantia, quantitas furti : ita occasiones, tentationes, fines peccati;

4) *complices peccati* qui. legitime aut imprudenter, aliquomodo manifestantur, v. g. feci furtum cum fratre. Hinc confessarius complicem, sine poenitentis licentia, non potest prodere.

B. *Indirecte sed per se sub sigillo* cadunt : omnia quae *de se* ducere possunt in notitiam peccati, ut a poenitente declarati, vel peccatoris, scii. :

1) *probrosa* absolutionis denegatio, qualis non est ex defectu materiae aut quia consuetudo est non statim absolvendi;

2) indispositio poenitentis;

3) satisfactio imposita, nisi sit levissima, quia est occasio suspicandi poenitentem reum esse mortalium vel multorum venialium;

4) consilium petitum vel datum, si nexum habeat cum confessione, v. g. ad defectum corrigendum.

C. Alia per *se nullo modo* cadunt sub sigillo; quandoque tamen per *accidens* cadere possunt. Ita :

1) peccata commissa in confessione, v. g. impatientiae, contumeliae in confessarium;

2) peccata poenitentis aut aliorum ut *aliunde* cognita; nisi tamen minus certa ex confessione confirmata, vel minus accurata complete declarata fuerint;

3) ipsa confessio et absolutionis collatio;

4) virtutes, charismata et dona Dei, aut bona opera;

5) meri defectus naturales aut morales sive corporis sive animi.

Haec tamen possunt esse obiectum secreti naturalis, ut si clam accedendo poenitens verbo vel facto significaverit se nolle cognosci quod sit confessus; — imo per *accidens* possunt esse materia sigilli, sive directe : si ut circumstantiae peccatorum fuerunt declarata (y. g. abusQs aut ingratitudinis), sive indirecte ex adiunctis suspicionem ingerere possunt de peccatis aut statu poenitentis, aut de statu aliorum. Ita si aliquis reveletur confessus, qui clam accesserat, aut ad confessarium extraordinarium (v. g. religiosus), aut ad illum qui speciali gaudet facultate v. g. absolvendi a reservatis, aut is qui non soleat multum confiteri et accesserit die quo mos non sit, quia adest suspicio peccati gravioris, vel saltem non ordinarii; item si dicatur quis sola levia confessum, si graviora habeat accusanda, propter suspicionem sell, sacrilegii aut reticentiae; item si unus vel alter laudetur et absolutus proferatur, dum de aliis nil dicatur : tunc enim de aliis facile oritur suspicio.

VI. Violatio sigilli alia est directa seu immediata, alia indirecta seu mediata. *Directa* fit expresse revelando id quod est materia sigilli et simul sufficienter designando personam quae id fecit. Ad quod tamen necesse non est sive a) ut persona sit ab audientibus nota, dummodo sit sufficienter determinata seu designata, sive b) ut audientes sciant sacerdotem loqui de rebus in confessione auditis, sed sufficit ut revera ita loquatur. Ita v. g. : Titius mortalia confessus est, aut homicidium commisit — Petrus non est absolutus — praefectus talis urbis adulterium commisit — primus quem audivi hodie adulterium confessus est, si audientes possint

cognoscere. Haec est peccatum *mortale ex genere toto,* quod *nullam admittit materiae levitatem* : directa enim manifestatio etiam venialium valde odiosa est poenitentibus et eos a sacramento arceret; proinde laesione directa sigilli in materia levi, gravis fit iniuria sacramento.

Indirecta violatio fit aliquid dicendo aut faciendo vel omittendo, ex quo alii cognoscere vel suspicari possunt id quod est obiectum sigilli, cum probabili periculo notam faciendi vel suspectam personam quae id fecit. Non tam est formalis violatio sigilli quam violationis periculum, scii, cognoscendi simul peccatum et peccatorem. Ad quod non requiritur ut audientes cognoscant personam aut suspicentur, sed ut prudenter suspicio fieri possit. Haec est peccatum *mortale ex genere suo, quod tamen aliquando materiae levitatem admittit,* quando scii, periculum cognoscendi materiam sigilli et sacramentum reddendi odiosum, est exiguum et valde remotum.

VII. Modi indirecti violandi sigillum sive verbis sive factis sunt varii pro variis adiunctis. Quorum aliquos referimus ex probatis auctoribus.

A. *Verbis* : 1) Si confessarius, narrando aliquod factum ex confessione, tales memorat circumstantias, ut poenitens facile ex iis dignosci possit. Notissimum est exemplum parochi, qui post 25 annos sacerdotii narrat iii societate, primum poenitentem sibi confessum esse adulterium; paulo post intrat vir et narrat omnibus audientibus : Fui primus tuus poenitens.

2) Si, auditis paucorum confessionibus, dicit se tale grave peccatum audivisse, licet celet personam, dummodo poenitentes cognosci possint ab iis quibus narratur peccatum : singuli enim ex illa revelatione aliquam suspicionem contra se patiuntur.

3) Si. ex iis quae sola confessione noverit, dicit de communitate (collegio, conventu, pago, oppido, regione, ordine religioso) peccatum relative gravius, aut relative multo plura, aut omnino specialia vitia, praeter ea quae noscantur ibi committi, etiam excluso omni periculo suspicionis de personis determinatis in particulari : suspicio enim nihilominus est de singulis, vel saltem minor existimatio aut infamia et dedecus redundat in totam communitatem, ideoque in poenitentes quatenus sunt membra communitatis; et detrimentum est eo gravius, quod res authentico testimonio confessarii confirmatur.

Itaque qui dicit se in tali conventu audivisse grave peccatum, aut in tali ordine religioso committi gravia peccata, quae ex sola confessione cognoscit; et ille qui asserit in parvo loco (3.000 circiter personarum, aut minus) vitium occultum dominari, vel morbum venereum, aut talia perpetrari gravia crimina, quae ex confessione cognoscit, v. g. multa sacrilegia aut furta; et qui de loco paulo maiore narrat peccatum infamans vel crimen enorme, uti sunt incestus aut sodomia; — non autem si gravia narraret solum de religiosis in genere, aut de ordine, si qui esset numerosior et notorie relaxatus, vel etiam maiora diceret de magnis urbibus, in quibus talia etiam committuntur.

4) Si poenitentem tam alta voce alloquitur aut arguit, ut circumstantes ab eius responsionibus, vel monitionibus intelligant quid poenitens sit confessus, aut eum graviter peccasse.

5) Si non a primo initio sed in progressu confessionis, surdo poenitenti dicit alta voce : *redi,* vel aliquid simile.

6) Si dicit aliquem sibi, ut confessario extraordinario aut maioribus praedito facultatibus, confessum esse, aut ad eum clam accessisse, aut se tali absolutionem denegasse, vel (nisi mos alicubi esset generalis) nondum absolvisse eum, aut nonnisi post experimentum, seu ad tempus remisisse, vel nondum completam recepisse eius confessionem, vel ei gravem poenitentiam imposuisse; nam exinde infertur adfuisse grave crimen.

7) Si, comparando plures poenitentes, vel explicite, vel implicite (ut fratres vel condiscipulos), unum vel duos laudat, v. g. de puritate conscientiae aut de eo quod sola venialia afferat, sed de aliis nihil dicit : tunc enim saepius ingeret suspicionem materiae cuiusdam momenti, aut mortalis peccati, aut indispositionis.

8) Si parentes vel superiores poenitentis admonet, ut specialiter in iis circumstantiis, v. g. tali loco vel tempore, vigilent.

9) Si loquitur cum alio confessario de peccato quod poenitens utrique confessus est.

B. *Factis* : 1) Si confessarius sedens in confessionali assurgit et modo quem adstantes observare possunt, legit tabellam casuum reservatorum.

2) Si gestu visibili, gemitu, exclamatione manifestat mirationem vel tristitiam.

3) Si audita confessione, statim ab ecclesia discedit, nil

sollicitus de poenitentis communione, quae alias esset verisimilis.

4) Si testimonium confessionis denegat poenitenti, qui coram aliis petit, aut in circumstantiis in quibus concedi omnibus solet; de quo vide in art. seq.

5) Si, audita confessione, mutat modum agendi erga poenitentem, ubi id ab aliis perspicitur qui exinde suspicari possint aliquod determinatum aut gravius peccatum fuisse declaratum; de quo rursus in art. seq.

VIII. Animadversiones. — 1. In iure ecclesiastico, secundum can. 1757. § 3, ut *incapaces* repelluntur a testimonio ferendo: « sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt ».

2. Iuxta can. 2369 : a) Confessarius qui sigillum sacramentale *directe violare praesumpserit,* incurrit *ipso facto* excommunicationem *specialissimo* modo Sedi Apostolicae reservatam.

b) Qui vero *indirecte* tantum violaverit sigillum, obnoxius est poenis *ferendae sententiae* iisdem ac confessarii ad turpia sollicitantes (can. 2368, § 1), nempe suspensioni, aut etiam inhabilitati ad excipiendas confessiones, privationi beneficiorum, dignitatum, ac vocis activae et passivae, imo, in casu graviore, degradationi.

c) *Temeraria,* ac proin conscia, violatio sigilli ab interprete aut ab aliis omnibus ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenit, pro reatus gravitate punienda statuitur salutaris poena *(ferendae sententiae),* quae etiam excommunicatio esse potest.

3. Ne sigillum indirecte frangatur, praestat semper eodem modo respondere. Ita interrogatus de peccatis, dicat se nil audivisse aut cognoscere; — interrogatus de absolutione data, dicat : functus sum officio meo, vel : suntne tales interrogationes faciendae?; — interrogatus de communione ministranda (v. g. in hospitali), dicat: interroga poenitentem an communicare velit.

Articulus II

De Obligatione non utendi Notitia in Confessione acquisita

I. A propria dicta violatione sigilli differt usus exterior cuiuscumque scientiae ex confessione habitae, qui etiam adesse potest absque eo quod aliquid reveletur, dum violatio proprie dicta semper fit cum aliqua directa vel indirecta reve-

latione eorum quae sub sigillo cadunt. Qui usus, absque licentia poenitentis, *generatim* illicitus est, quia per se aut per accidens posset confusionem, verecundiam, malam suspicionem, vel aliquod nocumentum, dedecus, molestiam, damnum aut quodcumque gravamen generare poenitenti vel alteri (Clemens VIII, 26 mail 1593; Innoc. XI. 18 Nov. 1682); non solum

a) si adsit periculum revelationis directae vel indirectae; sed etiam

b) si exinde sequatur gravamen morale aut materiale poenitentis vel alterius, et ideo odium sacramenti, quod etiam verum est si ex non usu multo gravius damnum poenitentis sequeretur (Innoc. XI, 18 Nov. 1682); et

c) si suspicio oriatur violati sigilli, et ideo scandalum.

Aliis in casibus autem potest confessarius hac sua scientia uti, quia non est proprie fractio sigilli nec per se repugnat sigillo.

Hinc can. 890 : « 1. Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo.

2. Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt ».

Porro praedictus usus illegitimus est peccatum *mortale ex genere suo,* quia ex natura sua natum est magnum gravamen et grave scandalum causare, et ita sacramentum reddere valde odiosum; admittit tamen *levitatem materiae,* v. g. si gravamen exinde oriens est valde mediocre.

II. Exinde facile statuuntur sequentes regulae circa usum notitiae ex confessione haustae :

A. *Quantum ad ipsum poenitentem* ut talem :

1) Illicitum est extra confessionem alloqui poenitentem de rebus ex confessione cognitis, nisi cum eius licentia : id causât verecundiam et odiosum reddit sacramentum.

2) E contra licitum est, a) si poenitens prius loquatur, quia implicite dat licentiam,

b) statim post absolutionem, quia iudicium moraliter continuatur,

c) in confessionibus sequentibus, ubi sacerdos est minister Dei, si aliquo modo utile sit poenitenti vel expediat ad rectitudinem confessionis praesentis: status enim praeteritus aliquam relationem habet ad rectitudinem iudicii praesentis.

3) Illicitum est revelare peccata in confessione commissa (etiam non accusata), defectus naturales aut morales, corporis aut animae, ex sola confessione manifestatos, imo dona ex sola confessione cognita, si sit cum gravamine poenitentis: v. g. esse spurium, eunuchum, ficte nobilem, de gente ludaeorum aut magorum, pauperem, debitis gravatum, ignorantem, incapacem, minus expertum in arte, rudem, hebetem, scrupulosum casu quo id non in laudem poenitentis cadat; — e contra licitum est. si etiam extra confessionem cognoscatur, v. g. esse balbutiem, claudum, surdum, aut esse talis conditionis.

B. Quantum *ad exteriorem gubernationem*:

1) *Superiores* non possunt uti notitia in confessione acquisita, etiam si non appareat quod ex tali notitia se dirigant, et quin poenitens id advertat: est in gravamen poenitentium. si noscerent id licere.

Ita uti notitia non possunt ad removendum indignum ab officio, ad negandum ei suffragium electionis, ad negandum peccatori sacramenta, aut matrimonii assistendam ob impedimentum, ad auferendas ei claves, ad ancillam gravidam vel furta committentem eiiciendam, ad denuntiandum aut inquisitionem instituendam.

2) Item ipse *confessarius* non potest poenitentem infestis oculis aspicere, minus amice quam antea alloqui, sua agendi ratione manifestare se de peccatis recordari, eumque minoris quam antea facere, eum corripere, dure alloqui, severum vultum ei ostendere.

Imo nec ideo recusare confitentem audire, quia ex confessione praecedente sciverit illum esse molestum, scrupulosum, conscientia intricatum, tenuitur dispositum, nisi habeat causam externam distinctam a confessione. v. g. si communiter nosceretur poenitens esse nimis prolixus in confitendo, aut ob aliud motivum id faceret. Potest tamen confessarius eum dimittere Initio confessionis, si non sit dispositus aut irrationabiliter petat; item potest in confessione eum admonere ne se deinceps accersat.

3) Hinc non est interrogandus confessarius a parentibus, magistris, etc, de moribus suorum poenitentium; nec consulendus ubi agitur de admissione ad religionem vel promotione ad Ordines, sed solam sacramentorum frequentiam testetür.

C. Quantum *ad mores exclusive proprios*:

1) *Confessarius* potest, propter notitiam confessionis, mores suos reformare, melius fungi officio, pro poenitente orare coram Deo, aut benignius erga eum agere, consulere libros aut sapientes, temperare rigorem, in interrogationibus se dirigere, sibi praecavere a periculo et occasionibus damni spiritualis aut temporalis uti morte, insidiis, aut veneno, diligentius invigilare gregi, alios instruere aut *in generali* monere ut sibi caveant, imo abstinere a celebratione missae in ecclesia violata aut cum vino venenato, dummodo nullam notionem aliis det peccati accusati aut eius accusationis, neque gravamen poenitenti inferat, v. g. *quia* alii non exinde sed *aliunde* sciunt, aut alio praetextu sacerdos abstinet vel recedit. In dubio tamen petatur licentia poenitentis.

Ita, etsi poenitens vel alii forte advertant, id oriri ex scientia confessionis. « Ratio est, ait Haine, o. c., q. 117, quia nullum inde vel pudorem vel incommodum patitur poenitens, nec ob id rationabiliter retraherentur homines a confessione, nec denique actio vel omissio confessarii est revelatio sigilli, cum supponatur ita indifferens, ut alias ignari inde in notitiam peccatorum confessorum venire non possint. Unde si in notitiam veniant, id potius oritur ex praevia quam habent scientia, quam ex actione vel omissione confessarii ».

Revera casus, qui praeberet difficultatem, potius est metaphysicus, ait Lugo, de Poen., disp. 23, n. 110, cum nunquam deerit medium haec pericula evadendi vel de licentia poenitentis vel ex quodam praetextu.

2) *Concionatores* possunt loqui de iis quibus non cogitassent nisi confessionem excepissent; non tamen de peccatis particularibus poenitentium in parvis communitatibus.

III. Animadversiones. — 1. *De schedula confessionis danda vel neganda* notetur: a) talis schedula semper dari potest iis omnibus qui vere intendunt confessionem sacramentalem, sive absolutis sive non absolutis; — b) schedula denegari nequit poenitenti indisposito, qui vere confessus est, si eam extra confessionem petit; quia ita confessarius uteretur notitia confessionis cum gravamine poenitentis; — c) item denegari nequit poenitenti in confessione eam petenti, dummodo poenitens versetur in circumstantiis in quibus dari soleat, quia indirecte esset violatio sigilli, cum revelaretur poenitentem non esse rite confessum; — d) denegari debet semper illis qui confessionem simulant, etiam si fiat ad schedulam obtinendam: tunc enim nulla adest obligatio sigilli, imo confessarius tribuendo schedulam, mendaciter diceret poenitentem esse confessum; posset tamen ob gravia incommoda dicere talem ad se accessisse aut eum in confessionali audivisse; — e) testimonium absolutionis concessae nequit scribi pro illo qui absolutus non fuit, quia esset mentiri; si tamen schedula typis impressa imprudenter exhiberet testimonium absolutionis, tradi deberet et illi qui non fuit absolutus, saltem si generatim tradi soleat, aut ipse publice petat: ita propter sigillum; nec confessarius

mentiretur, sed materialem actum tradendi (vel signandi) schedulam solum poneret propter rationem proportionate gravem, in circumstantiis quae sufficienter indicant restrictionem.

2. *De consilio exquirendo.* — Si confessarius in casu difficili consilio indiget: a) recurrere potest ad theologum cui poenitens omnino ignotus est; — b) si id fieri nequeat, casum ita proponat ut periculum revelationis evitet, i. e. tamquam fictum, omittendo adiuncta non necessaria, ex quo ignorari posset poenitens, et admiscendo falsa quae rei substantiam non mutant; — c) vel, si ita non commode fiat, petat a poenitente licentiam consilium capiendi et cum alio loquendi de re ad confessionem pertinente; — d) si vero haec denegetur, nec ullo modo possit declinare periculum revelationis, ad alium confessarium eum remittat, aut si id aegre fieri possit, studio et oratione diligenter adhibitis, in Deo confidat et difficultatem, meliore quo possit modo, ipse solvat.

3. *De colloquio circa audita in confessione.* — Ne confessarii facile exponantur periculo illicite utendi notitia confessionis, et fractores sigilli habeantur, ex maiori prudentia statuit S. Officium generatim ne de rebus confessis *ut talibus* inter se colloquerentur aut publice sermonem facerent. Ita in instructione 9 iun. 1915, quae tamen non probatur habere rationem strictae legis, cum nullo modo referatur in Act. S. Sedis, neque in adnotationibus Codicis, neque in Codicis iuris Fontibus. At saltem continet gravissimum monitum.

Articulus III

De Obligatione supplendi Defectus seu corrigendi Errores

I. Triplex defectus seu error occurrere potest: 1) **vel error** vitiat ipsum *valorem* sacramenti, v. g. oblivio absolutionis, invalida forma, indispositio poenitentis, carentia jurisdictionis; — vel 2) error offendit meram *integritatem* confessionis aut sacramenti, v. g. interrogatio debita omissa de specie aut numero peccatorum, non iniuncta satisfactio; — vel 3) error spectat *obligationes* poenitentis et infert damnum poenitenti aut tertio, v. g. occasio proxima quae non removetur, imposita restitutio indebita, non imposita debita restitutio.

II. Error invalidans sacramentum et poenitenti graviter damnosus, de se et regulariter est corrigendus et quidem sub gravi et ex iustitia; imo etiam cum gravi incommodo, si ex gravi culpa confessarii commissus fuit. Nam confessarius. ex quasi contractu cum poenitente et ideo ex iustitia, tenetur recte disposito absolutionem impertiri: ex charitate quidem audit confessionem, sed semel audita, iam ex iustitia obligatur ad reliqua praestanda necessaria. Ergo si erravit quoad valo-

rem sacramenti, ex iustitia corrigere, si possit, tenetur, et si ex gravi culpa erravit, etiam cum magno incommodo : tunc enim est iniustus damnificator, et consequenter ad reparandum grave damnum iniuste illatum tenetur etiam cum gravi incommodo; — secus sine gravi incommodo, nisi tamen poenitens esset in gravi periculo moriendi in statu peccati, ut si versaretur in articulo mortis vel in probabili periculo non amplius confitendi, quo casu etiam cum gravi incommodo obligaretur confessarius. sed ex charitate.

Iustitia itaque non semper aequali modo obligat, sed laesa ex culpa strictius obligat quam laesa sine culpa, sicut apparet in casu detentoris bona vel mala fide rei alienae quoad restitutionem. Unde gravitas obligationis sicut et incommodi subeundi mensuranda est, tum ex gravitate damni, tum ex gravitate culpabilitatis aut negligentiae.

Principium supponit 1) errorem poenitenti esse adhuc graviter damnosum; nam si damnum leve est, v. g. quia poenitens mortalia non accusaverat, vel si damnum non perseverat, quia poenitens alium confessarium adiit a quo valide fuit absolutus, aut quia alio modo justificatus fuit (scii. Extrema Unctione vel contritione perfecta), iam non urget obligatio;

2) errorem provenire ex parte confessarii; nam si error ex culpa poenitentis proveniat, quia v. g. scienter erat indispositus, confessarius tenetur quidem ad reparandum damnum ut cooperator, sed non tam stricte, — excepto casu extremae necessitatis, — quia poenitens sibi aliter providere posset, novam confessionem instituendo.

III. Modus aptus reparandi defectum diversus est :

1° Si *propter defectum iurisdictionis* sacramentum sit invalidum, confessarius inducat poenitentem ut iterum confiteatur, et, si ad id necesse sit, de invaliditate absolutionis moneat, etiam non praevie a poenitente obtenta licentia loquendi de confessione : cum enim ratio nullitatis exclusive sit ex parte confessarii, non ex defectu poenitentis, nullus ibi est usus de rebus in confessione auditis.

2° Si *propter omissionem aut defectum absolutionis,* et a) immediate vel brevi post confessionem id detegatur ac poenitens sit adhuc moraliter praesens, potest iterum absolvi, etiam absque praevia monitione, dummodo constet eum esse rite dispositum; b) et si nimis distet, ad sacrum tribunal revocetur, dum absque incommodo fieri possit; secus ipse confessarius poenitentem adeat et absolvat; c) si vero error reparatus non fuerit immediate aut post breve tempus, confessarius inducat poenitentem ut iterum confiteatur; eum hortetur ut doleat non solum de accusatis in praesenti confessione, sed et de praeteritis, praesertim de accusatis in ultima confessione; eumque rite absolvat.

3° Si *ob indispositionem poenitentis,* confessarius adeat poenitentem et eum inducat ut iterum confiteatur sicut dictum est; quod si id fieri efficaciter nequeat, confessarius obtenta prius licentia poenitentis cum

eo loquendi de re ad confessionem spectante, eum de invaliditate moneat, ut error reparari possit.

IV. **In casu erroris attingentis solam integritatem sacramenti** : 1) Si confessarius *negative* impedivit integritatem ex omissione (sive ex oblivione sive ex culpabili negligentia), non tenetur damnum reparare aut poenitentem monere extra confessionem, quia obligatio procurandi integritatem confessarium afficit tamquam ministrum sacramenti, i. e. infra confessionem, et ex alia parte monitio extra confessionem de se et generatim molesta est poenitenti; — in alia confessione tamen, ubi confessarius est medicus spiritualis et minister sacramenti, error est corrigendus si fieri potest sine magno incommodo.

2) Si *positive* impedivit integritatem, tenetur confessarius monere etiam extra confessionem (prius obtenta poenitentis licentia), dummodo possit absque scandalo et gravi incommodo, et magis stricte si culpabiliter erraverit quam si inculpabiliter.

Ratio est quia unusquisque tenetur reparare damnum quod positive intulit, ac eius causam removere quam posuit; tenetur scii, ne ex sua actione positiva alii damnum capiant, etiam ex peccato materiali. Non tamen cum gravi incommodo, quia si grave damnum poenitentem a servanda, a fortiori confessarium a procuranda integritate excusat; inde paulo minor causa excusabit illum inculpabiliter errantem. Et de facto raro tenetur corrigere confessarius.

V. **In casu erroris qui infert damnum poenitenti vel tertio** simile valet principium ac in casu praecedenti :

A) Si *negative* erraverit per omissionem, *ex officio* tenetur erga poenitentem confessarius, etiam extra confessionem, ad monendum et corrigendum, si ex illa omissione poenitens movetur ad credendum licitum et faciendum quod est illicitum vel in damnum tertii : strictius vel minus stricte, cum maiori vel minori incommodo, secundum gravitatem damni et culpabilitatis. *Non* autem ex *iustitia* tenetur ad reparandum damnum tertii, quia confessarius ex officio procurare bonum tertii non tenetur.

B) Si autem *positive* in errorem induxerit poenitentem, v. g. si pronuntiaverit interrogatus confessarius esse restituendum, ubi nulla existebat restituendi obligatio, aut e converso; et

1) error fuerit culpabilis (v. g. ex malitia, ignorantia vinci-

bili, gravi negligentia), tenetur confessarius *ex iustitia,* etiam extra confessionem, et in materia gravi sub gravi, reparare et restituere sive poenitenti sive tertio : fuit enim positive cooperans damno alterius per consilium;

2) si error fuerit inculpabilis, item tenetur confessarius, si possit absque gravi incommodo, reparare: quod si non faciat, restituere debebit.

Ratio est quia tenetur unusquisque; ex iustitia, non solum ad non inferendum damnum proximo directe et de industria, sed etiam ad procurandum ne ex sua actione obveniat proximo damnum; quodsi errorem dum possit non corrigat, ad restituendum tenetur ratione omissae retractationis, quae est vere causa damni iniusta et efficax qua istud fit voluntarium et culpabile. Tenetur autem solum absque gravi incommodo, quia damnum non oritur ex iniusta laesione, cum actio fuerit inculpabilis.

CAPUT V

DE ABUSU POTESTATIS CONFESSARII

Pluribus modis potestate sua abuti potest minister : inquirendo nomen complicis, absolvendo indignos vel dignos repellendo, satisfactionem indebitam exigendo aut non exigendo congruam, violando sigillum, etc., qui, data occasione, per decursum tratatûs de Poenitentia examinari solent; nunc autem speciatim venit dicendum de duplici abusu ab auctoritate ecclesiastica specialius prohibito, nimirum : 1) de absolutione complicis in peccato turpi; 2) de sollicitatione poenitentis ad turpia.

QUAESTIO PRIMA

De Absolutione Complicis in Peccato turpi

I. Ad vitandum ne confessarii sua potestate abuti valerent ad liberius peccandum, statuit Benedictus XIV cuilibet confessario extra mortis periculum deesse facultatem absolvendi proprium in peccato turpi complicem, huiusque absolutionem, extra casum extremae necessitatis, prohibuit sub poena excommunicationis.

« Singulis sacerdotibus tam *saecularibus* quam *regularibus... interdicimus* et prohibemus ne aliquis eorum extra *casum extremae necessitatis,* nimirum ipsius mortis articulo et *deficiente tunc quoque alio sacerdote,* qui confessarii munus obire

possit, confessionem sacramentalem personae *complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum decalogi praeceptum commisso* excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam: adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, *nulla atque irrita omnino sit.* tamquam impertita a sacerdote qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus. Et nihilominus, si quis confessarius secus facere ausus fuerit, maioris quoque *excommunicationis poenam a qua absolvendi potestatem* Nobis solis nostrisque successoribus dumtaxat *reservamus, ipso [acto incurrat* ».

Ita in Bulla *Sacramentum Poenitentiae* 1 iunii 1741: quod in Constit. *Apostolici Muneris* 28 febr. 1745, et *Inter praeteritos* 28 nov. 1749 confirmavit atque magis explicavit[1]. Codex luris autem id ratum habuit, can. 884 :

« Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae,* 1 iunii 1741 »; — et can. 2367 :

« 1) Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

2) Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est ».

Ista disciplina statuta fuit ad duplicem finem : nempe tum ad tuendam sanctitatem sacri tribunalis, seu ad removendam a sacramento omnem occasionem turpitudinis et indecentiae atque contemptus: — tum ad occurrendum animarum periculis.

1 Documenta ista, sicut et alia responsa S. Sedis in praesenti et sequenti quaestione attendenda, legi possunt apud De Smet : *De absolutione complicis et sollicitatione.*

scii, ad vitandum periculum seductionis et relapsûs in idem peccatum, et ad praecavendum detrimentum poenitentis ex minore verecundia vel ex defectu seriae detestationis aut propositi obtinendum.

Porro ad explicandum quid statutum est, declarare oportet quid sit 1) peccatum turpe, 2) complex, 3) absolvere.

II. Peccatum turpe est intelligendum sine restrictione : *quodlibet* peccatum luxuriae, i. e. contra castitatem et sextum praeceptum, non solum perfectum et consummatum, sed etiam imperfectum et inchoatum, uti sunt tactus, oscula, amplexus, imo turpiloquia et aspectus, ut declavarit S. Off. 28 maii 1873, dummodo sint stricte luxuriosa et complicitatem importent; — non tamen peccata contra alias virtutes et praecepta. Unde complicem absolvere in peccato iniustitiae, v. g. in homicidio aut in furto, speciatim non prohibetur: licet etiam talis absolutio indecens sit.

Oportet autem peccatum luxuriae sit a) grave, b) externum, c) nondum directe remissum :

a) *Grave,* tum obiective tum subiective, materialiter scii, et formaliter.

Excluduntur itaque peccata levia sive ex imperfectione actûs, sive ex conscientia erronea, sive ex levitate materiae, dum agitur de luxuria voluntaria solummodo in causa. Unde si puer ex conscientia erronea certo existimet tactus a sacerdote impudice patratos non esse grave peccatum, posset absolvi ab hoc sacerdote.

b) *Externum,* ita ut peccatum tum internum tum externum sit grave, et etiam ut id, qua tale, scii, in ratione actus externi sit graviter peccaminosum.

Quapropter excluduntur peccata mere interna delectationis morosae et desiderii, et externa sub omni respectu venialia, et etiam gravia sed quorum malitia gravis non plene exterius manifestatur. Hinc si oscula vel tactus ex interno affectu luxurioso habita, ut externa non sint in se graviter mala, et affectus libidinosus ex quo fiunt non plene manifestetur exterius, possunt absolvi.

c) *Non directe remissum;* unde si peccatum iam *rite* fuerit accusatum et valide remissum *directa* absolutione, ita ut iam sit *materia* confessionis *libera,* potest sacerdos ab illo absolvere (S. Off. 29 maii 1867).

Quamvis tamen suadendum omnino sit ne unquam, nisi cogente necessitate, audiat sui complicis confessionem, propter periculum tentationis vel irreverentiae erga sacramentum.

III. Complex est socius et quasi implexus in peccato turpi. Qui intelligendus est *sine restrictione,* cuiuscumque sexus, aetatis, et conditionis : quilibet, sive masculus sive femina, sive puber sive impuber, dummodo sit capax peccati gravis; imo et persona quacum ante susceptum sacerdotium sacerdos peccaverat, ut declaravit S. Off. 22 ian. 1879. Et ideo hic invalide absolvit complicem, qui generalem peccatorum confessionem instituit, si confessiones anteactae certo fuerint sacrilegae, aut etiam simpliciter invalidae.

Ad complicitatem autem requiritur :

1) *Peccatum mutuum,* scii, ut uterque interius et exterius idem grave peccatum contra castitatem commiserit; seu consensus duorum in idem peccatum turpe grave et externum, sive uterque cooperetur, ut in mutuis colloquiis et amplexibus, sive unus tantum operetur, v. g. tactu, dummodo alter externe simul et interne consentiat : qui consensus sufficienter adesse praesumitur si nullo modo resistat.

Hinc non cadit sub lege : a) actus qui est mortalis ex una parte, venialis tantum ex altera; b) neque actus externe levis quamvis interne gravis ex utraque parte; c) neque actus, quantumcumque gravis, cui alter non consentit, imo cui consensum externum non praebuit, quamquam interne consentiat.

2) *Complicitas formalis* : a) *eodem tempore peccati;* nam in casu peccati cum dormiente, invito, totaliter ebrio, amente, aut turpitudinem peccati ex conscientia erronea ignorante seu bona fide non attendente, etiam si in errorem inductus fuerit a confessario, non adest complicitas;

b) *tempore absolutionis;* nam 1° si confessarius durante absolutione non agnoscit suum complicem, vel 2° si dubitat et, prudenter interrogando in quantum sine propriae infamiae vel poenitentis scandali periculo id potuerit, dubium removere non potest, vel 3° si sacerdos nullo modo (neque in actu peccati, neque postea) est cognitus ut sacerdos, sed poenitens omnino ignorat suum complicem esse sacerdotem, valida et licita est absolutio. Tunc scii, non adest potestatis abusus quem Ecclesia prohibet.

Nihil tamen refert si confessarius uti complex non sit in confessione a poenitente cognitus, dummodo verificetur se complicem vere esse, et confessarius illum sciat, et nihilominus absolvat : in hoc casu absolutio est invalida.

IV. Conditionibus praedictis positis, absolutio, imo confessio, est invalida propter privationem jurisdictionis; at ipsa

absolutio requiritur, vera vel ficta, non sola confessio, ut excommunicatio incurratur. Unde

1) haec poena non *incurritur* a) si sacerdos tantum audivit confessionem complicis, dummodo non absolvat nec absolvere fingat; b) si poenitens peccatum complicitatis sua sponte reticuit in confessione aut inculpabili oblivione, licet id absolventem non fugiat. Privatio enim jurisdictionis et adnexa excommunicatio, est in ordine ad peccatum turpe in quo confessarius complex fuit (S. Poen. 16 maii 1877);

2) *incurritur* autem *excommunicatio :* a) si sacerdos se absolvere, coram ipso *poenitente,* simulet et fingat, uti nunc certum est ex S. Poen. 9 iul. 1751, 1 mart. 1878 et 19 febr. 1896, et S. Off. 10 dec. 1883, et a Codice ratum, can. 2367 § 1 : ita v. g. si sine intentione absolvat vel formam substantialiter corrumpat, vel orationem quamdam et alia verba pronuntiando, aut tacendo, videatur poenitenti per signum aut gestum absolvere; non autem si poenitentem praemonitum cum sola benedictione dimittat, dissimulando adstantibus; b) si confessarius induxit poenitentem complicem ad non confitendum peccatum complicitatis, sive directe monendo ut taceat, sive indirecte persuadendo actum non fuisse graviter malum, vel non esse necessario accusandum, utpote v. g. ipsi iam notum.

Imo, ex recenti declaratione S. Officii. 16 nov. 1934, indirecte inducens etiam censendus est « confessarius qui, sive intra sive extra confessionem sacramentalem, alicui persuaserit in turpibus inter se *patrandis* aut nullum aut certe non grave inesse peccatum eumque consequenter, de aliis tantum sibi postea confitentem sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere ». Quo excommunicatio iam extenditur ultra casum complicitatis in peccato gravi.

V. Animadversio. — Ut statuta disciplina vigeat, *oportet casum esse certum* et excludere omne fundatum dubium iuris et facti; secus applicanda est regula : in dubio odiosa sunt restringenda. Requiritur ergo ut certum sit peccatum turpe, certo grave, et ut tale, certo externum, certo mutuum, et certa complicitas in illud.

Hinc casus complicitatis in peccato turpi *probabiliter* non adest, nec ideo in praxi attendendus :

1) si dubium est an poenitens graviter peccaverit;

2) si adfuit simplex conniventia, ex eo quod alter non impediverit peccatum quod ex officio impedire non debet, aut approbatio auditi sermonis turpis, quae alios sermones turpes non excitaverit;

3) si complex non est socius immediate in ipso actu turpi seu peccato secundum se libidinoso, sed tantum in sola conventione turpi de seducenda muliere, quae revera non seducitur, vel in sola permissione aut invitatione turpi peccandi cum coniuge aut prole, quae tamen non corrumpitur : non sufficit scii, sola cooperatio ad peccatum turpe alterius;

4) si complices sunt in actu externo ex obiecto veniali (ut est pressio manus, osculum leve, tactus momentaneus, vel amplexus in parte honesta). etsi utrimque interne fiat ex affectu vel intentione turpi, dummodo nullam adiunctam habeat circumstantiam impudicam externam, aut manifestationem qua affectus aut intentio impudicitiae externe sufficienter innotescat.

VI. Absolutio complicis non est, ut aliqui putaverunt, peccatum reservatum, quia non solum habetur restrictio, sed ablatio potestatis : lex enim inhabilitans facit ut confessarius *omni* iurisdictione careat erga complicem peccatum turpe accusantem (vel culpabiliter tacentem), ac ipsa absolutio *complicis* qua talis et non solum *peccati complicitatis* sit irrita, ita ut non detur valida absolutio neque directa aliorum peccatorum, nec proinde indirecta peccati complicitatis.

Ita non solum secundum tenorem can. 884, sed etiam secundum praecedentes Constitutiones.

Omnino clarum est ex verbis supra citatis Constitutionis benedictinae, quae aufert « *quamcumque* iurisdictionem ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam, adeo ut absolutio... nulla atque irrita *omnino* sit, tamquam impertita a sacerdote qui *iurisdictione... ad valide absolvendum omnino privatus* existit », imo qui « nec *confessionem* dicti complicis huiusmodi valet excipere eique sacramentalem absolutionem elargiri, cum ad hunc effectum et in hoc casu *nullus* confessarius, utpote qui (non solum) in huiusmodi *peccati* (sed in huiusmodi) et *poenitentis genere* iurisdictione et absolvendi facultate privatus existit, habendus sit pro confessario *legitimo et approbato* ».

Clarius adhuc in Constit. *Inter praeteritos :* « Quemcumque confessarium *omni* auctoritate et iurisdictione *absolvendi personam* complicem in peccato turpi et inhonesto contra 6um decalogi praeceptum privavimus, adeo ut absolutio ab eodem data nulla atque invalida sit, tamquam ab eo data qui a Nobis iurisdictione ad absolvendum necessaria in eo casu privatus est ».

Et in Instr. S. Off. 20 febr. 1867 : « Sacerdoti cuilibet *omnis* facultas et iurisdictio *ad sacramentales confessiones personae* complicis... excipiendas adimitur ».

Unde et in instructionibus a S. Poenitentiaria datis, pro sacerdotibus a censura propter absolutionem complicis absolvendis, occurrit clausula ut complex sacerdos moneat poenitentem « de nullitate praeteritarum absolutionum », et quidem sine illa restrictione, aut distinctione inter casum bonae vel malae fidei ex parte poenitentis; imo ex eo quod poenitens dicitur monendus, potius supponitur bona fides.

Et haec etiam vera manent post Codicem promulgatum qui eodem

sensu repetit, can. 884 : « Absolutio *complicis* in peccato turpi *invalida* est, praeterquam in mortis periculo ».

Quibus quidam obiiciunt verba S. Poenitentiariae supra laudata, 16 maii 1877 : privationem iurisdictionis « esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo confessarius complex fuit ». At immerito. Non enim ibi negatur privatio iurisdictionis. sed affirmatur; non dicitur privationem iurisdictionis afficere solum peccatum complicitatis, sed absolutionem complicis in ordine ad ipsum peccatum complicitatis, ita ut tota iurisdictione privetur confessarius et ad omne peccatum, sed unice intuitu et ratione peccati complicitatis i. e. quando illud peccatum accusatur.

Ceteroquin non posset S. Poenitentiaria legem S. Officii aut Constitutionis benedictinae temperare propria auctoritate, et sine speciali interventu S. Pontificis, de quo in casu nil refertur. Et etiam finis legis hos omnes casus comprehendi expostulat; secus enim enervaretur lex. ita ut in pluribus casibus iam posset absolutio dari indirecte.[4]

Hinc, si in urgente necessitate, poenitens complex non valeret sacram communionem omittere sine gravi scandalo aut infamia, nec posset adire alium confessarium. simplici actu contritionis perfectae contentus, deberet ad sacram communionem accedere, nec posset a complici sacerdote absolvi.

VII. Exceptio datur pro necessitate extrema, i. e. in mortis articulo, — et etiam in probabili mortis periculo prudenter existimato quod articulo in iure aequiparatur[5] —, si deest alius sacerdos, etiam non approbatus, qui sine gravi aliqua exoritura infamia aut scandalo vocari aut accedere possit, et cui poeni-

[4] Verba allata Constitutionum Ben. XIV ita clara sunt, ut ante dictum resp. S. Poenit., quod immerito ansam praebuit alicui haesitationi ac benigniori apud quosdam interpretationi, sententia negans quamcumque iurisdictionem in complicem « *communis* fuerit inter theologos » (Aertnijs, *Th. Mor.,* II, η. 250). Unde non intelligimus quomodo P. Vermeersch scribere potuerit *(Th. Mor.,* Ill, n. 499): « Noi.din ... severius nunc putat respondendum esse cum canon invalidam declaret absolutionem ipsius complicis, et non tantum peccati; sed secundum praecedentes Constitutiones intelligi potest canon qui ad easdem remittit ». Severius est respondendum non solum secundum tenorem canonis 884. sed et secundum praecedentes Constitutiones. Hinc adhuc minus intelligimus cur in nova editione operis Noldin, huius sententiam P. Schmitt immutaverit. Ait quidem : codex hac in re nihil mutavit, ergo secundum can. 6, § 2, interpretationes antiquae valent. Ergo controversia antea existons non solvitur sed adest dubium iuris *(Zeitschrift fiir Kath. Theol.,* 1934. p. 150). Sed. sicut ante codicem, Noldin sententiam oppositam nullatenus probabilem habebat, ita nec post codicem iudicaret illam probabilem, nec diceret esse dubium iuris. Nil in hac re est mutatum. — Sane non sufficit ut quidam aliquam sententiam propugnent sine ullo fundamento, et contra quam militant gravissima argumenta; non sufficit, inquam, ut ista possit dici vere probabilis, et vere adsit dubium iuris.

[5] Id iam ex ipso Codice patet, qui fert can. 884: « in mortis periculo », can. autem 2367: « in mortis articulo ».

tens confiteri velit : tunc enim perinde est ac si alius sacerdos revera deficeret, ait Benedictus XIV in Const. *Apostolici Muneris.*

In hoc igitur periculo, absolutio *ex parte confessarii* non est licita, nec poena excommunicationis vitatur, nisi desit alius sacerdos qui *sine magno incommodo* vocari possit, quique moribundi confessionem excipere non detrectet (v. g. ob nimiam familiaritatem cum poenitente quae est ei consanguinea aut famula), et cui poenitens confiteri non renuat.

Excusationis causa erit :

1) si infirmus a confessario, ei Viaticum deferente, publice petat ut suam excipere velit confessionem, quia confessarius, sine scandalo et infamiae periculo (maxime si esset parochus) hoc recusare nequiret;

2) si moribundus, absque ulla confessarii complicis culpa, omnino renuat apud alium sacerdotem confiteri;

3) si sine periculo infamiae aut scandali, aut sacrilegae confessionis, sacerdos complex discedere, aut alius vocari vel accedere, non posset;

4) etiam probabiliter, si non adsit nisi sacerdos *notorie* suspensus vel excommunicatus : talis enim non videtur esse *qui confessarii munus obire possit;* et ceteroquin non facile sine infamia aut scandalo advocaretur.

E contra, *absolutio est illicita, et excommunicatio incurritur :*

1) si, praesente alio sacerdote non impedito vel facile advocando, sacerdos complex absolvat;

2) si alius sacerdos vocari possit, sed sacerdos complex periculum infamiae vel scandali confingat ubi non est;

3) si sacerdos complex, quantum in se est, opportuna media non adhibeat ut periculum infamiae vel scandalum non sequatur, et alteri sacerdoti locus pateat confessionis (Const. *Apostolici muneris),* v. g. sub aliquo praetextu non adveniendo, vel a domo discedendo, morbum fingendo, poenitentem praemonendo, alium sacerdotem ad infirmum mittendo, etc.;

4) si adsit sacerdos qui non ipse propriae exponeretur infamiae, sed apud quem complex sacerdos infamaretur : respectu unius vel non datur infamia, vel eam aliquantam debet complex sustinere ob culpam commissam; secus vix evenire posset ut, praesente sacerdote, confessarius complicem absolvere non posset.

Semper tamen *valida* est absolutio in periculo mortis, ne hac occasione scii, aliquis pereat (Const. *Apostolici muneris).*

Periculum mortis est quicumque casus graviter periculosus sive ab intrinseco, ex infirmitate vel partu, sive ab extrinseco, ex navigatione *valde* periculosa, praelio instante, percussione illata. Periclitantibus, *ex privilegio,* aequipari possunt militiae adscript! qui in statu bellicae convocationis seu mobilisationis sunt constituti (S. Poenit. 29 maii 1915); item, *ex natura rei,* qui versantur in periculo amentiae perpetuae.

Nunc autem plures. ulterius progressi, *ex epichia,* periculo mortis aequiparari volunt casum poenitentis qui in regione longinqua, v. g. Missionum, valde timeret ne unquam aut nonnisi post longissimum tempus confessarium habere posset, nisi complici confiteretur. At in Constitutionibus Benedicti XIV solus casus mortis periculi excipitur, item in Codice luris, quamvis tamen occurrentia in regionibus missionum ab ipsis ignorari non potuerint: « absolutio *invalida* est *praeterquam in mortis periculo* », ait codex; quid clarius?

Exceptio igitur extendenda non videtur ad alios casus, praeter illos qui communiter censentur aequivalere morti. Interpretatio, etiam si esset multorum theologorum aut canonistarum, non sufficit ad sensum legis restringendum vel extendendum, sed id potest sola interpretatio authentica; praesertim quod epichiae non solet dari locus in legibus irritantibus propter bonum commune. Nullum ergo adest positivum fundamentum pro sententia indulgentiore, quae proinde non est solide probabilis.

Imo, ad bonum commune omnino importat ut missionarii, qui, ob speciales circumstantias, maiori exponuntur periculo, non sibi nimiam noscant facilitatem absolvendi complicem et effugiendi consequentias sui peccati ’.

VIII. Poena statuta est excommunicatio specialissimo modo Summa Pontifici reservata, ex qua sequitur *irregularitas* (can. 2261, § 1). Ad poenam contrahendam requiruntur:

a) *ex parte delicti:* absolutio vera vel ficta illius qui accusavit peccatum complicitatis nondum directe remissum, aut qui illud tacet dum a sacerdote complici ad hoc fuit inductus;

b) *ex parte delinquentis :* conscientia gravis peccati, et notitia censurae, ita tamen ut ignorantia crassa vel supina ab ea non excuset (S. Off. 13 ian. 1892, ad 3; can. 2229). Aegre dari potest ignorantia quoad existentiam censurae; facilius quoad extensionem eius, quatenus bona fide existimari possit casum adesse quo complicem absolvere sit licitum.

1 Sacerdos complex facile praevidere poterit casum et Romae recurrere ut, tacito nomine, et ficta indicatione residentiae, facultatem obtineat absolvendi complicem; ceteroquin, etiam in sententia aliorum, si praeviderit casum, ad id tenetur.

A dicta excommunicatione regulariter absolvit sola Sedes Apostolica; at in periculo mortis et in casu urgentiore etiam potest absolvere simplex confessarius. sed tantum cum onere, sub poena reincidentiae. recurrendi, saltem infra mensem, ad S. Sedem, etiam si recursus sit hic et nunc impossibilis (Can. 2252, 2254. 2367). Unde rigorosius tractatur casus, quam peccata reservata propter censuram.

IX. **Corollaria.** — Ex praedictis sequitur:

1. Sacerdos qui initio confessionis non cognoscit complicem, sed tamen ante absolutionem agnoscit, hunc monere debet de defectu iurisdictionis et eum dimittere: ideo enim ipse nullam infamationem incurrit.

2. Qui in articulo mortis *illegitime,* i. e. non impedito alio sacerdote, complicis confessionem incepit excipere, alteri sacerdoti locum cedere tenetur et ab absolvendo abstinere; imo *etiam* si *legitime* inceperit, deficiente alio confessario, et talis superveniat aut mortis periculum iam transierit, debet cessare, dummodo id fieri possit sine graviori incommodo.

3. Qui complicem in mortis periculo, urgente necessitate, absolvit, non potest, periculo transacto, excipere confessionem ad integrandam accusationem, si peccatum complicitatis adhuc maneat accusandum.

4. Qui dubitat an poenitens sit complex, debet inquirere et interrogare in quantum prudentia permittat; quod si nil faciat ad dubium solvendum, complicem invalide absolvit, et excommunicationem non effugit, quia ignorantia est crassa et supina (S. Off. 13 ian. 1892).

X. Sacerdos qui complicem indebite absolvit, recurrere debet, per se vel per alium, v. g. confessarium. **ad S. Poenitentiariam.**

Ad hoc, *ficto nomine,* casus exponatur cum omnibus circumstantiis, quae ad rem faciunt, nimirum *quot* personas complices et *quoties* sacerdos absolvere attentaverit: an sit parochus, vel curam habens animarum, vel merus confessarius: an unam vel plures *irregularitates* contraxerit ex violatione censurae per celebrationem Missae vel exercitium solemne Ordinis sacri: an *alias iam acceperit rescriptum* gratiae pro absolutione ab huiusmodi crimine; an iam fuerit in casu urgente *absolutus.*

5. Poenitentiaria autem *praescribet:*

1. ut omnis, quantum possit, removeatur occasio peccandi cum complice;

2. ut ab audiendis personae complicis confessionibus, quantum citra grave scandalum potest, abstineat confessarius complex;

3. ut poenitentem complicem, si iterum ad ipsum accesserit, ad alium confessarium remittat ac de nullitate praeteritarum confessionum moneat;

4. ut, praeter poenitentiam sacramentalem, aliam iuridicam gravem vel et diuturnam, ipsi rescripto impositam vel a confessario imponendam impleat; et interdum, etiam ut exercitia spiritualia peragat;

5. denique, aliquando ut officium confessarii infra praefinitum tempus dimittat; non tamen semper.

XI. Ipse poenitens complex nullam censuram, aut poenam, aut reservationem per se incurrit.

Benigne a confessario excipiatur huiusmodi persona, ut propriam miseriam confiteri non erubescat; et repetitis confessionibus apud complicem invalide peractis, amotaque occasione peccandi, absoluta dimittatur. At, ab ulteriori reditu ad confessarium complicem, quantum fieri potest, avertatur (ut praescribit S. Poen. 16 maii 1877), etiamsi lex de fugienda occasione proxima id forsan in casu non absolute requirat.

Quod si insuper, occasione confessionis, ad peccatum sollicitata fuisset, valeret quaestio sequens.

QUAESTIO SECUNDA

De Sollicitatione Poenitentis ad Turpia

I. Ad sanctitatem sacramenti Poenitentiae tuendam, legislatio ecclesiastica alium abusum speciali disciplina ac poenis profligavit, nempe crimen sollicitationis ad turpia.

Gregorius XV. Const. *Universi* 30 Aug. 1622, disciplinam contra sollicitantes in Hispania a Pio IV, 17 apr. 1561, et in Lusitania a Paulo V, 16 sept. 1608 iam inductam, ad universum orbem extendit, poenas infligendas augendo et accuratius determinando, ac onus imponendo denuntiandi sollicitantes. Quod onus denuntiandi S. Officium sub poena excommunicationis urgere cepit, 3 ian. 1623 et 10 mart. 1677; atque declaravit etiam valere pro Orientalibus, 13 iun. 1710. Benedictus vero XIV, in Const. *Sacramentum Poenitentiae* 1 iun. 1741, praescriptiones Gregorii XV cum decretis S. Officii renovavit et ordinatius proposuit, simulque addidit novam dispositionem contra falsos denuntiantes, quos reservation! specialissimae voluit esse obnoxios.

Mandat scii. Ordinariis procedere « contra omnes et singulos sacerdotes tam saeculares quam regulares,... qui

aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare et provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam tentaverint, aut cum iis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint. Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad audiendas confessiones constituti teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere... de obligatione denuntiandi inquisitoribus, sive locorum Ordinariis praedictis, personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio a confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit ».

Quae omnia confirmata fuerunt a Codice luris canonici :

Can. 904 : « Ad normam Constitutionum apostolicarum et nominatim Constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae* 1 iun. 1741, debet poenitens sacerdotem reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel S. Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere ».

Can. 2368 : « 1. Qui sollicitationis crimen, de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus, vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiiciatur.

2. Fidelis vero, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit ».

Can. 2363 : « Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit,

ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si quae inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894 ».

Can. 894 : « Peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos ».

Ad quorum declarationem successive oportet inquirere quid sint: 1) sollicitatio eiusque conditiones, 2) connexio cum sacramento Poenitentiae seu confessione, 3) obligatio denuntiandi, 4) modus denuntiationis, 5) poenae infligendae sollicitantibus, 6) poenae infligendae falso denuntiantibus. Quibus adiungimus 7) corollaria, de sollicitatione dubia, et 8) regulas practicas pro confessariis.

II. Sollicitatio ad turpia est provocatio ad grave peccatum luxuriae facta a sacerdote cum quadam relatione ad confessionem, seu a sacerdote ut *confessario ita abutente confessione sacramentali* vera aut simulata.

Est peccatum valde grave, a) quia gravis *irreverentia sacrilegii* irrogatur sacramento, et hoc est *contra religionem;* b) quia *scandalum* constituit adversus charitatem, dum lethale damnum infert poenitenti, porrigendo ei pro medicina venenum; c) quia, si confessarius sit parochus, continet *iniuriam* specialem contra *iustitiam,* quoniam ipse ex iustitia tenetur verbo et exemplo pascere oves suas.

Est autem 1. *provocatio* ad peccatum, i. e. actio, sive per se inhonesta, sive per se indifferens, sed turpem affectum exterius manifestans, qua aliquis alterum, in casu confessarius poenitentem, inducere conatur ad aliquod peccatum, sive explicite, studiose et de industria, sive implicite ita ut modus agendi vel loquendi sponte alliciat. Est scii, scandalum poenitenti datum, invitatio seu incitatio quocumque modo fiat, a sacerdotibus, verbo vel facto, seu, ut loquitur Benedictus XIV, « sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu (in proprium corpus vel alienum), sive per scripturam aut tunc aut postea legendam, tentaverint, aut cum eo illicitos et inhonestos sermones vel tractatus (i. e. consilia, deliberationes, pactiones) ...habuerint », dummodo inductio ad malum fuerit *certa:* in dubio enim nemo fama sua privandus, et lex dubia non obligat; unde delictum dubium non censetur delictum.

Vera autem sollicitatio adest

a) sive sit *efficax,* ita ut persona sollicitata consentiat, sive sit *inefficax,* qua quis sollicitare vel provocare mere tentavit, etiamsi altera persona solum postea intellexerit:

b) sive sit *immediata,* ad consensum poenitentis obtinendum, sive sit *mediata,* vel mediante poenitente, ad aliam personam in peccatum inducendum, vel per scripturam postea legendam, ut aliquod scriptum circa turpia (prop. 6 damn, ab Alex. VII; S. Off. 11 febr. 1661, n. 1);

c) *cum quacumque persona* cuiuscumque sexus, conditionis, aetatis.

Parum enim refert utrum sit vir vel femina, puber vel impuber, utrum sollicitetur ad peccandum cum confessario, vel solitarie, vel cum tertia persona, v. g. iuvenis cum puella (S. Poenit. 2 sept. 1904); dummodo sit sollicitationis capax, qualis non est dormiens, aut, pro sollicitatione per sola verba, surdus aut idiomatis ignarus.

2. Est *ad turpia,* i. e. inducens ad actus graves contra castitatem, — sive sint graves *in se,* sive ex *adiuncta circumstantia* impudica, sive ex *affectu libidinoso* exterius manifestato, — seu ad grave luxuriae peccatum quodcumque, etiam internum ut desiderii aut complacentiae. Unde crimen sollicitationis de quo agitur, non adest :

a) si provocatio facta est ad aliud peccatum, v. g. furtum aut homicidium, quamvis iure naturali possit aliquando denuntiatio esse praecepta (S. Off. 11 febr. 1661, ad 11):

b) si facta est ad aliquod inhonestum, quod non est *certo* peccatum mortale, v. g. aliquid mere sensuale, osculum obiter datum;

c) si sollicitatio non est completa sed solum praeparatoria, ita ut non verum praebeatur scandalum, sed solum inquiratur num persona cum aliqua spe tentari possit; vera tamen sollicitatio inchoata sufficit.

Hinc ad diudicandum *in praxi,* num sollicitatio adsit, attendendum est num verba vel facta, si non ex se. saltem *ex adiunctis* turpem affectum significent et ad turpem affectum provocent. Ita v. g. si sacerdos donum largitur in confessione, vel tactus leviter immodestos committit, etiam pressos aut saepius repetitos, si exprimit suum amorem erga personam, vel velleitatem, — si ipse esset saecularis —. cum ea nubendi, aut agnitionem vel laudem eius puchritudinis et venustatis, si quaerit ubi habitet, vel rogat eam facturum quod ipse voluerit, vel postulat ut domi eum expectet aut, e contra, ut sola in domum confessarii veniat, etc., ex adiunctis et subsequent; effectu videndum erit quisnam sit sensus (S. Off. 11. febr. 1661, ad 12 et 16) : an ista solum ex imprudentia et

levitate, aut forsan ad bonum finem agantur, (v. g. ad monendum de quodam periculo); vel e contra ex prava intentione, quem sensum facile haberent si constaret sacerdotem, extra confessionem, turpem amorem erga illam personam fovere, aut esse virum ad libidinem pronum.

3. Est a *sacerdote ut confessario,* qualiscumque fuerit, sive saecularis, sive regularis, sive approbatus, sive non approbatus sed iurisdictione carens. Hinc, non adest obligatio specialis denuntiandi *ex lege ecclesiastica :*

a) si sollicitans non sit sacerdos, sed clericus inferior vel laïcus, qui fingunt se esse confessarios;

b) etiam, probabiliter, si sit episcopus, quia incertum est an designetur sub voce : sacerdos [1]; quamvis generatim denuntiandus esset ex lege naturali;

c) si interpres, etiam sacerdos, in confessione adhibitus, sollicitet;

d) si poenitens confessarium ad turpia sollicitet solus.

Etiam si iste mere consentiat, modo consensus novam sollicitationem implicite non contineat; e contra, si sollicitatio sit mutua, ut si confessarius ad unam speciem prius sollicitatus, ipse ad aliam sollicitet, aut in principio dissentiat et post tempus sollicitare incipiat [1].

1 Legimus apud P. Vermeersch, *Th. Mor.,* III (ed. 1923) n. 603, p. 486: « Codex abstinuit a voce *sacerdotis,* qua Benedictus XIV in sua Constitutione utebatur; et cum, iam ante Codicem, non pauci comprehensos vellent episcopos, studiosa omissio istius vocis *sacerdotis* in cc. 904, 2363, et 2368, nobis certum praebet argumentum mentis qua legislator nullum confessarium sollicitantem suis decretis exceptum vult... Ceterum ipsa praxis supremae Congregationis obstat benigniori opinioni plurium ».

Attamen, in omnibus, quotquot inspicere potuimus, editionibus Codicis, canon 904, ad quem alii duo remittunt, habet: *sacerdotem.* Nec in Actis Apost. Sedis, ubi errata Codicis indicant corrigenda (T. IX), de praedicto canone mentio fit. Lectio itaque : *sacerdotem,* est certa.

Ceteroquin canon ait reum delicti sollicitationis denuntiandum *ad normam Constitutionum Apostolicarum,* nominatim Benedicti XIV, et istac dicunt: *sacerdotem.* Et quamvis P. Vermeersch addat: « Verba... *ad normant Consi. Apost.* non ad personam deferendam sed ad delictum quod denuntiationis locum dat referenda sunt »; id tamen non est certum.

Nec tam mirari debemus ius positivum non attendisse casui quo episcopus sollicitaret, quia casus profecto rarissimus poterat negligi. Praxis autem Congregationis non est declaratio authentica, et explicari potest ex sola obligatione iuris naturalis; nec huius praxeos ullum affertur exemplum.

1 « Mutua sollicitatio habetur si ambo agunt quae vetantur, etiamsi alter faciat invitatus... v. g. qui miscet, etiam provocatus, turpes sermones, seu verba graviter illicita et castitati contraria » Vermeersch, *Th. M.,* III, n. 603 et 605.

4. Debet esse *cum relatione ad confessionem seu connexione cum sacramento Poenitentiae* ut explicabitur n. seq.

Distinguitur enim casus noster :

a) a sollicitatione in administratione alterius sacramenti a sacerdote facta sine relatione ad confessionem; quo casu non est denuntiatio specialis facienda ex lege ecclesiastica (S. Off. 11 febr. 1661, n. 10), quamvis tamen in quibusdam adiunctis possit talis obligatio adesse ex iure naturali;

b) item a peccato complicitatis, quod committi potest absque relatione ad confessionem, etiam antequam aliquis ad sacerdotium elevatus fuerit.

III. Connexio cum sacramento Poenitentiae requisita adest: si sollicitatio fiat a sacerdote « vel *in actu sacramentalis confessionis,* — vel *ante, vel immediate post confessionem,* — vel *occasione,* — aut *praetextu confessionis,* — vel etiam, extra occasionem confessionis, *in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem* ».

1. *In actu sacramentalis confessionis,* i. e. inter initium confessionis et finem : a tempore scii, quo inchoatur confessio usque ad ultima absolutionis verba inclusive, seu, ut dicitur, inter duas cruces confessarii.

Sacramentalis autem censetur confessio, modo cepta sit ad sacramentalem absolutionem, etsi interrumpatur et ad finem non deducatur, ita ut sacramentum aliquo modo manserit incompletum, vel poenitens quacumque de causa non sit absolutus.

2. *Vel ante, vel immediate post confessionem,* i. e. si inter confessionem *veram* et sollicitationem nulla actio externa aut collocutio intercedat quae non refertur ad sollicitationem.

Unde crimen sollicitationis adest, si confessarius *immediate ante vel post confessionem* loquitur ex affectu libidinoso verba manifeste obscena, aut tangit inhoneste poenitentem. — vel si poenitens, in actu et statu confessionis, iam ad pedes confessarii sedens petit confiteri et confessarius annuit et tunc sollicitat, etsi poenitens iam confiteri subinde nolit, — vel si confessarius mulierem sollicitat quae post confessionem ad deosculandam manum accedit, — vel si statim ducit in cubiculum aut sacristiam ut ibi securius sollicitet, — vel si immediate dicit : expecta parumper, et post intervallum (non autem die sequenti) sollicitat, — vel si poenitenti sollicitanti consentit, sed statim desistit, et complementum differt ad aliud tempus (S. Off, 11 febr. 1661, n. 2): ita enim poenitentem in sollicitatione detinet et confirmat.

E contra, si alia actio aut aliud vere medium intercesserit, casus non habetur, ut si sollicitatio altera die fiat quam confessio, aut post locutionem de rebus indifferentibus vel aliud negotium, aut si confessarius personam e confessionali iam egressam adit et sollicitat, aut postquam alium poenitentem audivit, nisi tamen inceperit in confessione dicendo v. g. : expecta me paulisper, et ita dixerit non ad aliud negotium quam ad sollicitandum.

3. *Vel occasione confessionis,* i. e. si ex confessione *vere petita vel facta* sumitur motivum vel opportunitas provocandi ad turpia, ita ut confessio sit causa per accidens sollicitandi poenitentem.

Ita, vel 1) *occasione confessionis petitae :* si poenitens, expresse vel tacite, petit statim confiteri et, volens incipere, ab hoc impeditur a confessario qui eum illico provocat, confessione dilata in posterum; vel si confessarius aegrotantem quasi confessurus adit, vocatus ad hoc et rogatus, et hac occasione sollicitat: — vel 2) *occasione confessionis auditae :* si confessarius in confessione, vel immediate ante aut post confessionem, tradit poenitenti schedulam vel litteras postea legendas in quibus sollicitat ad turpia (prop. 6 damn ab Alex VII; S. Off. 11 febr. 1661, ad 1); vel si cognoscens inclinationes aut tentationes poenitentis, eum sollicitat, modo constet fieri ex *auditione confessionis,* qua iam tunc ad hanc intentionem impulsus fuerit, de quo raro constabit.

E contra, *probabiliter* saltem, non sollicitat occasione confessionis :

a) qui *sola* notitia abutitur exhausta ex confessione, v. g. de fragilitate poenitentis. ad eum sollicitandum : tunc non fit occasione ipsius confessionis, sed occasione *notitiae* ex confessione haustae;

b) qui tradit confitenti schedulam ferendam alii personae, quam confessarius ita sollicitat, modo ipse poenitens nullo modo complex sit : tunc enim ipse poenitens non sollicitatur;

c) qui rogatus confessionem non statim sed alia die vel hora, imo, secundum aliquos, etiam nunc excipiendam, sed nondum ad modum confessarii sedens nec personam coram se genuflexam habens, eam sollicitat (S. Off. 11 febr. 1661, n. 4): tunc enim non fit occasione confessionis, sed occasione *petitionis* confessionis.

4. *Vel praetextu confessionis,* etiam confessione non secuta, i. e. sub velo aut colore seu specie, vel falsa allegatione confessionis ad tegendum pravum finem, si nempe occasio sumitur a confessione ficta et unice eo fine proposita ut sollicitationi inserviat. Quam praetexere debet non quidem poenitens, sed confessarius ut poenitentem sollicitet.

Ita si aliquam personam ficte invitat *ad confitendum, quo*

facilius eam ad turpia inducat, — aut si accedit ad domum aegrotantis eique de confessione loquitur ad removendos adstantes, quibus profectis, eam sollicitat, — vel si ipsam, praetextu confessionis, ingredi cubiculum rogat quasi confessionale, et tunc sollicitat.

Non autem *probabiliter:*

a) ille qui ad eludendos alios convenit cum persona ut se fingat aegrotam : non enim praetextu confessionis sollicitat, sed *peccatum mere exequatur,* ita ut praetextus confessionis non ordinetur ad sollicitandum, sed ad alios decipiendum;

b) nec ille qui, sub praetextu confessionis, licentiam petit a superiore ut ad personam se conferat, quam revera sollicitare intendit : praetextus enim non est respectu poenitentis sed superioris, ita ut praetextu confessionis non sit sollicitatio facta, sed *solum licentia concessa;*

c) nec ille qui, sub praetextu confessionis, personam invitat ut se conferat in ecclesiam, ibique eam, extra confessionale, sollicitat : non enim sub praetextu confessionis ipsa sollicitatio, sed *sola invitatio* adeundi ecclesiam facta est;

d) nec ille qui extra confessionis tempus et locum, personam sollicitat eique. ut facilius concedat, promittit se postea eius confessionem auditurum : praetextu confessionis ipsa non fit sollicitatio, sed solum *obtinetur consensus;*

e) nec a fortiori ille qui personae ipsum advocanti et sollicitanti mere consentit.

5. *Vel, etiam extra occasionem confessionis, in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo, sed cum simulatione confessionis.* Quae duo adesse debent, ita ut fiat in loco confessionis *et simul* confessio simuletur (S. Off. 11 febr. 1661, n. 15) :

a) *simulatio* seu *figura* confessionis habetur si ita agant ut specietenus confessionem instituere videantur (v. g. sacerdos applicando aures), ita ut adstantes merito arbitrarentur ipsam confesionem excipi. Ad quod requiritur etiam

b) *locus confessionis:* ut fiat *in confessionali* seu in aediculo speciali destinato ad audiendas confessiones; — *vel in alio loco ad confessiones destinato* habitualiter, ubi *solent* audiri confessiones, uti sunt cella vel sacristia ubi surdastri audiri solent, vel locutorium destinatum confessionibus sacerdotum (S. Off. 28 apr. 1700), item locus quo monialium confessiones audiuntur (S. Off. 25 nov. 1874); — vel *in alio loco quocumque ad confessiones electo* transeunter pro adiunctis, ut est cubiculum infirmi, aut sacristia vel chorus aut platea pro tempore magni concursus fidelium; — non autem in loco praecise electo ad hanc unicam confessionem simulandam.

Ita si poenitens, qui fine sive bono (ad consilium petendum) sive malo (ad confessarium tentandum) venit in locum ad confessiones destinatum, et ibi sollicitatur cum simulatione confessionis; vel si persona volens aliquid communicare sacerdoti, ab eo ducitur in confessionale et ibi, simulata confessione, sollicitatur; vel si ambo turpes sermones miscentes, confessionale ingrediuntur et, simulata confessione, in turpiloquiis pergunt (Paulus V, 10 iul. 1614); — non autem si confessarius, sedens in confessionali, sed non simulans confessionem, sollicitat personam stantem vel sedentem ante confessionale (S. Off. 11 febr. 1661, n. 15).

IV. Obligatio denuntiandi sollicitantes, et quidem *gravis,* adest non solum generalis ex iure naturali, qua omnes ad hoc obligantur si necesse sit ad scandalum removendum; sed etiam *specialis* ex iure positivo ecclesiastico, qua obligantur intra mensem sollicitati poenitentes, et quidem sub poena excommunicationis latae sententiae nemini reservatae.

Cuius praecepti finis non solum est emendatio personae particularis, sed potius securitas publica sacramenti et animarum, ex certa castigatione sceleris et ex metu indeclinabili confessariorum obtinenda.

Secundum hoc iuris statutum :

A. *Denuntiandi sunt omnes et soli sacerdotes,* etiam non approbati aut iurisdictione carentes (S. Off. 11 febr. 1661, n. 5; et 20 febr. 1867, n. 2), sive saeculares sive regulares, cuiuscumque praeeminentiae aut dignitatis (episcopali tamen probabiliter excepta, ut supra notavimus), per seipsos sollicitantes; — non autem meri interpretes vel nuntii sollicitationis, eamve mandantes aut consulentes, iuxta S. Off. 11 febr. 1661, n. 6 et 7.

Denuntiandi sunt, etsi sollicitationis factae statim ipsi poenituerint vel si cepta sollicitatione statim destiterint (ib. n. 2), aut si gravi metu inducti fuerint (ib. n. 9), aut si sollicitaverint poenitentem non advertentem malitiam peccati (S. Off. 11 maii 1707); — etiamsi crimen a longo tempore fuerit commissum et remanserit occultum aut iuridice probari non possit (prop. 5 ab Alex. VII damn. 24 sept. 1665), vel nulla praecesserit monitio aut correptio fraterna (Alex. VII. 8 iul. 1660); — vel ipsi in terram longinquam profecti sint aut iam emendati, imo qui sponte se denuntiaverint (S. Off. 26 iul. 1628), vel et plene convicti fuerint et a iudice puniti (S. Off. 11 febr. 1661, ad 13), praesertim si agatur de *novo* crimine vel de sollicitatione *alterius :* dummodo adhuc vivant; — non autem defuncti (S. Off. 27 maii 1707, et 6 mart. 1839; S. Poen. 24 apr. 1884).

Finis enim legis non est sola emendatio sollicitantis, nec sola eius punitio, sed utrumque simul; quare denuntiandi etiam sunt illi qui iam emendati sunt, aut iam puniti, quia finis totalis legis nondum cessavit; non autem defuncti, quia finis non amplius obtineri potest, sed cessavit totaliter. Quare si aliqui de denuntiando crimine iudicialiter fueiint plene convicti, et *simul plene* et perfecte emendati appareant ita ut reincidentia non videatur timenda, non esset amplius obligatio denuntiandi; sed id vix valet *in praxi,* nam, ut notat De Sinet, *De Absolutione complicis et Sollicitatione, n.* 86, « attento stricto secreto in huiusmodi causis servando, vix unquam constet ob quodnam crimen convictus fuerit et punitus sacerdos ».

B. *Ad denuntiandum obligantur poenitentes sollicitati,* etiamsi sollicitationem non intellexerint et nonnisi serius cognoverint (S. Off. 11 maii 1707), vel, e contra (S. Off. 25 iul. et 27 sept. 1624), ipsi consenserint, aut prius sollicitaverint, ita ut sollicitatio fuerit mutua, cum possint hoc reticere, imo et negare, si desuper, quod absit, interrogentur (S. Off. 25 iul. 1624, et 20 febr. 1867, n. 6); — etiam si longum temporis intervallum intercesserit (prop. 6 damn, ab Alex. VII), crimen manserit occultum et defectus sit probationis, aut si promiserint et iuraverint se nunquam esse denuntiaturum, quia promissio de re illicita non tenet, et iuramentum non potest ligare ad iniquitatem; — imo si ab altero denuntiatio iam facta fuerit : lex enim adstringit *singulos* sollicitatos.

Excusantur tamen 1) ob mortem sacerdotis sollicitantis, ut dictum est;

2) ob magnum incommodum extrinsecum, *quamdiu durat* (S. Off. 21 febr. 1630, et 20 febr. 1867, n. 5) : ita damnum notabile seu grave periculum in bonis vitae, famae, vel fortunae, etiam, probabiliter, pro consanguineis valde proximis, nisi ex omissione bonum commune religionis graviter periclitaretur; item impossibilitas moralis, quae in quibusdam regionibus sat facile haberi potest, denuntiationem faciendi sive oraliter sive per litteras (S. Off. 21 febr. 1630, et 22 ian. 1727); — non autem incommodum praecepto intrinsecum, ut timor cuiusdam indignationis incurrendae apud sollicitantem, verecundia in manifestanda sollicitatione, periculum levis incommodi aut leve periculum gravioris; nec etiam periculum propriae infamiae aut publicitatis quod ob cautiones adhiberi solitas non datur;

3) ob dispensationem S. Officii quae raro conceditur; peti tamen potest si poenitens, etiam irrationabiliter, *omnino* recuset denuntiationem facturum (S. Off. 20 febr. 1867, n. 7) ; aliquando enim si nimia adsit poenitentis repugnantia, aut non tanta denuntiationis utilitas, dispensari potest.

Praeter ipsum poenitentem, in iure novo iam videtur *urgeri* non posse, ut alii qui sollicitationem certo noverint, ad denuntiandum, *vi legis ecclesiasticae,* obligentur. Canon enim 904 expresse dicit: *poenitens;* — quamvis tamen optimi auctores, ut De Smet et Vermeersch, ius antiquum hac in re adhuc vigere defendant; sed id non est certum. Nunquam tamen denuntiare debuerunt illi qui rem sciebant ex secreto professionali; nec ipse confessarius sollicitans debuit denuntiare seipsum (S. Off. 17 nov. 1624), quamvis, si faciat, mitius tractetur et erit immunis a poenis vindicativis, non tamen semper a medicinalibus (S. Off. 20 febr. 1867, n. 13).

C. *Confessarii sub gravi monere tenentur poenitentes de obligatione denuntiandi,* etiamsi isti bona fide obligationem ignorent, et praevideantur ut denuntiare renuant (S. Off. 20 febr. 1867, n. 3) : id enim postulat bonum commune: — excepto solo mortis articulo, ne poenitentes in periculum damnationis coniiciantur. Porro confessarii docere debent obligationem denuntiandi, tempus intra quod est implenda, poenam incurrendam, modum denuntationem faciendi. Quodsi poenitentes absque gravi ratione excusante denuntiare renuant, non sunt absolvendi, utpote indispositi (S. Off. 20 febr. 1867, n. 5): sed confessarius recurrere *potest* ad S. Poenitentiariam aut S. Officium, ad instructiones accipiendas vel etiam obtinendam dispensationem.

Nec ab onere denuntiandi liberantur ex eo quod confiteantur apud ipsum confessarium sollicitantem, qui eos monere contra seipsum non tenetur, uti patet ex ipsis verbis Constitutionum pontificiarum; Alexander VII damnavit propositionem 7: « Modus evitandi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi ».

D. *Poenitentes sollicitati denuntiare négligentes contrahunt ipso facto excommunicationem.* Ad quam incurrendam requiritur 1) obligatio denuntiandi certa; 2) omissio culpabilis, quae supponit cognitionem obligationis, et etiam censurae, ita ut huius ignorantia excuset, nisi sit affectata: 3) tempus unius mensis elapsum, quod currit a momento quo persona sollicitata obligationem et tempus implendi ac censuram adnexam noverit.

Talis poenitens absolvi nequit, nisi denuntiationem fecerit, vel saltem facere serio promiserit; quo facto, potest absolvi a simplici confessario, quia censura nemini est reservata. « Quodsi postea, mutata voluntate non denuntiet, censura non reviviscit, ait Noldin, Th. M. III, n. 379, quia de reincidentia nihil habetur ».

V. Modus faciendi denuntiationem. — Secundum normar' iuris :

A. *Denuntiatio facienda est S. Officio, vel Ordinario loci* (can. 904), i. e. episcopo, — vel abbati nullius, — administratori, vicario aut praefecto apostolico, — illique qui deficientibus praedictis succedit in regimine (can. 198 § 1, v. g. vicario capitulari), aut eorum delegato: — non autem vicario generali sine mandato speciali (S. Off. 14 iul. 1753 et 20 mart. 1901. et can. 2220 §2), nec a fortiori superioribus religiosis (can. 501 § 2), qui, licet sub nomine Ordinarii veniant, non tamen sub nomine Ordinarii loci (can. 198 § 2).

Per se autem denuntiatio facienda est proprio Ordinario sacerdotis sollicitantis; practice tamen fieri etiam potest coram Ordinario loci in quo delictum commissum fuit, vel et Ordinario poenitentis, qui tunc susceptam denuntiationem transmittere ad S. Officium vel ad Ordinarium proprium sollicitantis debet.

B. Denuntiatio *facienda est personaliter et viva voce,* ab ipsa persona sollicitata,

vel 1) *coram episcopo* eiusve delegato, et *alio ecclesiastico viro tamquam notario* fungente, ac cum iuramento et subscriptione nominis (S. Off. 20 febr. 1867, n. 6):

vel 2) *viva voce et personaliter, coram confessario aut alio* ecclesiastico viro, ad hoc ab episcopo *deputando,* sed *sine interventu notarii* (ib. n. 8).

Ad quam denuntiationem faciendam, in praxi ordinario praecedere debet denuntiatio extraiudicialis.

Quae ita congrue fieri potest :

a) Si persona sollicitata scribere valeat, scribat ipsa ad episcopum, propria manu, ac in litteris non anonymis sed subsignatis nomine et domicilio suo, exponat se ad denuntiationem faciendam teneri seque rogare ut indicetur modus quo sit facienda, aut mittatur persona delegata ad eam excipiendam; — vel etiam delinquentem manifestet, referens locum, tempus, occasionem, vices ac singula adiuncta, necnon utrum in actu confessionis, an prius vel post evenerit, nomen quoque ac munus confessarii, aut, si id ignoretur, descriptionem accuratam eius personae. Paratamque se dicat ut instructionibus ab episcopo dandis prompte se conformet; addendo, si rationes graves adsint, se non posse adire curiam episcopalem, sed delegatum mittendum expectare, aut etiam soli confessario denuntiationem congrue fieri.

b) Si scribere nesciat, aut sine gravi incommodo nequeat, episcopum per se vel per fidum internuntium adeat; — et si id non possit (aut non velit), *expedit* ut (de licentia poenitentis) scribat confessarius (ib. n. 7). non quidem ad denuntiationem loco poenitentis peragendam, sed ad informandum episcopum, sub pseudonominibus, de sollicitationis facto et ad postulandum, impossibilitate poenitentis spectata, opportunas in-

structiones. Ad id tamen confessarius stride non tenetur; nisi exceptionaliter grave damnum publicum immineat. Et si confessarius nolit, expectare poterit poenitens occasionem alterius confessarii qui hoc ministerio fungi velit.

Poenitens qui monuerit episcopum, huiusque mandatis stare paratus sit. potest absolvi, ac per se sufficit ut deinceps responsum episcopi expectet.

C. *Ordinarius,* iuxta Instructionem S. Officii, 20 febr. 1867, n. 10, *sedulo inquirere debet* utrum persona denuntians sit fide digna, et, antequam contra denuntiatum procedatur, perspectum habere, « quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducentur ».

« Ordinarius igitur toties quoties aliquam de infando sollicitationis crimine denuntiationem acceperit, illico ad *diligentias* (i. e. iudicialem investigationem circa famam denuntiati et denuntiantis) procedet. Ad quem finem, vel per se vel per sacerdotem a se *specialiter* delegatum, advocabit (separatim scii, et qua debet circumspectione) duos testes, quantum fieri potest, ex coetu ecclesiastico, utrumque vero omni exceptione maiores, qui bene noverint cum denuntiatum tum omnes et singulos denuntiantes, eosque sub sanctitate iuramenti de veritate dicenda et de secreto S. Officii servando, *iudicialifer* interrogabit, testimonium scripto referens, iuxta insequentem formulam; utriusque vero testimonii atque una simul respectivae denuntiationis authenticum exemplum directe tutaque via ad hanc Supremam Congregationem quamprimum transmittet... Quodsi inveniri nequeant duo tantum testes qui noverint una simul denuntiatum et omnes et singulos denuntiantes, plures vocari debent. Tot nempe in hoc casu testes ut supra vocandi erunt quod oportebit ut duplex quoad denuntiatum et unumquemque denuntiantem habeatur testimonium ». Ita Instructio S. Officii, 6 aug. 1897, ex qua sequitur, ut episcopus iam non possit *iudicialifer* contra denuntiatum procedere, antequam praefata documenta S. Officio transmiserit ab eoque responsum acceperit.

VI. Poenae contra sollicitantes sunt ferendae sententiae. Non tamen statim a prima denuntiatione possunt infligi, nisi forsan fama mala sit et denuntians omni exceptione maior; sed praxis est quod

1) post unam vel alteram denuntiationem, tamquam suspectus de crimine, confessarius denuntiatus *observetur;*

2) vel etiam ut *paterne moneatur* aut, si crimen sit certum, et salutari poenitentiae subiiciatur, quales sunt : amotio a loco criminis, exercitia spiritualia peragenda;

3) post tertiam denuntiationem *in iudicium vocetur.* Quod supponit reum admitti ad defensionem.

Tres autem poenae *infligi possunt* (can. 2368, § 1) : a) suspensio a celebratione missae; b) suspensio ab audiendis con-

fessionibus vel ad eas inhabilitas; c) privatio beneficii, vocis activae et passivae, dignitatis, et inhabilitas ad ea; imo, in casibus gravioribus, degradatio. — Censurae, quia ferendae sunt sententiae, censentur esse ab homine (can. 2217, § 1, 3°); unde non possunt remitti nisi ab Ordinario qui illas inflixit, aut a superiore competente (can. 2245, § 2).

Quodsi reus sponte comparuerit et delictum sincere confessus fuerit, dimitti debet monitus et poenitentia punitus; nisi iam denuntiatio facta fuerit, quo casu poena imminuetur (S. Off. 20 febr. 1867. n. 13).

Ipsa sollicitatio non subiicitur reservationi; unde, si alia omnia requisita adsint, a simplici confessario potest remitti (S. Off. 13 sept. 1859, ad 3), nisi tamen simul adsit casus absolutionis complicis; — sed monendus est sacerdos poenitens ne personae sollicitatae confessionem excipiat, ut ita periculum relapsus vitet.

VII. Poenae contra falsos denuntiatores. — A falsis denuntiantibus protegendi sunt confessarii innocentes. Quare per se vel per alios (v. g. per confessarium) *falso denuntiantes* incurrunt gravem poenam, et quidem duplicem :

a) Falsa denuntiatio *apud iudices ecclesiasticos est peccatum ratione sui S. Sedi reservatum.* Ita ex can. 894. Ad quod incurrendum oportet :

1) quod denuntietur sacerdos *ut reus sollicitationis proprie dictae,* scii, in connexione ad confessionem, sicut supra explicatum fuit;

2) quod denuntiatio sit *falsa* (materialiter et formaliter), ita ut confessarius huius delicti non cognoscatur reus, quamvis forsan aliorum delictorum similium reus sit;

3) quod denuntiatio *apud iudices* ecclesiasticos facta fuerit, quod plures intelligunt strictiore et formali sensu de denuntiatione *iudiciali.* Et, si ita intelligendum sit, quod tamen certum non est, non sufficeret denuntiatio anonyma, aut simplex epistola subsignata.

A praedicta reservatione non excusat ignorantia, quia reservatio peccati non mera poena est, sed principaliter et immediate avocatio ad tribunal superioris et ideo restrictio potestatis confessarii, quae solum mediate afficit poenitentem (can. 893, § 1), et quia a lege inhabilitante nulla ignorantia excusat (can. 16, § 1).

De Smet tamen censet contrarium, quia secundum Constitutionem benedictinam ista reservatio est poena medicinalis, a qua. secundum can. 2229 § 3, ignorantia excusat quae non sit crassa. Sed id non amplius valet in novo iure, in quo expresse dicitur (can. 893) reservationem limi-

tare potestatem confessant, et in canone immediate sequenti (894) falsa delatio dicitur unicum peccatum ratione sui reservatum S. Sedi. Ergo non amplius est principaliter poena medicinalis, sed avocatio ad tribunal superioris et iurisdictionis restrictio; ut iam generatim agnoscitur. — Ceterum practice raro adest ignorantia, cum denuntiantes confessarium debeant a iudice vel delegato moneri de reservatione.

b) Falsa denuntiatio, *apud superiores facta, incurrit excommunicationem speciali modo S. Pontifici reservatam.* Ita ex, can. 2363. Quibus terminis omnino generalibus comprehendi videtur, non solum stricte iuridica apud iudices formaliter agentes qua tales, sed quaecumque denuntiatio ad superiores directa, etiam per epistolam; non tamen anonyma, quippe quae nullam vim habet (S. Off. 20 febr. 1867, n. 6). Sane, non sola denuntiatio quae fit in ipsa instructione iudiciali, sed etiam illa quae id quaerit et monet de instructione contra aliquem facienda, iam fit apud superiores ut tales[1].

A poena tamen excusat ignorantia, non quidem solius reservationis, sed censurae, non tamen crassa nec affectata. Ab ipsa nemo potest absolvi nisi :

1) falsam denuntiationem formaliter retractaverit apud superiorem, vel medium ad hoc sufficiens iam posuerit, aut, si hic et nunc sit impossibile, id serio promiserit;

2) omnia damna ex calumniosa damnatione secuta pro viribus reparaverit;

3) acceptaverit gravem et diuturnam poenitentiam. Gravis est illa quae pro gravi culpa in sacramento dari per *se* debet; diuturna quae per 6 circiter menses vel ultra durat, attenta qualitate personae et operis impositi natura et frequentia.

Ex quibus omnibus sequitur :

1) censuram reservatam latius se extendere quam peccatum ratione sui reservatum;

2) nihilominus contrahi posse reservationem peccati quin contrahatur reservatio censurae, v. g. propter ignorantiam;

3) reservationem censurae aliquando cessare, quin cesset reservatio peccati, et vice versa cessare reservationem peccati v. g. in casu aegroti e domo exire nescientis, quin ideo cesset reservatio censurae;

[1] Hic etiam valorem habet, quod notat De Smet, o. c., n. 123 (demonstrare nitens denuntiationem etiam extraiudicialem apud iudicem esse peccatum ratione sui reservatum), nimirum quod alias « passim non esset locus casui falsae denuntiationis in locis non paucis, in illis casibus non raris, in quibus Episcopus procedit in casu sollicitationis ex informata conscientia, siquidem tunc ad denuntiationem iuridicam non est recurrendum et passim non recurritur de facto: *nimis saepe elideretur lex illa poenalis provide inducta* ».

4) illum qui ab una absolvere potest, non semper absolvere posse ab altera;

5) complices etiam utraque reservatione attingi, quippe qui per alios denuntiant; scii, iubentes, mandantes, consilium dantes, rogantes, promittentes, comminantes, etc., uno verbo omnes qui positive et efficaciter concurrunt ad falsam denuntiationem.

VIII. Corollaria de sollicitatione dubia. 1. In dubio an actio exercita aut verba prolata prae se ferant et significent sollicitationem, si de *sola* confessarii intentione dubitetur, finis adfuisse praesumitur consentaneus actioni exercitae aut verbis prolatis.

2. Si actio externa non solum secundum se, sed etiam spectatis omnibus circumstantiis et indiciis tum ex parte rei tum ex parte agentis maneat ambigua, ita ut delictum vere dubium sit, benigniores partes praeferri possunt et denuntiatio non est de praecepto.

3. Si certa sit sollicitatio, sed de persona dubitetur, denuntiatio facienda est ut superior inquirere possit de persona sollicitantis, si inquisitio facile fieri possit absque periculo infamandi innocentem; unde: a) denuntiandum erit si spes probabilis adsit quod iudex diligentia sua reum ignotum detegere valeat; b) e contra qui inter duas personas dubius haeret et utramque in denuntiatione indicare deberet, a denuntiatione plerumque abstineat ne famae innocentis noceat.

IX. **Regulae practicae pro confessariis.**

A. *Erga sacerdotem sollicitantem.*

Confessarius audiens sacerdotem sollicitationis reum :

1) *per se* potest illum absolvere, quia sollicitatio non est casus reservatus (S. Off. 15 sept. 1859, ad 3); iam punitum tamen et suspensum, a suspensione absolvere non potest, quia — utpote ferendae sententiae — est tamquam ab homine et ideo reservata;

2) non absolvat nisi enormitatem criminis prius ante oculos ponat et ad ferventiorem contritionem excitet, contritum tamen etiam animet plena fiducia in infinitam misericordiam Dei;

3) exigat ut scandalum reparet, et in posterum abstineat ab audiendis confessionibus personae sollicitatae:

4) recidivum autem, post poenitentiam pluries vel respectu plurium poenitentium relapsum, non absolvat, nisi signa con-

tritionis extraordinaria attulerit et praevie promiserit dimittere officium confessarii quod ipsi est occasio proxima, aut translationem ad alium locum postulare ubi minori exponitur periculo; vel, si haec sint impossibilia, nisi saltem promiserit efficaciora omnino adhibere remedia vitae spiritualis valde ferventis et mortificatae;

5) sedulo examinet an cum poenitente sacerdos sollicitans non peccaverit, et complicem non absolverit, quo facto adesset casus absolutionis complicis, qui plectitur excommunicatione specialissime reservata S. Pontifici de quo diximus supra Qu. 1. η. IX.

B. *Erga poenitentem sollicitatum.* Confessarius audiens in confessione personam fuisse sollicitatam :

1) *sedulo examinet an persona denuntians sit fide digna : saepe* enim mulierculae ex invidia, odio, vindicta, zelotypia, levitate, hysteria, aliisque causis de confessario narrant prorsus falsa, aut, quia earum sollicitationes repulsae sunt, accusant innocentem; unde si de veracitate personae dubitet, de atrocitate falsae denuntiationis moneat dicens etiam esse casum S. Pontifici reservatum. Caveat autem ne sollicitantis nomen inquirat:

2) inquirat an obligatio denuntiandi sit certa; quodsi rem non possit statim diiudicare, poenitentem ad se altera die redire moneat, et, si poenitens id non possit (vel non velit), cum altero confessario de ea colloqui et ipsi obtemperare iubeat;

3) si casus est certus,moneat *de denuntiandi obligatione* etiam sub poena excommunicationis imposita; a qua monitione facienda, ob bonum publicum, nulla bona fides in poenitente excusat (S. Off. 20 sept. 1867, η. 3);

4) si poenitens denuntiare promittat, nonnunquam prudentia docebit ut absolutio concedatur solum postquam denuntiatio facta fuerit, idque maxime a) si poenitens denuntiationem alia vice promissam non adhuc ad exitum perduxerit: b) si promittat quidem sed cum sat magna resistentia, aut si quaedam in denuntiando praevideatur difficultas; c) si statim (moraliter) denuntiationem perficere possit. Si tamen promissio sit sincera et absolutio commode differri nequeat, illico absolvi poterit;

5) si poenitens denuntiare nolit, *inquirat an sit causa gravis excusans;* et si adsit, poterit penitens absolvi dummodo

promittat se denuntiaturum si causa cessaverit aut minus urgeat (S. Off. 21 febr. 1630, 20 maii 1842, et 20 febr. 1867, n. 5);

6) si non adsit ratio vere excusans, meliori quo possit modo suadeat poenitenti ut denuntiet. Ad quod efficaciter suadendum, vanis excusationibus poenitentis opponat gravitatem sacrilegii in sacerdote sollicitante, necessitatem omnimodam in re tam gravi obediendi legibus Ecclesiae, ac poenam excommunicationis incurrendam; ostendatque nullum esse periculum infamiae quia non tenetur poenitens manifestare consensum, ipse autem confessarius potest delegari ad denuntiationem recipiendam, et sollicitans denuntiatus tantum post tres denuntiationes solet in iudicium vocari;

7) si nihilominus poenitens omnino nolit, eum — utpote indispositum — *sine absolutione dimittat,* et alio tempore ad se redire faciat, interea *recurrens ad Ordinarium, vel ad S. Poenitentiariam aut S. Officium,* ut instructiones obtineat, vel et dispensationem. A S. Poenitentiaria enim interdum obtinetur ut poenitens ab obligatione denuntiandi dispensetur; aut, indicato nomine sacerdotis sollicitantis, proprium abscondere possit;

8) *attendat, num poenitens* qui sollicitationi consenserit, etiam *complex fuerit sacerdotis in peccato turpi, et ab eo forte fuerit absolutus;* quo casu ratio habenda esset confessionum quae fuerunt invalidae, ut supra expositum fuit in Q. 1.

X. Documentum : Litterae denuntiationis. Cum unicuique confessario accidere possit, ut ab Ordinario delegetur ad recipiendam a poenitente denuntiationem sacerdotis sollicitantis, placeat hic modum subiicere recipiendi denuntiationes sine interventu notarii transmittendas, iuxta Instr. S. Off., 20 iulii 1890.

‹ Ex mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Ordinarii N.N. dato sub die... vocata personaliter comparuit die... coram me infrascripto sistente in *(notabit locum, ubi repetitur ad actum recipiendum)* ad hunc actum ab Illustrissimo ac Reverendissimo N. specialiter delegato N.N. nubilis (vel nupta), degens in hac civitate N.N. in paroecia N.N. filia (vel uxor) N.N., aetatis suae... conditionis civilis (aut agricolae, aut famulatui addictae), cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis S.S. Dei Evangeliis, fuit

Inter. An sciat vel imaginetur causam vocationis et praesentis examinis?

Resp. ...

Inter. *A* quot annis usa sit accedere ad Sacramentum Poenitentiae?

Resp. ...

Inter. An semper apud unum eumdemque Confessarium Sacramentum Poenitentiae receperit, vel apud plures Sacerdotes : insuper an in unâ eâdemque vel in pluribus ecclesiis?

Resp. ...

Inter. An a singulis quibus confessa est Sacerdotibus exceperit sanctas admonitiones et opportuna praecepta quae ipsam examinatam aedificarent, et a malo arcerent, et quatenus etc.?

Resp. ...

Notandum. Si responsio fuerit affirmativa, id est. si dicat se bene semper fuisse directam, tunc interrogatur sequenti modo :

Inter. An sciat vel meminerit aliquando dixisse vel audivisse quod quidam Confessarius non ita sancte et honeste sese gesserit erga poenitentes; quin murmurationes, seu verba contemptibilia contra ipsum Confessarium prolata fuerint : ex. gr. quod ipsa examinata ab uno vel a pluribus poenitentibus atque ab uno abhinc anno, vel a quatuor, aut tribus mensibus similia audierit?

Notandum. Si post hanc interrogationem et animadversionem examinata negare pergat, claudatur actus consueta formâ, quae ad calcem huius instructionis prostat.

At, si quidquam circa aliquem Confessarium, iuxta ea de quibus interrogatur, aperuerit, ulterius interrogabitur, prout sequitur :

Inter. Ut exponat nomen, cognomen, officium, aetatem Confessarii, et locum seu sedem confessionis: an sit presbyter Saecularis vel Regularis, et quatenus etc.

Resp. ...

Inter. Ut exponat seriatim, sincere et clare, ea omnia quae in sacramentali confessione vel antea vel postea vel occasione confessionis audierit a Confessario praedicto minus honesta : vel an ab eodem aliquid cum ipsa inhoneste actum fuerit nutibus, tactibus seu opere, et quatenus etc.

Notandum : hoc loco iudex solerter curabit ut referantur iisdem verbis, quibus Confessarius usus fuerit, sermones turpes, seductiones, invitamenta conveniendi in aliquem locum ad malum finem, aliaque omnia, quae crimen sollicitationis constituunt, adhibitâ vernacula linguâ, in quâ responsiones sedulo et iuxta veritatem exarabuntur; animum addat examinatae, si animadvertat eam nimio timore aut verecundia a veritate patefacienda praepediri, eidem suadens omnia inviolabili secreto premenda esse. Denique exquiret tempus a quo sollicitationes inceperint, quamdiu perduraverint, quoties repetitae, quibus verbis et actibus malum finem redolentibus expressae fuerint. Cavebit diligenter ab exquirendo consensu ipsius examinatae in sollicitationem, et a quacumque interrogatione, quae desiderium prodat cognoscendi eiusdem peccata.

Inter. An sciat vel dici audierit praedictum Confessarium alias poenitentes sollicitasse ad turpia; et quatenus eas nominet (atque hic iubebit nomen, cognomen, et saltem indicia clariora, quibus aliae personae sollicitatae detegi possint).

Notandum : Si forte inducantur aliae personae sollicitatae, erit ipsius iudicis eas prudenter advocare, et singillatim examinare iuxta formam

superius expositam.

Resp. ...

Inter. De famâ praedicti Confessarii tam apud se quam apud alios?

Resp. ...

Inter. An praedicta deposuerit ex iustltiae et veritatis amore, vel potius ex aliquo inimicitiae vel odii affectu, et quatenus etc.

Resp. ...

Quibus habitis et acceptatis, dimissa fuit, iurata de silentio servando iterum tactis S.S. Dei Evangeliis, eique perlecto suo examine in confirmationem praemissorum se subscripsit, (si fuerit illiterate, dicatur : et cum scribere nesciret, fecit signum Crucis).

(Subscriptio personae examinatae.)

Acta sunt haec per me N.N. ab 1111»0 eu Revm◊ Antistite N.N. ut supra specialiter delegatum ».

Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittit, (tuto nimirum, ne forte perdatur), una cum instructione et litteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo.

INDEX

CAPUT 1

De ipsa Potestate Confessarii

CAPUT II

De Concessione et Limitatione Potestatis Confessarii

CAPUT III

De Usu Potestatis Confessarii

CAPUT IV

De Officiis Potestatis Confessarii

CAPUT V

De Abusu Potestatis Confessarii

Opuscula edita a R. P. MERKELBACH, O. P. *in collectione* « Quaestiones Pastorales » *grato animo fuerunt universim recepta atque pluribus laudibus comprobata.*

I. DE CASTITATE ET LUXURIA: editio 3a

...His chapter on the causes of and remedies of carnal sins is well-timed. and will be especially valuable for confessors and directors of youth. *The Month.*

Bref, clair, méthodique : premières qualités d'un *sommaire* que l'auteur a voulu, autant que possible, *complet* pour qu'il fût *pratique.* Heureux choix des notions anatomiques et physiologiques préliminaires : on trouve ici des détails ordinairement passés sous silence, et néanmoins indispensables. Nous ne pouvons relever toutes les particularités dignes d éloges de cet ouvrage : nous n'en finirions pas.

Collationes Namurcenses.

Hoc opusculum Cl. A. de meliore nota commendamus : scite, enim, et continenter rem jam multum ac diu agitatam, eamque difficilem sane, absolvit. *Divus Thomas, Piacenza.*

Geen theoretische uitwijdingen, maar de juiste, zekere uiteenzetting van al wat gevergd wordt om den betrouwbaren raadsman en biechtvader te vormen. *Ons Geloof.*

II. DE EMBRYOLOGIA ET DE MINISTRATIONE BAPTISMATIS: editio 2a

Ce volume réunit et développe un peu plus que ne le font les traités généraux de morale les questions se rapportant à l'avortement, aux interventions chirurgicales, à l'administration du baptême. Dans ces matières, qui donnent lieu à tant de cas de conscience angoissants, on apprendra avec grand intérêt l'opinion de l'éminent professeur, dont la finesse d'analyse et la rigueur de raisonnement sont assez connues. Il prouve solidement les solutions sévères proposées par l'Eglise; il refuse très heureusement de proclamer une obligation certaine, quand elle ne se laisse pas prouver d'une manière suffisante.

J. Salsmans. S. J., *Nouvelle Revue théol.*

La dottrina in generale è sicura, l'esposizione chiara e ordinata, il fine inteso dall'A. ottimo. L'opusculo riuscirà certamente utile, massime ai sacerdoti che esercitano la cura d'anime. Noi la reccomandiamo volentieri.

Felice M. Capello, S. J., *Gregorianum.*

m. DE VARIIS POENITENTIUM CATEGORIIS: editio 2a

...Les doctrines sont nettement exposées, les arguments sommairement mais solidement proposés, les solutions franchement données. Et nous ouvrirons cet ouvrage avec la certitude que nous trouverons ce que nous cherchons. Car tout y est de ce qui doit y être, et il y a plus qu'on ne croyait trouver. Tous les genres de pénitents sont passes en revue, depuis les enfants, les simples, les occasionnaires, les récidifs, les consuétudinaires, les malades, etc., etc., jusqu'aux anormaux, les dévôts, les contemplatifs etc., etc. L'auteur profite de ces diverses questions pour esquisser de petits traités spéciaux: ...sur la contemplation et ses degrés, ...sur la moralité des danses et des toilettes. ...l'absolution des excommuniés, ...les tempéraments. Que de choses instructives les professeurs de pastorale n'ont pas le temps de développer devant leurs élèves! Voici qui est fait par un maître. Aux confesseurs de le consulter : ils ne s'en repentiront pas. G. Kiselstein, *Revue Eccl. de Liège.*

Een werkelijk voortreffelijke pastoraal-theologische verhandeling over de toediening van het H. S. der Biecht geeft ons P. M.... Door zijn heldere uiteenzettingen en juist oordeel krijgt dit boek een eigen waarde van groot nut voor iederen Biechthoorder. *Studiën.*

V. DE PARTIBUS POENITENTIAE ET DISPOSITIONIBUS POENITENTIS:

Comme les deux volumes qui l'ont précédé, celui-ci est une somme de doctrine dogmatique et morale, en même temps qu'un précieux manuel de pastorale. Il est le fruit de nombreuses lectures mais aussi de longues réflexions. A tout ce qu'il touche l'auteur met un cachet d'ordre et de mesure, et il ne se déclare satisfait que lorsqu'il l'a rendu massif d'idées proposées, expliquées, défendues et coordonnées. Trop modestement il intitule ses travaux : Quaestiones pastorales. Lisez le présent ouvrage, et vous verrez qu'il n'y manque aucun aspect qui puisse figurer dans un traité étendu, pas même les aperçus historiques puisés chez les auteurs universellement estimés. On trouvera ici ce qui regarde la matière du sacrement de Pénitence, matière éloignée et matière prochaine, c'est-à-dire les actes du pénitent : contrition, confession et satisfaction, avec les diverses questions qu'on est accoutumé de traiter à leur sujet.

G. Kiselstein, *Rev. Eccles, de Liège.*

In verscheidenen Faszikeln, gibt M. die wichtigsten Lehrstücke des Pastoral heraus. Die Faszikel sind im wesentlichen eine dankenswerte Zusammen tellung der von verscheidenen Autoren vorgetragenen Lehren.

Zeitschrift fûr kathol. Theolog.

Allerlei vraagstukken. anders over verschillende traktaten verdeeld en soms slechts terloops aangeraakt, vinden we hier systematisch geordend en breedvoeriger besproken met verwijzing naar de beste auteurs. Dit is wel de groote verdienste van deze serie. *Studiën.*

...Een reeks van pastoraal-theologische brochures, welke naar onze meening de bijzonder aandacht vooral ook der dienstdoende Geestelijkheid overwaardig is... De flinke sprekende druk, in afwisseling van gewone letter, vette letter en cursiefletter, beantwoordt aan den inhoud.
De Schr. toont zich in deze brochuren een uitstekend theologant, wiens werken, tegelijkertijd theoretisch en praktisch, de hoogste aanbeveling verdienen. M. van Grinsven, C.ss.R., *Nederlandsche Katholieke Stemmen.*

C. SALMON, O. P.

VII. DE MATRIMONII SACRAMENTO

Ce 7® fascicule des *Quaestiones Pastorales* est un bon résumé du traité du mariage: bref, clair, pratique... Il est bien au courant des décisions les plus récentes de la Commission Pontificale d'interprétation du Code.
A. C., *Collctiones Namurcenses.*

Il est un résumé très bien fait des enseignements courants... Nous ne connaissons pas d'ouvrage de ce genre qui lui soit supérieur.
' *Revue Eccl. de Liège.*

Le traité du « Sacrement de Mariage » du R. P. Salmon ne le cède en rien à ceux du R. P. Merkelbach : même concision, même clarté, même précision dans l'exposition de la théorie. Nous pourrions ajouter, même souci de rattacher la pratique à la théorie et d'éclairer celle-ci par celle-là. *Revue Dominicaine (Canada).*

Hoc praecipue habetur in praesenti opere meritum laudandum, quod utendo hac manuductione poterit sacerdos quam celeriter quasi unico et brevi conspectu perspicere totum tractatum de matrimonio : quae completa cognitio pro ministerio pastorali commodum sane est non exigui momenti. Armand Gougnard, *Coli. Mechlinienses.*

Presque rien sur les questions purement spéculatives, pas de longues théories sur les points controversés, mais toujours des solutions pratiques, franches et sûres. Grâce aux bonnes divisions mises en évidence par une excellente disposition typographique, la consultation de l'ouvrage est facile et rapide. D. A. S., *Revue Liturgique et Monastique* (Maredsous).

Le Gérant, IMPRIMERIE VERITAS
P. RUTIEN. *Mont Saint-Amand (Gand) Belgique.*

EIUSDEM AUCTORIS.

QUAESTIONES PASTORALES.

I. Quaestiones de Castitate et Luxuria, 3a ed. 132 p.

II. Quaest. de Embryologia et de Ministratione Baptismatis, editio altera, 88 p.

III. Quaest. de Variis Poenitentium Categoriis, editio altera. 187 p.

IV. Quaest. de Poenitentiae Ministro Eiusque Officiis, unum vol., 120 p.

V. Quaest. de Partibus Poenitentiae et Dispositionibus Poenitentis, unum vol., 172 p.

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

I. De Principiis, 1 vol. in-8° 756 p.

II. De Virtutibus moralibus, 1 vol. in-8° 994 p.

III. De Sacramentis, 1 vol. in-8° 959 p.

Ius proprietatis auctor sibi vindicat

LA PENSEE CATHOLIQUE
association sans but lucratif
est une œuvre d'enseignement
religieux. moral et social.

Quæstiones Pastorales
------- vi ——------

QUÆSTIONES
DE
Variis Peccatis
IN SACRAMENTALI CONFESSIONE MEDENDIS

QUAS IN UTILITATEM CLERI

collegit

Pater fr. Ben. H. MERKELBACH, O. P.

5. *Th. Mag. et Dr et in Inst. Pontif. Angelico de Urbe*
Professor Theologiae Moralis

MYRON PLEKON

La Pensée Catholique, association sans but lucratif
Liège (Belgique) — 38, Quai Mativa
PARIS (5e): Librairie Labergerie, 11, rue Cujas
AMSTERDAM: N. V. De R. K. Boek-Centrale
PADERBORN : Verlag Ferdinand Schoningh
TORINO-ROMA : Casa éditrice Marietti
LONDON, W. C. 1: B. Herder
MONTREAL : Granger Frères
MADRID : Editorial Voluntad
MCMXXXV

Nihil obstat :
Fr. B.-M. Bonte, S. T L..
Bruxellis, die 2 Aprilis 1935.
Fr. H.-M. Blsschop, S. T. L.,
Lovanii. die 9 Aprilis 1935.

imprimi potest :
Fr. M. S. Gillet. O. P..
Mag. Gen.
Romae, die 13 Aprilis 1935.

BENEVOLO LECTORI.

In opusculo « De Variis Poenitentium Categoriis », exclusive spectavimus poenitentes secundum varias dispositiones eorum aut conditiones corporis et animae. Restat ut eos consideremus secundum diversum statum ipsorum aut peccati genus.

Praesens itaque libellus in complementum est doctrinae sui antecessoris, ita ut ex utroque unum conficiatur practicum opus. Inscribitur: « De Variis Peccatis in sacramentali confessione medendis ». quae peccata sunt varia tum secundum diversorum quibus opponuntur statuum officia, tum secundum diversas quibus adversantur virtutes aut praecepta, tum secundum causalitatem quam in diversa alia exercent vitia.

Opusculum pluribus abhinc annis praenuntiatum, hucusque non potuit videre lucem, cum interea toti fuerimus in edenda nostra Summa Theologiae Moralis. Hoc autem, Deo dante, feliciter peracto, inceptam scriptorum pastoralium seriem intendimus complere isto libello practici indolis ad usum confessariorum confecto.

Ne existimetur meram esse repetitionem eorum quae exposita inveniuntur in Summa Morali, vel reproductionem cuiusdam partis ipsius. Ipsa magis speculative procedit, licet de rebus in praxi agendis; opusculum totum fere est in practice applicatione, ita quod valor practicus principiorum theologiae moralis eluceat plenius.

Ut autem de variis poenitentium categoriis scribendo monuimus, ita pro peccatis medendis iterum dicimus: De his, si novi quid quaeras, amice lector, vacuus forsan abscedes; at quae apud auctores melioris notae sparsa invenire poteris, ad usum confessariorum sedulo colligere voluimus. Ne autem in detrimentum aestimationis aut valoris imminutionem id opusculo nostro contingere reputetur; cum ita non sit opus nostrae parvitatis, sed probatorum auctoritate virorum atque recepti usus appareat munitum.

Velis itaque, optime confrater, pari benevolentia utrumqtie accipere opusculum, Tibique sit, faxit Deus, in adiumentum ministerii sacri et in animarum salutem.

AUCTOR

De Variis Peccatis
in sacramentali confessione medendis

Peccata quibus medendum est, omnia reduci facile possunt ad illa quae directe adversantur officiis diversorum statuum, — ad principaliora quae diversis virtutibus opponuntur et decalogi praeceptis, — et ad illa quae solent esse multorum aliorum causa quaeque proinde capitalia vocantur.

De quibus omnibus et singulis dicere mens sane non est, sed solum de aliquibus quae peculiarem praebent difficultatem, aut specialem exigunt attentionem vel sanationis curam. De modo itaque illis medendi ac de remediis contra ea suggerendis hic quaedam subiicimus ex probatis auctoribus[1].

Porro quaestiones tractandae reduci possunt ad sequentes :

I. De peccatis diversis secundum statum et conditionem vitae :

1) De coniugibus.
2) De filiis et parentibus.
3) De dominis et famulantibus.
4) De officialibus publicis.
5) De medicis et pharmacopolis.
6) De mercatoribus et militibus.
7) De sacerdotibus et parochis.
8) De religiosis et monialibus.

[1] Cfr. elenchum auctorum quem tradidimus in op. *De Variis Poenitentiam Categoriis,* in introductione.

II. De variis peccatis contra virtutes et decalogi praecepta :

§ A. De *peccatis in Deum :*

1) De quibusdam peccatis contra fidem.
2) De quibusdam peccatis contra Dei reverentiam.
3) De peccato contra Dei famulatum seu de violatione diei dominicae.

§ B. *De peccatis in proximum :*

1) De peccatis in bona interna vitae et corporis.
2) De scandalo quod adversatur bonis spiritualibus.
3) De adulterio quod adversatur bono coniugii.
4) De peccatis in bona externa fortunae et de restitutione pro iis debita.
5) De odio proximi, quod est causa laedendi famam, honorem et amicitiam.

III. De peccatis capitalibus quae sunt aliorum peccatorum causa :

1) De superbia et inani gloria.
2) De avaritia.
3) De gula.
4) De luxuria.
5) De acedia.
6) De invidia.
7) De iracundia.

CAPUT I

DE PECCATIS DIVERSIS SECUNDUM STATUM ET CONDITIONEM VITAE

Sicut obligationes atque pericula in alia vitae conditione et statu diversa sunt, ita quoque alia solent esse peccata; quibus proinde specialem attentionem praebere non erit inutile. Successive spectabimus propria peccata quae contingere possunt in coniugibus. fibis et parentibus, dominis et famulantibus, officialibus publicis, medicis et pharmacopolis, mercatoribus et militibus, sacerdotibus et parochis, religiosis et monialibus.

QUAESTIO PRIMA

De Coniugibus

I. **Obligationes coniugum speciales** numerari solent tres :

1° *Amor mutuus et adiutorium :* amor scii, intimus et specialis. ac conformis ordini charitatis, ita ut uxori reverentiam erga maritum inspiret et obedientiam in bonis moribus et gubernatione domus, quia vir est caput mulieris; vir autem uxori sit in praesidium eique benevolentiam ostendat, quia eius serva aut ancilla non est, sed condigna socia. Hinc mutuos defectus in quotidiana vita patienter debent sufferre, quandoque tamen uxor charitative maritum monere potest et adhortari, vir autem uxorem, ut munia sua impleat, etiam auctoritative

corripere, reprehendere et castigare, sed moderate, et ordinario leviter tantum.

2° *Cohabitatio,* quia matrimonium inierunt in individuam vitae consuetudinem; unde regulariter cohabitare debent nisi gravis ratio excuset; atque uxor tenetur virum sequi si absque gravi damno fieri possit, non tamen si vir vagari velit, nisi huiusmodi fuerit eius conditio ante matrimonium, quia tunc uxor in eo praesumitur consentire.

3° *Casta fidelitas* quantum ad conjugale debitum, ita ut simul omnis aditus adulterio praecludatur et imprudenti consuetudini cum aliena persona, ac pariter omne vitium vitetur contra naturam; de quo sufficienter diximus in opusculo *Quaestiones de Castitate et Luxuria,* q. 8.

II. Peccant graviter coniuges :

A. Generatim : 1° qui invicem odio habent, aut contumeliis aut rixis se lacessunt;

2° qui iniustae indulgent zelotypiae;

3° qui cor suum tradunt personae extraneae diversi sexus et coniugi illud subtrahunt, etsi corpus ad actus conjugales ipsi relinquunt;

4° qui debitum adiutorium sibi denegare solent, maxime si in gravi necessitate;

5° qui absque sufficiente ratione habitualiter non cohabitant:

6° qui debitum conjugale sine gravi ratione denegant, a fortiori si fidem matrimonialem frangunt.

B. Speciatim vir :

1° si uxori alimenta denegat vel, dum possit, non procurat, nisi ipsa propria culpa discesserit:

2° si valde dure et aspere tractat uxorem, aut eam cogit ad labores qui eius conditionem omnino dedecent;

3° si verbis contumeliosis vel infamantibus afficit uxorem;

4° si impedit eam absque gravi causa quoad praxim religionis;

5° si graviter eam caedit;

6° si eam valde affligit crapulis suis aliisque inordinatis passionibus;

7° si valde negligens est in gubernatione rei familiaris.

C. Uxor vero :

1° si maritum rixis vel verbis ad gravem iram vel blasphemiam provocet;

2” si spreto viro ipsa velit gubernare et notabiliter sit inobediens. nisi vir irrationabiliter omnino praecipiat;

3° si rem domesticam valde negligat, indulgens desidiae vel oblectamentis; aut luxui dedita maritum exasperet;

4° si in administrationem domus habitualiter se ingerat, non adiuvantis sed dominantis modo; nisi adsit iusta causa, qualis est si maritus prodigus bona familiae dilapidet aut gestioni sit ineptus: hoc ultimum tamen ne facile putet.

Quid licitum esse possit coniugibus quantum ad eorum bona fortunae, et quomodo iniustitiae rei esse possunt, declaratur in tractatu de Iustitia

III. Interrogandi coniuges sunt :

1° Uterque, an bene cum consorte conveniat ita ut sint unanimes; an omnem sollicitudinem et curam adhibeant ad prolis educationem christianam; an nihil sibi permittant quod adversatur matrimonii finibus.

2° Vir, an servet fidem uxori, et familiae debitam ministret sustentationem.

3° Uxor, an in honestis et licitis viro obediat, nonne virum ad iracundiam vel blasphemiam provocaverit; nonne eum debito coniugali defraudaverit.

Modestioribus quidem verbis quantum fieri possit, talis interrogatio fiat, praesertim uxori, v. g. nonne inobediens viro fuerit quantum ad matrimonium, an habeat forsan dubium quoddam quod eam mordet circa matrimonium, etc. Haec interrogatio generatim omitti potest cum personis vere piis, nisi tamen dubitandi adsit specialis ratio.

IV. Speciales coniugibus occurrunt tribulationes, quae ex tribus proveniunt : ex vitiis, ex malis liberorum moribus, ex adversa fortuna’.

Quantum ad 1m: a) Si *coniux contra coniugem queratur,* non statim credat confessarius querentem culpa vacare, nec incognita causa alterum condemnet, nec coram uxore culpam in maritum coniiciat licet hic sit certo reus, quia mulieres ex natura sua procaces facile viris noxas, praesertim si iudicio confessarii condemnatae sunt, obiiciunt; quare melius

* Cfr. *Summa Theologiae Moralis,* II, n. 181-182.
’ Cfr. Aertnijs. *Th. P„* n. 144-147; Reuter, *Nco-conf.,* n. 130-135.

est, re dissimulata, commendare orationem, patientiam, mansuetudinem, maiorem sollicitudinem ad obsequia viro exhibenda.

b) Si *uxor queratur de severitate et iracundia viri,* confessarius suadeat ut pro viro oret, diligens sit in obsequiis ei praestandis, et ordinariis addat extraordinaria, v. g. cibos gratos ei parando dicendoque se id facere ut bene illi sit; sit exacte obediens; taceat dum maritus iratus aut ebrius sit. Ebrium conetur blandis verbis cubitum conducere ut dormiat, et postridie, si monitio profutura videatur, amanter moneat maritum dum est bene affectus. Si irato respondendum sit, respondeat suaviter, nam « responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem » (Prov. XV. 1). Si nihil prosit, patientia opus est, qua solatium a Deo et meritum consequatur.

c) E contra, si *uxor attentet viro dominari,* suadendum est viro ut dehortetur uxorem suaviter, minime autem se ostendat timidum, alias mulier magis insolesceret; si verba suavia non proficiant, obsistat gravioribus et faciat contra quod vult uxor, consentiat tamen quandoque: suo officio bene fungatur, ne ansam querendi uxori ullam praebeat.

Quantum ad 2"': Si *parens queratur liberos esse inobedientes,* feroces, otio deditos, confessarius hortetur ut examinet annon sua forte culpa ex neglecta educatione eveniat, v. g. quia in puerili aetate nimis induisent. a pravis consortiis non continuerit, vel e contra durius tractaverit, maledictionibus et ignominiosis verbis compellaverit: tunc mirum non est liberos factos esse contumaces et inobedientes. Meminerit iuventutis suae, an non ipse erraverit.

Correctio filiorum paternam benignitatem rigore permixtam habeat. Insuper, dum proles punitur ab uno, si non ultra modum fiat, caveat alter ne palam obsistat, aut proli postea blandiatur ac si innocens passa esset: id correptionis fructum aufert et liberos refractarios facit. Si unus ab altero monendus videatur, id fiat clam pueris.

Quantum ad 3m: Si querantur *de defectu mediorum ad sustentationem.* confessarius soletur eos et excitet ad patientiam ac conformitatem cum voluntate divina, dicat salutem animae omnibus praeferendam, hortetur ut liberos in timore Dei educent, excitet ad fiduciam in Deum qui dixit: « Quaerite primum regnum Dei et cetera adiicientur vobis ». In Dei servitio est vera felicitas; atque homini sufficit mediocritas, cum divitiae multis sint occasio perversitatis et damnationis.

V. Monendi coniuges sunt pro opportunitate, de obligationibus suis; et quidem :

1° Non omnia esse licita coniugatis, sed sanctitatem matrimonii posse foedari.

2° Triplicem hac in re valere regulam : licita esse quae de se ordinantur ad primarium matrimonii finem; huic contraria esse graviter mala, puta adulterium, pollutionem, sodomiam, onanismum; inutilia vero solum leviter mala si fiant sine magno periculo pollutionis.

3° Dubia de hac re occurrentia esse magna cum fiducia confessario exponenda.

4° Marito dicatur ut debitum non petat tempore quo graviter nocivum sit uxori; uxori vero se, sub gravi peccato teneri ad debitum reddendum, nisi excusetur ob infirmitatem aut speciale damnum.

5° Data quoque occasione, sermo fiat de obligatione sedulo vitandi causas abortus, baptizandi foetum in casu abortus, infantulum non sumendi in lecto ne suffocetur, nec pueros aut puellas grandiores (usu rationis iam gaudentes aut ad eum accedentes), ne scii, iis praebeant scandalum.

6° Speciatim hodiernis temporibus monendi sunt et interrogandi de onanismo, etsi confessarius « praevideat plures a bona fide exturbandos multosque sacramenta deserturos esse », ut respondit S. Poen., 10 maii 1886; qui autem in occasione proxima peccati versantur quia contra naturam agunt, tractandi sunt ut consuetudinarii et recidivi, unde si semper eodem modo zelabuntur sine spe emendationis, non absolvendi sunt. Vide ea quae diximus in opusc. *De Variis Poenitentiam Categoriis,* speciatim, c. 1, q. 3, η. V.

VI. Monitum de limitatione generandae prolis. — Cum res sit magni momenti nostrisque diebus multum agitata, placeat de ea quaedam animadvertere. lamvero limitatio generandae prolis triplici obtineri potest modo :

1° *Servando continentiam.* Iste modus licitus est, dummodo communi agatur utriusque coniugis consilio et sine proximo incontinentiae periculo. Imo continentiam servare ex motivo virtutis de se melius est quam generare prolem, uti patet exemplo B. Virginis et S. loseph. At in praxi raro erit opportunum eum modum consulere, propter frequens incontinentiae periculum. Scribebat Apostolus, I Cor, VII. 5: « Nolite fraudare invicem, nisi forte *ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi;* et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram ».

2° *Lltendo mediis contra naturam quale est onanismus.* Id semper est graviter illicitum, ita ut nulla ratione unquam legitimari possit. De quo sufficienter diximus in opusc. *De Castitate et Luxuria,* q. 8. a. 4.

3n *Actum coniugalem exclusive exercendo tempore ageneseos, ut ita vitetur omnis conceptio prolis.* Id non est contra naturam, nec proinde graviter aut semper illicitum.

Tempus ageneseos vocatur illud in quo rarius, imo nullatenus accidit

conceptio; unde ista praxi generatio fit parum probabilis aut etiam impossibilis.

Tempus istud olim a medico Capellmann aliisque fuit ita statutum: a decem vel quatuordecim diebus post inceptam usque ad tres quatuorve dies ante novam mulieris menstruationem. Putabant enim ovulationem in muliere ac proinde fertilitatem cum menstruatione coincidere, ita ut durante mense esset mulier fertilis a die 1 ad 14, sterilis a 15 ad 25. fertilis rursus a 26 ad 28.

Compertum autem postea fuit menstruationem cum ovulatione non coincidere, licet sit phenomenon connexum; sed locum habere inter duas ovulationes. De qua re diversae a medicis inveniuntur factae computationes. Iuxta recentissima experimenta doctoris Knaus, mulier esset fertilis a die 11 ad 17 a menstruatione habita, sterilis a die 1 ad 10, et a die 18 ad 28. Secundum doctorem Ogino esset fertilis a die 12 ad 19 ante menstruationem sequentem (exceptionaliter ad diem 24), sterilis autem per 11 dies ante menstruationem sequentem, et per 9 dies (exceptionaliter tantum per 4) post menstruationem habitam. Hinc quidam vellent quod theoria, ut dicunt, Ogino-Knaus late divulgaretur, ut humana generatio certis regulis posset subiici, et efficax praeberi remedium adversus horrendam onanismi praxim tam late diffusam.

Circa quod notandum;

A. Quantum ad *ipsam rei divulgationem,* generalis diffusio atque lata in populum propagatio, praesertim a sacerdotibus facienda, non videtur laudanda:

a) quia nata est nocere bono communi;

b) quia facile provocat scandalum, et ad onanismum ducit: cum enim utriusque praxeos idem sit effectus, nonne periculum adest quod ulriusque differentiam non satis perspiciant, et tandem modo innaturali, faciliore et securiore, sint usuri?

B. *Quantum ad rem ipsam:*

1. Licet in dies dicta theoria ad certitudinem magis accedat, computus tamen videtur tantum approximativus; unde ad conceptionem, etiam in dicta theoria, certo vitandam, sat diu coniuges a copula abstinere deberent, a die scii. 4 ad diem 19 vel 20 post menstruationem: diutius sane quam a promoventibus theoriam quandoque praedicatur.

2. Experimenta non videntur sufficienter certa, quia a) nondum certum est tempus durante quo ovum et sperma ad fecundationem manent apta; b) experimenta non sunt satis numerosa ad omnimodam certitudinem faciendam; et c) plura non in specie humana sed in animalibus fuerunt facta, unde ex eis tantum concludi potest per analogiam.

3. Ovulatio praecox aut tardior aut supplementaria semper est possibilis, unde et de facto fecundationes locum habuerunt aliis temporibus.

4. Hinc alii dicunt non dari legem generalem sed rem dependere a diversa conditione mulieris; alii vero dicunt nullum esse tempus in quo conceptio non sit stricte possibilis.

Ex quibus patet quam caute in affirmando vel consulendo hac in re procedere debet confessarius; in specie tempus ageneseos ita proponere vitet ac si per illud generatio certo omnino vitaretur.

C. *Quantum ad moralitatem:*

1. Ex eo quod actus non sit contra naturam, nondum sequitur eum esse plane licitum et, a fortiori, honestum; in casu, copulam coniugalem

eo solum tempore voluntarie exercere quo conceptio fieri non possit, not, est quidem actus contra naturam, cum eo modo instituatur prout natura indicat, sed est actus de se indifferens, at male sonans, qui, ut in concreto licitus et honestus sit, exigit rationem cohonestantem.

2. In specie, actus ille de se indifferens non est licitus et honestus nisi fiat ex bono fine: qualis non est quaerere voluptatem absque onere, sine iusta ratione velle prolem vitare, aut ex egoismo omnibus commodis et oblectamentis facilius frui vitae modernae. Hisce in casibus adest peccatum veniale, cum ex communi theologorum doctrina actum conlugalem ob solam voluptatem exercere sit veniale.

3. Etiam si finis adsit rectus, actus non erit bonus, nisi fiat cum debitis circumstantiis, ac proinde de mutuo consensu, absque periculo incontinentiae et sine detrimento amoris et fidelitatis coniugalis; secus adesset peccatum mortale.

4. In casu *particulari,* quo ratio adsit sufficiens vitandi procreationem, caute dicta praxis *insinuari* potest, potius a medico quam a sacerdote, illis tantum qui continentiam servare non possint: ipsis dicatur id *in hoc casu* esse licitum.

5. Denique inveteratis onanistis, quorum emendatio sperari non valet, eadem praxis *caute,* ut aiebat S. Poen. 16 iun. 1880, *insinuari* potest: tamquam minus malum in iis qui maius committere determinati sunt.

Doctrina sic proposita est sat communis inter moralistes.

VII. Animadversio de sponsis. — Sicut coniuges, ita sponsi de obligationibus suis praesentibus et futuris instruendi sunt. Generatim monendi sunt ut matrimonium quantocius celebrent: sic plurima impediuntur peccata; quantum vero ad procaciones matrimonii praeparatorias, diximus in op. *Quaestiones de vatiis Poenitentiam Categoriis,* c. 2. q. 3. ŋ. VI.

1) Videat speciatim confessarius an adsit impedimentum prohibens vel dirimens, ecclesiasticum vel civile, ut opportune removeatur si fieri possit; secus matrimonio et frequentationi renuntiandum est.

2) Occasione data, veram matrimonii christiani naturam exponat eiusque dignitatem et sanctitatem, atque inculcet civile matrimonium non esse nisi meram formalitatem, ad effectus civiles obtinendos necessariam.

3) Omni zelo utatur ut ad magnum matrimonii sacramentum oratione, praxi virtutum et sacramentorum receptione sponsi se praeparent, aut saltem confessione purificati bene illud recipiant; — unde si sponsus, confessionem instituens in ordine ad matrimonium contrahendum, dubie sit dispositus, sub conditione erit absolvendus: si sit indispositus, absolvi non potest, at pro opportunitate moneri poterit de obligatione se disponendi ad sacramentum per contritionem perfectam.

4) Moneat de gravissimo matrimonii fine et de coniugum et

parentum obligationibus. Cum magna tamen prudentia loquatur de matrimonii usu; et quidem :

a) puellam quae ignorantia laboret, ad matrem vel aliam piam feminam remittat eamque hortetur ut, matrimonio contracto, in dubiis ad se recurrat;

b) corruptam vero vel scientem honesto modo edoceat[1].

Quoad cautelas in sponsorum confessione adhibendas, ut perfecta cum sinceritate instituatur, non ingratum erit referre quae habet Theologia Mechliniensis, de Poen. (4) n. 97 q. 2:

« Quantum ad confessionem peccati mutuo consensu commissum inter sponsos complices, ut adducantur ad delicta sua integre confitendum, quaedam cautelae indicantur a theologis, quae utiliter adhibentur.

ia est ut confessarii regulam sibi praefigant desponsandos semper interrogandi circa peccata quae 6° et 9° praecepto decalogi adversantur; quod hoc fere modo fieri potest. « Pro maiori dispositione et tranquillitate conscientiae eorum qui matrimonio iungendi sunt, *soleo* ipsis quasdam interrogationes proponere: rogo ut sincere et cum fiducia ad eas respondeas, neque timeas, etiamsi graviter peccaveris, absolutionem tibi recusandam esse. An occasione proximi matrimonii tibi subortae non sunt cogitationes inhonestae? annon contigerunt illicitae familiaritates? Deus omnia vidit, et illi soli hic confiteris », etc.

2a cautela in eo consistit, quod ille prius audiatur, qui creditur *confidentius* et magis integre confessurus, quia vel minus erubescit, quod viris proprium est. vel timoratior est, ut feminae esse solent, vel assuetus est huic confessario candide confiteri.

3a cautela indicatur a nonnullis, scii, ut qui prius confessus est, *inducatur ad alteri dicendum,* priusquam hic accedat, se peccatum illud aperte confessum esse, adeoque ab ipso quoque fidenter esse declarandum.

4a cautela aliquibus esse videtur, ut confessarius ab eo qui prior peccatum confitetur, *licentiam* petat alterum de eo interrogandi. Hoc

1 Bona consilia inveniuntur apud S. Franciscum Salesium, *Introduction à la vie dévote.* Ill, c. 38-39; Cioi.li, *Direttor.io,* n. 94-96; Stôhr, *Pastoralmedisin,* et alios.

Ad eruditionem coniugum et sponsorum, innumera in lingua vernacula edita fuere opuscula. Quaedam indicare sufficiat: Joseff, *Conseils pour la préparation au Mariage;* Nvsten, *Ce que les fiancés et les époux doivent savoir; Instructions familières sur. le Mariage;* De Smet, *Het chrislelijk Huwelijk* (Gall. *Le Mariage chrétien); Poor de Trouwers;* Mervillie. *Trouwersboekske;* Aertnijs, *Bruidsexamen en Bruidsonderricht* (in N. K. St. 1906); Appei.man, *poor en in hel Huwelijk;* V. r». BuRG. *Oudersorg en Ouderzveelde;* pro excultis: ScHiM Van der Loef, *Het voortplantingsleven van den Mensch;* simul cum W. J. Duynstee. *De Leer der Kuischheid;* Ehrler, *Glückliches Eheleben; Ehelehre;* Holler. *Ehekatechismus;* Baur, *Glückliches Eheleben;* sub titulo *Brautsuntericht* varii scripserunt: Glôckes, Rist, Sommer, Krick; etiam Wilhelm, *Das Eheleben,* aut scriptum anonynum : *Die Ehe* (neerl. versum : *Het Huwelijk),* editum in Donauworth, sed haec duo cum quadam discretione videntur commendanda.

tamen pluribus poenitentibus odiosum videri posset; unde adhibendum non est, si timendum sit ne poenitens illud aegre ferat; aut si hic per se candide confessurus praevideatur.

Quando autem licentia huiusmodi data est omnino spontanee et cum ceteris conditionibus supra recensitis, eadem prudenter ac benigne utatur confessarius, ut complex in sua confessione inde solatium potius quam aliquod gravamen accipiat. »

Addit auctor: « Similis difficultas advenire potest confessario duorum coniugum vel aliorum qui simul grave peccatum incontinentiae, iniustitiae, etc. commiserunt; eademque principia iis applicari debent. »

Haec quidem non semper adhibenda sunt, nec erga omnes, quod aequum non esset, sed pro opportunitate.

QUAESTIO SECUNDA

De Filiis et Parentibus

I. Obligationes filiorum. — Liberi parentibus praestare debent quatuor officia : amorem specialem, reverentiam et honorem, obedientiam, subsidium in necessitatibus spirituale et temporale, ut exponi solet in theologia morali[1]

Quae constituunt necessarium fundamentum aut formale exercitium virtutis pietatis.

II. Peccant filii adversus parentes, et quidem peccato speciali de se gravi :

1° *Contra amorem,* si eos odio habent vel aspernantur, si iis signa odii ostendunt aut illos aspere tractant ac si odio habeant, si causa sunt ut merito contristentur, praesertim si graviter, si grave malum iis exoptant vel de eo deliberate gaudent contra ordinem charitatis.

2° *Contra reverentiam et honorem,* si asperis aut contumeliosis verbis vel quibus sciunt graviter offendi, eos afficiunt, si torvo oculo eos intuentur, si maledicta vel convitia in eos coniiciunt, si eos percutiunt vel ad percutiendos manum attollunt, nisi necessarium esset ad propriam vitam vel integritatem corporis conservandam; si parentes pauperes ex despectu vel erubescentia aut cum gravi eorum moerore nolunt agnoscere, nisi fiat ex vera necessitate gravi et secluso contemptu; si eos

[1] Cfr. *Summa Theologiae Moralis,* II, n. 810-817.

in iudicio de crimine etiam vero accusant, nisi crimen esset eiusmodi contra bonum commune, ut denuntiari deberet.

3° Contra *obedientiam,* si rebelles sunt aut contumaces contra expressa et iusta parentum mandata, si in re gravi spectante ad mores, educationem, animae salutem aut gubernationem domus eos non audiunt; si contra rectam voluntatem eorum cum persona indigna contrahunt matrimonium ex quo spectatis circumstantiis grave dedecus sequatur familiae; si statum eligunt inconsultis parentibus in adiunctis in quibus isti merito offendi possunt.

4° *Contra subsidium,* si parentibus pauperibus, se alere honeste non valentibus, alimenta aliaque necessaria non subministrant; si parentes in infirmitate negligunt, aut medicum, dum possunt, non arcessunt; si in periculo mortis eos admonere negligunt aut providere necessaria sacramenta; si eos a piis legatis faciendis malitiose impediunt vel facta non implent; si defunctis non succurrunt Christianis suffragiis.

Peccant : a) *peccato speciali,* quia odium aut iniuria in parentes peccato addit novam speciem contra specialem amorem vel pietatem parentibus debitam;

b) *de se gravi,* nam odium, malevolentia, contemptus aut iniuria, quae respectu alterius forent levia, facile graviora sunt respectu parentum, quibus strictius amorem, reverentiam et obsequium prae ceteris debemus. Potest tamen peccatum esse leve sive ex levitate materiae, sive per accidens ratione aetatis, infirmitatis, iudicii obtusi aut deficientis educationis. Hinc notat Reuter, *Neo-conf.* n. 138 :

Si in genere se quis accusat de inobedientia vel irreverentia contra parentes, spectanda est indoles et aetas poenitentis.

a) Si igitur aetas est tenera, supponi potest delictum non esse grave.

b) Si autem aetas est grandior et indoles videtur audax, interrogandum est de modo irreverentiae et materia inobedlentiae: quae enim respectu aliorum in materia odii, contumeliae, malevolentiae, contemptus, sunt mediocria, respectu parentum filiis sunt gravia, quia his illi sunt proximi post Deum.

c) Ceterum mos et aestimatio gentis etiam spectari debent, ut iudicetur de gravitate irreverentiae filiorum contra parentes.

d) Quodsi filius dubitet an causa aliquid faciendi vel omittendi, quo parens graviter affligi possit, sit iusta, tenetur abstinere, quia possessio est pro parente; imo licet certo constet exacerbationem parentis oriri ex malevolentia vel natura eius difficili et morosa, tamen pietas exigit ut filius omnem quoad potest eius exarcerbandi occasionem fugiat.

e) Si tamen praeter filii praevisionem oriatur exacerbatio, ipsi non imputatur.

III. **Interrogandi filii sunt,** praesertim grandiores :

1° An non graviter laeserint amorem parentibus debitum eos graviter contristando aut subsidium eis negando.

2° An mandata expressa parentum in re gravi transgressi sint, « sicuti esset, ne e domo de nocte egrederentur, ne ludis damnosis luderent, ne cum malis sociis, aut personis diversi sexus, et similibus versarentur», ut habet S. Alphonsus, *Praxis Conf.* η. 34.

3° An gravem irreverentiam adversus parentes commiserint dictis vel factis, puta imprecationibus, iniuriis gravibus coram illatis.

In casu contumeliae illatae tenentur filii honorem laesum eis restituere, et quidem per se veniam petendo coram iis in quorum conspectu peccarunt. In praxi tamen plerumque hic actus non iniungatur, sed suadeatur tantum, praesertim pueris; nam postea id exequi saepe vel verentur vel non curant, et ideo parentes ut plurimum remittere filiis hanc obligationem praesumuntur, ne filii iterum in Dei offensam incurrant

IV. **Monendi filii sunt** de suis erga parentes obligationibus' :

1® Si filius se accusat de *inobedientia,* moneatur ut meminerit maiora parentum beneficia, atque mandatum Dei obedientiam exigentis erga illos qui locum eius tenent in terris: quapropter inobediens filius Dei benedictionem non habet exspectandam. Speciatim, si parentes sint modestae conditionis, meminerit quanta pro filiis tulerint, quot noctes duxerint insomnes, quot molestias adhuc sustineant ut eos honeste alere iisque in futurum providere valeant; quare indignum se esse haec incommoda augere, vel auxilium iis denegare aut requisitum laborem.

2° Si filius *graviter offendit* parentes sive inobedientia, sive imprecatione aut laesione honoris, moneatur redux domum veniam petere et emendationem promittere, vel si id videatur difficulter facturus, suavibus verbis et promptis obsequiis debito suo satisfacere et eos sibi conciliare. Generatim tamen non expedit obligationem veniam petendi pro re *determinata* imponere iunioribus, quia est supra eorum vires.

3° Si *queratur filius de parentis partialitate,* atque existimet se tractari durius, alium contra faveri, interrogetur sitne iste forte magis reverens erga parentem: si ita, faciat ipse similiter; secus conetur in omnibus gratificari parentibus ita quod non minus ametur. Nec dilectio maior unius filii semper partialitate notatur: ita si virtuosior magis aestimetur, aut si iunior vel debilior teneriore affectu diligatur, non ideo alius vel natu maior obiective minus amatur quam oportet. Quodsi parens revera eum habeat asperius, iubeatur aut tacere aut benigne et reverenter respondere: nihilominus enim manet parens benefactor post Deum insignis huneque apud filios repraesentans, qui omnimoda cum

l Aertnijs, *Th. P..* n. 36, iuxta S. Alphonsum, *l. c.*
' Vide Reuter, *Neo-conf..* n. 147.

reverentia est tractandus; atque benigna reverentia filii benedictione coronabitur Dei, sicut vincere parentis anitnuin et emollire nata est.

4° *Si ad inobedientiam et irreverentiam excusandam queritur filius de patris ineptitudine ad rem domesticam gerendam* huiusque dilapidatione, moneatur ut ipse diligentius rebus invigilet, patre ebrio vel irato sileat, bene dispositum benigne et reverenter roget ut suis sibique consulat, si ita videatur opportunum, vel curet patrem ad meliora reducendum per virum prudentem, ut pastorem, confessarium aut amicum; interea Deum saepe et ferventer pro eo orare ne omittat.

5° Si filius detegatur *iniustus* erga bona vel iura parentum, moneatur:

a) ipsum de rebus sibi a patre concessis non posse disponere nisi secundum voluntatem patris; e rebus propriis vero, si habeat, ipsum teneri ad providendum suae sustentationi, imo ad subveniendum gravi necessitati parentum vel fratrum;

b) de bonis parentum indebite surripere peccatum esse iniustitiae, et quidem grave si agitur de re gravi et ipsi graviter sunt inviti, uti facile fit si pecunia subducitur ad lusus vetitos, compotationes, luxum aliaque mere inutilia aut vitiosa;

c) iniustltiam commissam per se inducere obligationem restitutionis. Ad eam tamen non est in praxi cogendus, nisi restituere possit et de gravi obligatione certo constet, nec pater recte censeatur condonavisse. Quaenam autem in casu sit quantitas gravis, non potest una regula definiri, sed diiudicandum est iuxta parentum statum, facultates, affectus in liberos, filiorum multitudinem atque finem ob quem res surrepta fuit. Ita, si parentes sunt divites, liberales in suos, filii pauci, et res accipitur ad usus honestos, parentes sunt minus inviti, saltem quoad substantiam, quam si sunt mediocris fortunae, parci, numerosam habent prolem vel res accipitur ad usus inhonestos [1]. Haec itaque omnia consideranda sunt, ne vel nimis facile filiis ingeratur conscientia peccati mortalis, vel laxentur habenae ad furandum.

De hoc argumento fusius et accuratius dici solet in tr. de lustitia.

V. Officia parentum. — Parentes filiis debent : specialem amorem, verum et sincerum, sed christiana prudentia moderatum; educationem corporalem seu curam vitae, alimenti et bonae valetudinis; instructionem et educationem spiritualem: atque providentiam statûs conditioni et indoli filiorum convenientis; quae in theologia morali declarantur.

VI. Peccant parentes in filios :

1° *Contra amorem :* per defectum quidem si eos odio habent vel contumeliis afficiunt, malum iis exoptant, bonum ipsis necessarium praestare non curant aut malum ab iis, si possunt, non avertunt; per excessum vero si nimium diligunt ita ut omnia ipsis permittant, aut alium aliis sine sufficiente ratione praeferunt.

1 Ibid., n. 143-144.

2° *Contra curam corporalem:* si proli iam conceptae nocent mater, v. g. immoderate laborando, saltando, graviora onera portando; pater uxorem praegnantem exasperando aut graviter percutiendo cum foetus periculo; si mater, dum possit, prolem lactare non velit praesertim cum magno huius damno, aut, dum non possit, de nutrice bonae valetudinis et honestae vitae vel de alio medio apto non provideat; si parentes filiis negant alimenta aliaque necessaria aut ad ea procuranda diligentiam non adhibent; si absque gravi necessitate prolem exponunt in viis publicis aut ad fores hospitalis ut se liberent ab onere ipsi providendi.

3° *Contra educationem spiritualem,* si filium cogant ingredi religionem aut ab ea sine iusta ratione impediunt; item si filios ad determinatas nuptias vere cogant; aut si a matrimonio prohibeant, nisi id fiat ob gravem et iustam causam; si filios in vera religione et in vita Christiana institui non curent, si eos ad scholas haereticas vel acatholicas mittant, vel etiam ad scholas neutrales vel mixtas sine gravi ratione et sufficienti cautela qua avertatur periculum perversionis; si pravum filiis praebeant exemplum; si ipsis non invigilent, permittant frequentare prava consortia, fovere illicitos amores, periculosas facere lectiones nec procurent ut officia impleant; si delinquentes filios non corriqant, aut, ubi necesse est, non puniant; vel e contra poenas infligant excessivas.

4° *Contra providentiam status,* si non curant ut filii artem vel litteras addiscant ut honeste iuxta sui conditionem vivere queant; si bona sua dilapidant et curam rei domesticae non habent, qua filiis providere aut haereditatem iis relinquere possint, ita quod ad convenientem statum pervenire et honeste vivere valeant.

Peccata sunt gravia ex genere suo; in singulis autem casibus an peccent graviter parentes, an tantum leviter, diiudicandum est ex gravitate materiae, damni, laesionis et ex adiunctis circumstantiis.

VII. Interrogandi parentes sunt[1] :

1° An négligentes fuerint in educatione filiorum, non curando ut doctrinam christianam addiscant, missae intersint, sacramenta frequentent, pravos socios devitent.

1 Aertnijs, *Th. P.,* n. 36, iuxta S. Alphonsum, *Praxis conf.,* η. 35 et 177.

2° An filios ad scholas catholicas, si adsint, miserint.

3° An curaverint ut artem addiscant, aut laborem in domo honesta exerceant.

4° An corripuerint eos de peccatis, praesertim de furto, si quod commiserint.

5° An scandalum illis dederint, v. g. praesentibus ipsis blasphemando, rixando, turpia loquendo.

6° An permiserint intempestivas aut incautas procationes, praecipue ut sola cum solo versetur.

7° An pueros vel puellas secum in lecto retinuerint, aut permiserint pueros et puellas condormire.

8° An filiis permiserint exire pro libitu, frequentare theatra, choreas vel alias societates periculosas, legere pravos libros.

VIII. Monendi et instruendi parentes sunt, pro opportunitate, ut totius familiae bene instituendae curam sedulam [1] habeant; speciatim vero :

1» Ut curent suos liberos bonis moribus ac etiam artibus pro sua facultate instruendos; illos ad catecbismum mittant, reduces examinent, bene meritos laudent vel etiam praemiolo aliquo excitent.

2° Ut praebeant toti domui bona exempla, nihil faciant vel loquantur quo pueri scandalizari queant.

3° Ut diebus sacris ad divina diligenter eos mittant, laboribus servilibus sine necessitate ne occupent, commendent lectionem pii libri, preces vespertinas aut rosarium B. V. simul cum ipsis in communi recitent, atque piae consociationi aggregari curent.

4° Ut tum inter se, tum inter suos maximi aestiment et curent concordiam. Caveant quoque ne sine speciali causa necessitatis unum ex filiis foveant advertentibus aliis, quia id invidiam et aversionem parit. Neque dum proles ab uno reprehenditur, alter palam obsistat, aut proli postea blandiatur, quia correptionis fructum omnino tollit.

5« Ut pro facultatibus suis sint misericordes in pauperes, atque exemplo charitatem christianam filios edoceant; expedit quoque ut pueris committant parvam eleemosynam pauperibus aut bonis operibus porrigendam, quo a teneris induant affectum misericordiae.

IX. Animadversio de discipulis et magistris. — Inter discipulos et magistros sunt obligationes similes ac inter filios et parentes. Quapropter interrogandi sunt :

[1] Reuter, *Neo-conf.,* n. 136.

A. *Disciplui:* 1° an reverentiam servaverint erga suos magistros, aut e contra insolenter erga eos se gesserint, eos irreverenter tractaverint, de iis detraxerint, iis irriserint aut molesti fuerint;

2° utrum stricte praecipientibus obcdientiam praestiterint quantum ad studia, bonos mores, disciplinam scholarem;

3° utrum attenderint lectionibus, diligenter studuerint, tempus inutiliter non perdiderint.

B. *Magistri:* 1° an debitam diligentiam in lectionibus praeparandis et dandis adhibuerint;

2° an malos mores discipulorum correxerint, nec tamen excessive aut iniuste eos puniverint;

3° an malum exemplum non dederint eosque non scandalizaverint.

QUAESTIO TERTIA

De Dominis et Famulantibus

I. **Officia dominorum** erga famulantes et operarios sunt :

A. *Justitiae :* 1° fideliter ea praestare ad quae ex contractu se obligarunt explicite aut implicite, imprimis debitam solvere mercedem;

2° laborem ipsis non imponere ultra vires;

3° non ante tempus sine iusta causa illos dimittere.

B. *Charitatis :* 1° agnoscere in subditis dignitatem humanam illosque tractare benigne;

2° illos nullatenus impedire a religiosis, moralibus et familiaribus suis officiis;

3° cavere ne iis scandalum praebeant, et ne ab aliis occasione laboris aut servitii ipsis praebeatur.

C. *Pietatis* insuper erga famulos proprie dictos domesticos:

1° alimenta congrua ipsis praestare, et curam habere eorum sanitatis, atque etiam remedium praebere aegrotantibus ad breve tempus, si consuetudo ita habet; non autem si ad longum tempus, nisi specialiter sit conventum;

2° invigilare ut vitam agant bonam et christianam, atque arcere periculum perversionis et occasiones peccati, praesertim si sint iuniores quorum educationem loco parentum curare domini debent;

3 eos quoque corrigere si blasphemiis, turpiloquiis, impiis sermonibus, illicitis familiaritatibus, aliis dant scandalum.

II. Peccant domini erga famulos et operarios :

1° Si non dant iis congrua alimenta vel iustam mercedem. aut debitam assecurationem contra infortunium vel pericula.

2° Si ante tempus sine iusta causa eos dimittunt.

3° Si salarium non solvunt tempore debito, vel de eo sine iusta causa aliquid detrahunt.

4° Si eos dure tractant vel contumeliis afficiunt.

5° Si scandalum vel occasionem peccati ipsis praebent aut ab iis non avertunt.

6° Speciatim erga famulos domesticos, si non curant eos servare Dei praecepta et Ecclesiae, delinquentes non corrigunt, négligentes in re salutis non monent.

Hinc, notat Reuter[1], « si circumstantiae id ferant, *monendi* sunt domini, ut suae obligationi satisfaciant, famulantes benigne tractent, non appellent verbis contumeliosis; eorum errata corrigant, leviora quandoque dissimulent, memores humanae fragilitatis; eorum famae consulant nec defectus aut vitia divulgent, nisi forte charitas postulet ut revelentur alteri, cui illi suam operam deinceps vellent addicere; quo etiam in casu, plus non est dicendum quam quod conducit ad cautelam heri futuri ». Et Aertnijs[2] « Heri *interrogentur* an famulos suos corripuerint cum blasphemabant, sacro non intererant, praecepto paschali non satisfaciebant, turpia loquebantur? Annon permittant procationem famuli cum famula in eadem domo, aut clandestinam? An pactam mercedem famulis solverint? »

III. Officia famulantium et operariorum sunt :

1° Reverentiam exhibere domino debitam.

2° Obedientiam praestare domini praeceptis, circa laborem aut servitium datis in ordine ad executionem contractus.

3° Non nocere rebus domini, abutendo aut damnum inferendo.

4° Integre et fideliter operam praestare pactam, et quidem cum diligentia et tempore praefixo.

5° Non cessare laborem aut relinquere servitium ante praefixum tempus, nisi gravis et iusta sit ratio; si tamen id face-

1 *Neo-conf.*, n. 150.
2 *Th. P.*, n. 36.

rent ob gravem metum aut notabile incommodum, quandoque esse possent culpa immunes.

6° Insuper, si famuli proprie dicti sint seu domestici, obedire in iis quae spectant domus et familiae gubernationem, bonos mores, ac pacem, et si sint minorennes, etiam in iis quae pertinent ad educationem eorum et institutionem.

IV. Peccant famulantes et operarii :

A. Contra *observantiam:* Si dominum irreverenter tractant, contumeliis afficiunt, contemnunt, ipsi irrident, de eo detrahunt, quae domi fiunt divulgant, secretum ex munere suo cognitum violant.

B. *Contra obedientiam :* Si domini praeceptis non parant quantum ad laborem aut famulatum, et pro famulis stricte dictis, etiam quantum ad gubernationem domus et bonos mores.

C· *Contra charitatem:* Si dominum scandalizant, vel etiam si peccato eius cooperantur, nisi ex causa proportionate gravi mere materialiter id fiat et mediate tantum.

D. *Contra iustitiam :* 1° Si négligentes omittunt servitium praestare vel laborem debitum.

2° Si domino reale damnum inferunt, vel etiam inferri non impediunt in iis rebus quae specialiter ipsorum curae sunt commissae.

3° Si salario debito non contenti, plus iusto mereri contendunt, vel etiam occulte se compensant, nisi maius esse debitum ex iustitia sit certum nec aliter facile compensandum.

4° Si res domini sibi usurpant, vel de iis donando aut vendendo disponunt contra domini voluntatem.

5° Si nomine domini res carius vendunt aut vilius emunt et lucrum sibi reservant, nisi dominus consentiat, aut praemium in eorum favorem *certo* factum fuerit.

In casu iniustitiae commissae ad restitutionem per se tenentur pro damno emergente et lucro cessante. Attendant plura damna aut furta levia erga dominum coalescere posse in unam materiam gravem. Quod tamen de rebus minoris momenti, ut de esculentis communibus, ordinario non valet, quia surreptioni ipsarum domini non multum sunt inviti vel solum de modo; e contra de rebus sedulo custoditis, summis magnis, esculentis exquisitis, rebus extraordinariis aut magni valoris.

De omnibus praedictis monendi sunt data opportunitate et interrogandi, v. g. utrum officia sua fideliter impleverint, debitam ex pacto operam bene praestiterint, nec opus tradiderint vitio occulto, vel damnoso affec-

tum. diligenter laboraverint nec tempus laboris otiosi triverint, alios a labore non avocaverint, curam habuerint rerum domini nec ab eo furati sint.

V. Monitum: *de dominis qui amplioribus praesunt industriarum officinis* et abundantioribus rerum copiis. — Velint isti speciatim curare ne erga operarios iniuste agant, atque Ingentibus divitiis bene utantur, ne operariis et pauperibus sint scandalum. Ut notat Lehmkuhl [1], confessarius invigilare debet: num officia boni patrisfamilias impleant et suis debite invigilent, num a pravis aut periculosis oblectamentis abstineant. Curet vero: ut vitam bono communi utilem ducant atque pecuniis utantur ad opera fundanda humanae societati vere utilia, ab excessivis prodigalitatibus abstinentes; ut largas eleemosynas faciant pauperibus et operibus charitativis; ut in honorem et imitationem Christi crucifixi a mundanis oblectamentis abstineant et vitam simplicem ducant.

QUAESTIO QUARTA

De Officialibus publicis

I. Quinam sunt officiales publici. — Nomine *officialium* hic veniunt omnes illi qui in munere seu officio publico constituti sunt, uti iudices, advocati, notarii, custodes ordinis publici, etc.; qui si non bene funguntur officio suo. nocent bono communi, et damnum iniustum inferre possunt privatis. Unde de iis quaedam notanda veniunt[2].

II. Iudices interrogandi sunt, si videantur laxioris conscientiae :

1° Nonne personarum acceptionem fecerint.

2° An causas expediverint.

3° An ante sententiam conveniens studium praemiserint aut omiserint.

4° Nonne ex passione: odio, aversione, affectione erga alteram partem, sententiam pronuntiaverint.

5° Nonne iusto graviores poenas decreverint, non attendendo ad circumstantias attenuantes, si quae adfuerint.

1 In editione operis Reuter, *Nco-conf.*. n. 156a.

* Cfr. S. Alphonsus, *Praxis conf.,* n. 55-50; Aertnijs, *Th. P.,* n. 44-45; Lehmkuhl in nova edit. Reuter, *Neo-conf.,* n. 167a; Salsmans, *Rechtelijke Plichtenleer,* i. c. Deontologia iuridica.

6° Nonne pro *sententia ferenda,* sive iusta sive iniusta, pecuniam vel munera exegerint aut acceperint'.

Notetur: a) *Iudices,* si careant competenti scientia, officium tenentur dimittere, aut scientiam iurldicam addiscere et Interim pro posse a munere exercendo abstinere, vel saltem doctoris consilium capere si prorsus abstinere nequeant.

b) *lurati,* qui apud quasdam nationes constituuntur ut de reitate criminum indicent secundum propriae conscientiae persuasionem, peccant si contra reum pronuntient sive ex sola privata notitia, cum iudicialiter crimen probatum non fuerit, sive ex iudiciali probatione dum privata scientia cognoscant eum esse innocentem.

III. Advocati speciatim peccant :

1° Qui causas civiles aperte iniustas defendendas suscipiunt, vel postquam iniustas cognoverint, defendere pergunt: quod si in causa fuerint victores, tenentur victo quoad damnum; si victi fuerint, teneri possunt quoad expensas clientis, si iste ignoraverit iniustitiam et ex ignorantia causam prosecutus sit.

2° Si clientes suos non fideliter doceant conditiones causae.

3° Si non servant fidem et secretum suis clientibus.

4° Si in defendenda causa iusta negligentiam committunt, vel malas artes adhibent.

5° Si negligentia sua in culpa sunt cur clientes e causa exciderint, cum alias, omnibus rite et apte allatis, vicissent.

6° Si salarium nimis exaggeratum exigunt.

In omnibus illis, advocatus si iniustum damnum intulit, illud reparare tenetur.

IV. Notarii et tabelliones congrue interrogentur :

1° An ob negligentiam fuerint causa damni gravis.

2° An infidelitatem vel iniustitiam commiserint, in notandis testium depositionibus vel conficiendis instrumentis.

3° An secretum violaverint.

V. Ministri et custodes ordinis publici pro opportunitate interrogentur :

1° An moralitati publicae invigilaverint.

1 Plura alia videri possunt in *Summ. Theol. Moralis,* II, 632-634.

2° Nonne officio abusi sint ad peccandum.

3° Nonne, lustrando lupanaria, habuerint prava desideria.

4° An delinquentes detulerint intra tempus determinatum.

5° Nonne munera acceperint ad non deferendum.

6° Annon innocentes detulerint ex odio vel vindicta.

7° An denuntiaverint pro damnificatione mere casuali.

VI. Animadversio. — *Officiales publici cuiuscumqtie generis* ex officio tenentur, ac proinde ex iustitia :

1° ad diligentiam ordinariam et gravitati rerum proportionatam in implendo munere adhibendam;

2° ad agendum conformiter iis quae in eorum contractu vel speciali statuto explicite enuntiantur;

3° ad non abutendum officio suo vel notitia *vi sui officii* acquisita, in favorem consanguineorum aut amicorum, iis v. g. rem prius manifestando quam aliis civibus, aut contra, manifestationem publice faciendam de industria differendo. Tali vero notitia solum uti in proprium commodum, a pluribus habetur ut non iniustum : id quidem probare nolumus, sed nec damnare audemus, nisi tamen esset positive a lege prohibitum.

His itaque speciatim attendere debent officiales; pariter ipsorum confessarius. Quodsi muneri non satisfecerint, vel etiam pecuniis aut muneribus se corrumpi ab aliis permiserint, ad restitutionem teneri possunt:

a) *ratione mercedis indebite acceptae.* Qui non agit vel male agit quod debet, perinde est ac si stipendium furetur, et restituere debet pro rata sui defectus;

b) etiam *ratione damni illati ex* gravi negligentia vel prava voluntate, sive publici, quod obvenit communitati, sive privati, quemdam inique gravando aut ius strictum eiusdem violando;

c) insuper, *ratione pecuniae vel muneris a privatis accepti:* si enim acceperint fideliter implendum officium, restituere tenentur iis qui dederint. cum ad implendum officium iis detur stipendium, ac proinde nullum ius habent ad aliquid aliud consequendum; si vero acceperint ad iniuste implendum, restituere tenentur illi cui damnum iniustum intulerint, et quidem pro toto damno illato.

QUAESTIO QUINTA

De Medicis et Pharmacopolis

I. **Ratio quaestionis.** — Specialis adest ratio de medicis et pharmacopolis movendi quaestionem, cum ab eorum agendi modo multum pendeat salus publica [1].

II. **Medici peccant** contra obligationes sui status :

1° Si non satis versantur in scientia et praxi suae artis, aut in casibus difficilioribus studia non adhibent vel doctiores non requirunt.

2° Si in curandis morbis diligentiam debitam non adhibent.

3° Si periculosum remedium applicant infirmo, nisi in casu desperato, deficiente remedio tutiore.

4° Si media illicita adhibent, v. g. abortum directe procurant, aut embryotomiam, aut sterilizationem, vel ea suadent quae bonis moribus contradicunt, aut morphium aut narcotica adhibent in quantitate nociva.

5° Si inutiles operationes faciunt chirurgicas, aut periculosas absque ratione proportionate gravi.

6° Si in partu difficili, seu existente periculo, foetui sive maturo sive immaturo non certe emortuo. Baptismum non conferunt vel non procurant, aut rectum modum baptizandi tales foetus non cognoscunt.

7° Si, periculo mortis existente, non curant monere infirmum debito tempore, ut saluti aeternae consulere possit.

8° Si sine iusta causa, vel ex humano respectu, licentiam pronuntiant manducandi carnes aut omittendi missam.

9° Si curam pauperum negligunt, praesertim in gravi necessitate.

10° Si salarium immodicum exigunt, vel etiam visitationes multiplicant inutiliter, nisi id ad solatium aegroti conterat et ipsi gratum sit.

[1] De his S. Alphonsus, *Praxis Conf.,* η. 57-58; Aertnijs. *Th. P..* n. 46; Lehmkuhl in nova ed. Reuter, *Neo-conf.,* n. 167. a, HI; Salsmans, *Geneesknndige Plichtenleer.*

De his plura fusius declarantur in capite 2, § B, q. 1[1].

III. Pharmacopolae interrogari inter alia possunt :

1° An remedia praegnantibus praestiterint ad abortum procurandum.

2° An vendiderint unum pharmacum pro alio et carius quam valeat.

3° An remedia inepta praeparaverint aut vendiderint.

4° An remedia vel instrumenta anticonceptionalia vendiderint.

5° An narcotica vel alia damnosa tradiderint, nisi iis quibus medicus praescripserit aut quos non abusuros certa scientia sciant.

Quae valent de iis qui proprio nomine remedia praestant aut vendunt; quod si in hoc sint aliis famulantes, licita poterit esse cooperatio mere materialis ob valde gravem rationem proportionatam, saltem donec aliud sibi opportune quaesierint servitium.

QUAESTIO SEXTA

De Mercatoribus et Militibus

I. Ratio quaestionis. — Quia difficile est in negotio sive mercaturae sive militiae servare iustitiam et christianam ducere vitam, confessarius mercatoribus et militibus specialem dabit attentionem et curam.

II. Mercatores speciatim interrogandi sunt[2] :

1° An deceperint in pondere et mensura.

2° An res vendiderint ultra pretium summum, nisi ratione damni emergentis, lucri cessantis, aut specialis affectus vel indigentiae rei.

3° An non abusi sint necessitate aut indigentia emptoris ad pretium indebite augendum.

1 Etiam videri potest *Summa Theol. Monalis,* II, n. 376-379.

2 Cfr. S. Alphonsus, *Praxis Conf.,* n. 59; *Theol. Moral.,* l. III, tr. V, n. 801 sq.; Reuter, *Neo-Conf.,* n. 157-160.

4° An non sint usi fraudibus in commercio.

5° An manifestaverint vitia rei vendendae gravia et occulta, aut de quibus speciatim fuerint interrogati.

6° An rei venditae non substituerint aliam substantialiter diversam, aut res cum alia minoris qualitatis commixtas non vendiderint quin minuerint pretium.

7° An merces vitiosas non vendiderint brevi corrumpendas: aut bona litigiosa quin de hoc monuerint.

8° An non vendiderint pretio infimo, sed minorem praebentes mensuram.

9° An coalitiones aut monopolia iniusta non constituerint ad pretium excessive augendum, aut plus quam summum exigendum praesertim in rebus necessitatis.

10° An mediis iniustis, aut fictitiis, vel falsis rumoribus non usi sint ad pretium rerum artificiose augendum vel minuendum.

Haec ultima praesertim locum habent in magnis negotiis.

In omnibus casibus praedictis ad restitutionem tenentur, si exinde indebite facti sint ditiores, aut si damnum iniustum voluntarie intulerint. De quo etiam dicetur infra, c. 2, § B, q. 4.

III. Milites interrogandi sunt praesertim :

1° De blasphemiis et iuramentis indebitis.

2° De omissionibus in implendis praeceptis Ecclesiae, praesertim de neglecta missa dominicali, quin ratione servitii militaris fuerint impediti.

3° De rixis atque duellis; si haec ex condicto ineantur, incurritur excommunicatio.

4° De luxuria, et quidem non solum de pollutione, sed etiam et praesertim de fornicatione, vel etiam de stupro, et quandoque, praesertim inter equites, de sodomia.

5° De inhonestis pravis oblectamentis aut lectionibus.

6° De furtis et iniustitiis.

7° De damnis iniuste illatis.

Hoc praesertim valet pro tempore belli. Qua occasione quaeri potest: an innocentes non laeserint, bona privatorum non rapuerint, vel ipsis damnum intulerint, bona non occupaverint absque necessitate sustentationis aut legitima ducis requisitione, aliena sine necessitate non destruxerint, etc. Pro iis quae iniuste raperent aut destruerent, tenerentur ad restitutionem.

QUAESTIO SEPTIMA

De Sacerdotibus et Parochis

I. Quaestionis momentum. — Confessiones audire sacerdotum opus est summi momenti, quod magna cum discretione et prudenti zelo est implendum, ob eorum dignitatem simul et magnum quem nati sunt exercere influxum. Sicut enim vita ipsorum sancta confert ad mores populi informandos, ita ad populi corruptelam concurrunt mala eorumdem exempla aut neglecta officia. Oportet enim ut virtute aliis praesint et oves Christi doctrina, oratione et exemplo, atque sacramentis pascere non desistant. Unde confessarius satagere debet ut in fervore vitae sacerdotalis eos retineat, et a tepore vel relaxatione praeservet[1].

II. Modus se gerendi cum sacerdotibus. — Confessarius, in excipiendis sacerdotum confessionibus :

1° Reverenter omnino se gerat.

2° Si probi sunt, cum theologiam moralem cognoscant, generatim opus non est eos interrogare de specie et numero peccatorum, nisi manifeste sit insufficiens eorum confessio aut neglectae conscientiae sint; in dubio de gravitate culpae ab iis quaeri potest num putaverint se peccare graviter.

3° Adhortatio non omittenda est, sed sit brevis et modesta, ac indirecte facta, dicendo v. g.: « nos sacerdotes ».

4° Fortiter procedat in faciendis correptionibus si necessariae essent, et constans sit in deneganda absolutione si oporteret, v. g. si qui essent recidivi aut occasionarii sine emendatione.

5° Nec turbetur si quandoque audiat multa peccata. Vivunt sacerdotes in medio sollicitationum, et mirum esset si inter tot sacerdotes, quidam aliquando non caderent, saltem occulte.

III. Monita sacerdotibus praestanda. — Confessarius sacerdotibus suadere prae ceteris potest :

1 De hoc argumento S. Alphonsus, *Homo apost.*. app. IV, § I, n. 9; *Praxis Conf.,* η. 49-52, 183. igû sq.; Aertnijs. *Th. P.,* n. 153-162; et n. 42; Reuter, *Neo-Conf.,* n. 154.

1° Ut bene apprehendant dignitatem vocationis suae et obligationes.

2° Ut ovibus totos se impendant et iis prodesse conentur precibus, exemplo et ministerio; maxime aegrorum, pauperum, et puerorum curam specialem habeant.

3° Ut quatuor vitia summo studio devitent quae clericum maxime dedecent et illi periculosiora sunt. scii, otiositatem, luxuriam, ebrietatem et avaritiam.

IV. Media opportune inculcanda. — Ad vitam ducendam vere sacerdotalem, multum imprimis confert firmum propositum talis sanctae vitae; quo proposito deficiente, vita erit instabilis, infrugifera, et periculis plena; ipso vero stante, in muneribus ecclesiasticis obeundis orietur alacritas, in virtutum exercitio oblectatio, adversus tentationes irruentes robur, ac in his omnibus perseverantia.

Ad propositum execution! mandandum et in eo firmiter standum maxime valent :

1° *Studium orationis,* tum meditatio mentalis et divinarum rerum consideratio ad pios affectus ordinata: sine oratione mentali, ait S. Alphonsus [1], difficillime bonus erit sacerdos, cum deerit lumen in mente ad intelligendas veritates supernaturales et calor fervoris in voluntate quo moveatur ad sancte vivendum; — tum etiam oratio stricte dicta et vocalis, necessaria ut gratias pro se et pro suo ministerio obtineat, aliique hanc orandi necessitatem intelligant.

2° *Officium divinum,* quo inter preces fundendas nihil est excellentius et salubrius post SS. Missae Sacrificium. Et sane, sacerdos in ipso utitur verbis a Spiritu Sancto in Scriptura inspiratis vel ab Ecclesia Dei compositis, iungit se curiae coelesti, opus Christi continuat, opus totius Ecclesiae peragit cuius legatione fungitur, laudibus suis reparat peccata, virtutum theologicarum elicit actus, opem divinam pro se et toto genere humano implorat.

3° *Sacrificium Missae,* quod centrum est nostrae religionis ad quod omnes caeremoniae et preces Ecclesiae ordinantur et ad quod omnem curam sacerdos referre debet. Triplicem vitet abusum: celebrare *modo incongruo,* nimis lente scii, aut nimis festinanter, quod irreverentiam continet; celebrare *ex mera consuetudine,* sine praeparatione et gratiarum actione, cum tepore et frigore; celebrare *cum conscientia peccati mortalis,* ita quod, dicente apostolo, reus sit corporis et sanguinis Domini.

4° *Confessio frequens,* singulis hebdomadis aut quindenis, ad maiorem puritatem necessaria et ad securiorem directionem. Omnis sacerdos confessarium habeat, in quo plenam fiduciam reponat, et cui conscientiam perfecte exponat.

5° *Amor studii,* iuxta illud I Tim. IV, 13, 16; « Attende lectioni, exhortationi et doctrinae... Attende tibi et doctrinae; insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsuin salvum facies et eos qui te audiunt ». Unde sacerdotes omnes satagere debent ut pluribus diebus in hebdomada, imo

1 *Praxis Conf.,* ŋ. 183.

quotidie, quoddam tempus studio impendant sacrae doctrinae, theologiae imprimis dogmaticae et moralis, ut requiritur ad propriam et ad proximi salutem. Oportet enim eos doctrinam proponere populo, sacramenta explicare, praecepta omnibus inculcare atque singulis officia propria, et iudicare de conscientiae casibus. Ne autem praetextent sibi deesse omne studendi tempus: quot enim temporis inutiliter teritur!

6° *Exercitia spiritualia* quotannis habita ad statum conscientiae diligentius explorandum statumque animae componendum, languori medendum et fervorem excitandum, in solitudine et perfecta ab omni negotio separatione, ut sacerdos totus Deo esse valeat, meditari possit veritates aeternas, orare in abscondito et vocem Dei audire.

V. **Principales obligationes sacerdotibus propriae**, numerari solent :

1° Vitam sanctam ducere et perfectam, ad imitationem Christi, cuius sunt ministri in terris.

2° Officium divinum quotidie recitare.

3° Continentiam quoque servare, si pertineant ad Ecclesiam latinam.

4° Sacrificium missae celebrare saltem aliquoties in anno : ita ratione sacerdotii, nam saepius obligari possunt ratione specialis officii, beneficii aut stipendii.

5° Ministerium sacrum exercere et sacramenta ministrare, si adsit necessitas aut speciale iis incumbat officium.

6° Abstinere ab iis quae statum suum dedecent, ut a mundanis spectaculis, choreis et pompis, negotiatione et mercatura, aleatoriis ludis etc. (can. 138-142).

7° Superfluos a bonis ecclesiasticis reditus impendere pro pauperibus et causis piis (can. 1473).

VI. Interrogandus est sacerdos, de *suis obligationibus,* si quis videatur *neglectae conscientiae*[1] :

A. *Simplex sacerdos:* an horas canonicas recitaverit, an oneribus missarum satisfecerit vel an has per multum tempus distulerit celebrare, an missam non absolvat nimis festinanter, an legem ecclesiasticam servaverit quantum ad negotiationes, ludos aleatorios, aut speculationes, mundana quae dedecent negotia, an in casu necessitatis ministerium sacrum exercere non recusaverit, an pie vixerit et tempus bene ordinaverit.

1 S. Alphonsus, *Praxis Conf.,* n. 49 sq.; Aertnijs, *Th. P.,* n. 42.

B. *Confessarius :* an scientiam ad confessiones audiendas necessariam acquisiverit, an studio sufficientem operam dederit et an studere pergat, an absolverit eos qui manebant in occasione proxima peccati, aut erant recidivi nec extraordinaria signa suae dispositionis afferebant, an sacramentum Poenitentiae magna cum cura ministret, nec erga poenitentes sit rigorosior aut benignior. Quodsi confiteatur peccatum grave contra castitatem cum alia persona commissum, interrogetur an cum suo poenitente, an complicis confessionem exceperit et ab isto peccato absolverit, an forte poenitentem sollicitaverit.

C. *Parochus :* an pro posse vitia corripiat subditorum, praesertim eorum qui publicum praebent scandalum; an invigilet ut omnes paschale impleant praeceptum et admonuerit eos qui illud neglexerunt; an sacramenta ministraverit in periculo mortis, aut cum ipsemet requisitus fuerit; an moribundis debitam praestiterit assistentiam; an diebus dominicis conciones habuerit, an instruxerit populum de doctrina Christiana, rudes praesertim circa mysteria fidei et media ad salutem, et nupturientes occasione futuri matrimonii, obstetrices vero et medicos de recte baptizandi modo in casu necessitatis; an pueros rite instituerit in catechesi doctrinae christianae eosque ad s. communionem praeparaverit aetate qua iam possint esse idonei; an bonum exemplum dederit et omne vitaverit quod oves possit scandalizare; an fideles etiam ad pietatem et devotionem promoverit; an missam pro grege celebraverit et debitas largitus sit eleemosynas.

VII. Animadversio. — Cum parochus aliique sacerdotes quibus animarum incumbit ministerium, semper parati sint oportet ad ministranda sacramenta, debent semper esse in statu gratiae, ne sacrilege ministrent.

QUAESTIO OCTAVA

De Religiosis et Monialibus

I. Obligationes speciales religiosorum. — Religiosi utriusque sexus tenentur ratione sui status ;

1° Ad perfectionem tendere conformiter ad suam regulam et constitutiones.

2° Tria servare vota obedientiae. castitatis perfectae et paupertatis.

3° Orationi mentali incumbere, quotidianae assistentiae Sacrificii altaris aliisque officiis pietatis.

4° Singulis saltem hebdomadis facere confessionem sacramentalem, et frequenter accedere ad S. Communionem.

5° Officium divinum in choro recitare, si religioni suae competit; qui autem vota emiserunt solemnia in conscientia tenentur etiam ad recitationem privatam.

6° Habitum gerere religionis suae.

7ո Clausuram servare.

8° Vitam communem ducere.

9° Abstinere a saecularibus, quae ipsos dedecent, negotiis, indecoris artibus et mundanis delectamentis, eodem modo ac dictum est pro sacerdotibus.

Quibus omnibus invigilare tenentur superiores, qui insuper ligantur specialibus praeceptis.

II. Interrogandi religiosi et monendi sunt de obligationibus suis, si qui sint neglectae conscientiae :

A. *Religiosus* cuiusque generis : an aliquem defectum admiserit contra vota: contra paupertatem, accipiendo, largiendo, utendo sine licentia; contra castitatem perfectam, etiam indulgendo phantasmatibus impuris aut desideriis, occasiones non vitando peccati, aut cor suum non sufficienter custodiendo; contra obedientiam, non parendo specialibus superiorum praeceptis aut ea contemnendo; an non indulserit tepiditati aut vitam perfectam non contempserit.

B. *Monialis* speciatim : an officium divinum recitaverit; an periculosam quamdam amicitiam non nutrierit, puta si adfuerint saltem verba, aut litterae amatoriae, aut periculosae familiaritates: nonne aliqua teneatur aversione erga suas sorores; an officium particulare, si quod habeat, sedulo adimpleverit nec illo abutatur.

C. *Antistita :* an debitam adhibeat diligentiam, cum viri monasterium ingrediuntur aut ibi morantur; an magnam bonitatem simul ac firmitatem in monasterio regendo ostendat: nonne

abusibus, praesertim novis, conniveat : advertendo, ait S. Alphonsus', quod licet particulares moniales peccent leviter, levem regulam transgrediendo, superiores tamen qui non curant impedire, cum possint, observantiae relaxationem, peccent in re gravi.

III. Speciatim monenda est antistita : 1" ut religiosas omnes sine distinctione tamquam filias charissimas diligat et quamlibet libenter audiat eique succurrat; 2° delationi non se praebeat credulam, sed caute inquirat, et si corripere debeat id plerumque faciat privatim; 3° regularem observantiam procuret et ipsa suo exemplo omnibus praeëat; 4° abusus, si qui sint, prudenter rescindere satagat; 5° cordi habeat ut infirmae bene curentur et a consororibus saepe visitentur; 6° ab avaritia simul et luxu ac superfluitate abstineat; 7° in novitiis admittendis vel dimittendis magna consideratione utatur; 8° in circumstantiis extraordinariis Ordinarium tempestive consulat; 9° libertatem, a canonibus sancitam, confessarium adeundi extraneum ad conscientiae tranquillitatem subditis suis ne prohibeat (can. 522); item ne eas prohibeat a communione frequenti aut quotidiana, nisi in casu gravis scandali donec ad poenitentiae sacramentum accesserint (can. 595, § 2 et 3).

IV. Consilia pro confessario religiosarum, praesertim monialium! — A confessario religiosarum quaedam observanda sunt, quaedam vitanda.

A. *Obseruanda.* 1» Confessarius cognoscere studeat ea quae ad status religiosi perfectionem spectant, et ea quae ad propriam respectivae religionis vocationem pertinent.

2° Provideat ut religiosae plena fiducia conscientiam suam ei pandant, quod summe necessarium est cum unicum fere refugium, praesertim si sint moniales, ad confessarium habeant; quo si priventur, tamquam oves sine pastore destitutae variis angoribus et tentationibus stint expositae. Unde magna sit eius patientia et paterna mansuetudo; et si religiosa verecundiae signa praebeat, enixe eam adiuvet.

3° Studeat ut religiosae in virtutibus proficiant, quales sunt: amor Dei, non sensibilis, sed fortis, impellens ad voluntatem Dei etiam in arduis faciendam; humilitas et modestia, tam interna quam externa, iuncta cum gaudio spirituali; obedientia erga regulam, constitutiones, antistitas et confessarium, ita quod prompte, fideliter, alacriter et caece obediant; charitas erga sorores ut nullam offendant vel contristent, offensas acceptas ex animo condonent, defectus aliarum patienter et mansuete fe-

1 *Praxis Conf.,* η. 54.
* Aertnijs, *Th. P.,* n. 149-150.

rant, easque, dum possunt, adiuvent; castitas quae praecavet omnem affectionem et familiaritatem.

4° Procuret regularem observantiam, adhortando ut cuncta praescripta accurate et ex vero spiritu religioso peragant.

5° Auctoritatem superiorissae salvam et incolumem tueatur.

B. *Vitanda.* 1° Raro potius quam frequenter cum monialibus conversetur confessarius, et, ubi colloquendum est, brevitati studeat.

2° In responsis dandis non sit nimis praeceps, sed in gravioribus vel dubiis quaestionibus tempus recogitandi sumat.

3° Nulli sit nimis familiaris, nec uni potius quam alteri faventem se ostendat; secus pericula, aversiones, perturbationes oriri nata sunt.

4° In confessionibus audiendis nullum taedium, impatientiam, festinationem patefaciat, quia id imminuit fiduciam.

5° Non turbetur aut scandalizetur si interdum graviora peccata, v. g. carnis aut sacrilegii, patrata audiat; personae Deo consecratae vehementius tentantur, unde commiseratione potius quam indignatione dignae sunt.

6° Nullam suspicionem praebeat, quod notitia confessionis ad aliquid exterius agendum utatur.

7° Nullo modo se immisceat regimini domestico, vel negotiis ad Ordinarium vel ad superiorissam spectantibus, sed intra limites muneris sui consistat. Meminerit se nulla auctoritate gaudere in foro externo; quapropter caveat ne novitates introducat, nisi forsan ob graves rationes et cum consilio et voluntate antistitae ac maximae partis communitatis.

V. Animadversio de dirigendis poenitentibus in pietate et perfectione. — In hac directione confessarius uti poterit iis quae diximus in opusculo nostro De *Variis Poenitentiam Categoriis,* ubi de Piis et Devotis, ac de Perfectis et Contemplativis, c. 3, q. 1 et 2.

CAPUT II

DE VARIIS PECCATIS CONTRA VIRTUTES ET DECALOGI PRAECEPTA

Praeter officia statuum particularium propria, alia sunt omnibus hominibus communia, ad quae nos ordinant virtutes theologicae atque morales, ac praecepta decalogi. Sicut autem diversae virtutes nos disponunt ut recte ordinemur ad Deum, ad proximum, ad nosipsos, ita quoque alia sunt peccata in Deum, in proximum et in nosipsos.

In praesenti capite dicemus de quibusdam peccatis in Deum et in proximum; de praecipuis peccatis in nosipsos dicendum venit in tertio capite, ubi de peccatis capitalibus.

§ A. DE QUIBUSDAM PECCATIS IN DEUM

Peccata in Deum directe fiunt contra virtutes theologicas et contra religionem. Virtutes theologicae, fides, spes et charitas, non formaliter et expresse proponuntur decalogo, sed huic praesupponuntur sicut principia conclusionibus, intentio finis ordinationi de mediis, et agnitio legislatoris submissioni legis. Virtus religionis proponitur in tribus prioribus decalogi praeceptis, quantum scii, ad tria officia fidelitatis erga Deum, reverentiae ac famulatus.

In sequentibus dicemus :

1° de quibusdam peccatis contra fidem divinam, quae in ordine praesenti supernatural! necessaria est ad perfectam erga Deum revelantem fidelitatem;

2° de quibusdam peccatis contra Dei reverentiam;

3° de peccato contra Dei famulatum seu de violatione diei dominicae.

QUAESTIO PRIMA

De Quibusdam Peccatis contra Fidem

I. Obiectum quaestionis. — Fidei divinae directe opponitur peccatum infidelitatis, quod in baptizatis est haeresis et apostasia; indirecte opponuntur multa, quaecumque scii, periculum constituunt aut occasionem fidem amittendi vel comprimendi, uti sunt communicatio cum infidelibus et haereticis praesertim in sacris, cooperatio ad infidelitatem et haeresim, evulgatio et lectio scriptorum fidei contrariorum, opiniones pro fide periculosae, de quibus in Tractatu de Fide'.

In praesenti speciatim agitur : de liberalismo et socialism©, qui plerumque indirectum constituunt pro fide periculum a quo fideles sunt arcendi; — de haeresi quae directum est fidei obstaculum, a quo lapsi in eam sunt convertendi; — de dubio in fide, quod potest esse alterutrum. Hinc spectabimus poenitentes triplicis generis :

a) liberalismo aut socialism© infectos, monendos aut etiam dimittendos,

b) haereticos, in Ecclesiam et ad sacramentalem confessionem recipiendos.

c) in vera fide dubitantes et vacillantes.

II. Quanti momenti sit occurrere Liberalismo et Socialism©. — Non raro evenit catholicos quosdam spiritu liberalism! imbui eiusque theoriis aliquatenus adhaerere; similiter socialism!. Oportet proinde confessarius errores illos noverit, et de liberalism! labe vel socialism!, qua forte poenitentes sint

1 *Cir.Summa Theologiae Moralis,* I, n. 733-780·

infecti, indicium prudens valeat proferre rectumque cum eiusmodi poenitentibus agendi modum sibi praestituere.

Res est enim periculis plena. Ordinario quidem non fit aliquis liberalis aut socialista complete statim ab initio. Incipit legere diaria aliave liberalium aut socialistarum scripta, consociatur eorum societatibus absque mala forsan intentione, vel ipsis dat suffragium in electionibus politicis. Nec ideo necessario fit impius aut indifferens in re religionis; sed ordinario fides eius refrigescit atque praxis religiosa paulatim imminuitur. In huiusmodi virorum filiis solet crescere indifferentia religiosa, atque horum filii adhuc baptizantur, primam faciunt communionem, coram Ecclesia matrimonium ineunt et sacerdotem advocant in fine vitae, sed praeter ea nulla fere adest praxis religionis. In tertia generatione iam erit indifferentia completa vel etiam erga religionem hostilitas, ita ut in vita practica quasi praevaleat paganismus.

Contra quae pericula sacerdotes oportet serio moneant atque praemuniant fideles tum publice, tum etiam privatim in confessione.

Hodiernis quidem temporibus res evadit forsan minus practica in nostris regionibus, quia multi liberales iam non frequentant ecclesiam aut sacramenta, nec contra illos lucta tam acris est ac antea; principia tamen semper valent, et nova possent occurrere adiuncta in quibus rursus in praxi magis inservirent. Imo, ob absentiam pugnae pericula sunt forsan maiora, cum fideles non tam facile perspiciant imminentiam periculi et ingentiam mali. Unde nunquam est desistendum ab opportuna monitione.

III. Notiones de Liberalismo[1]. — Liberales generaliter vocantur illi omnes qui libertatem eligendi physicam confundunt cum independentia a Deo divinamque auctoritatem participantibus, quam moderni libertatem vocant moralem; unde, sub ementito libertatis nomine, absurdam quamdam funestissimamque licentiam seu independentiam consectantur.

A. Alius est liberalismus *doctrinalis* seu philosophicus, qui principia rationalism! aut etiam naturalismi, quae principatum

1 De Liberalismo. cfr. Pius IX, const. *Quanta Cura,* 8 dec. 1864, cl *Syllabus;* Leo XIII, const. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885, et enc. *Libertas* 20 inn 1888; Moui.art, *L'Eglise et l'Etat:* Daris, *L'Eglise et l'Etat:* Villada. *Casus Conscientiae;* Aertnijs, *Th. P.,* n. 94-101; Boï'ouu.-lon. *Theologia Moralis Fundamentalis**. η. 246 sq.; Bai.lf.rjni, *Opus Morale,* IL tr. 4, η. 164 sq.; Theologia Mechliniensis, *de Fide,* n. 44-46. Quaedam habentur etiam apud Genicot. *Th M..* 1, n. 205, et apud Lehmkuhl et Ferreres, in respective illorum opere: *Casus Conscientiae.*

rationis humanae (privatae vel publicae, singularis vel universalis) ponunt tanquam summum principium et iudicem veritatis, applicat in re morali et civili.

Ita quidem ut omnem potestatem et legem divinam neget et moralem plene independentem sectetur; aut saltem omnem revelationem et legem divinam positivam et supematuralem neget sed moralem mere naturalem admittat. De isto hic non agitur, quia pertinet ad illos qui fideles non sunt nec proinde confitentur.

B. Alius mere *oeconomicus,* qui legem divinam et moralem negat in rebus oeconomicis et productione divitiarum.

Qui in praesenti non spectatur, quia magis opponitur iustitiae, quam fidei et religioni vel primo decalogi praecepto.

C. Alius est mere *politicus,* qui legem divinam etiam supernaturalem admittit pro privatis, non tamen pro societate civili eiusque legibus; unde propugnat libertatem conscientiae, cultuum, praeli, doctrinae, consociationis.

Proclamat scii, separationem Status et Ecclesiae catholicae, illiusque indifferentiam circa varias confessiones religiosas. Nomine autem separationis ab Ecclesia, intelligunt et significant absolutum inter utramque potestatem divortium; sublata omni mutua concordia omnique mutuo auxilio, ita ut Ecclesia omni influxu, omnibus bonis omnibusque externis praerogativis exspoliata, vivat in abscondito. Status vero omnia regat ac si Ecclesia non existeret. Inde profitetur separationem matrimonii ab Ecclesia, et eius subiectionem sub potestate civili: separationem scholae ab Ecclesia eiusque subordinationem sub directione auctoritatis civilis; abrogationem immunitatis clericorum ab onere subeundae exercendaeque militiae, etc. Uno verbo: est systema politicum quod plenam independentiam Status ab Ecclesia sive religione profitetur[1].

In hac liberalismi forma triplex gradus distingui potest :

1° Liberalismus *radicalis,* qui hanc independentiam adeo exaggerat ut Ecclesiam Statui velit subiectam. Eius tessera est ; *Ecclesia in Statu,* i. e. Ecclesia subdita Statui.

2° Liberalismus *moderatus,* qui simplicem separationem Status ab Ecclesia et omni religione profitetur hac usus formula ; *Ecclesia libera in Statu libero.*

3° Liberalismus sic dictus *catholicus,* qui profitetur *ex natura rei* religionem a societate civili non esse seiungendam, sed utramque potestatem debere nisu concordi genus humanum regere; in *hypothesi* tamen *generali* praesentis aetatis, attentis progressu et hominum conditione, non amplius expedire illam coniunctionem cupere et tueri, sed *approbandam* et *expetendam* esse simplicem separationem cum libertatibus modernis

1 Cfr. encycl. Leonis XIII, *Libertas, 20* iun. 1888.

inde profluentibus, praesertim cultuum et praeli. Bene notentur verba : in hypothesi *generali, expetendam, approbandam,* quia liberale non est sed vere catholicum, profiteri in *specialibus* circumstantiis has libertates *tolerandas* esse ad maiora mala vitanda vel maiora bona obtinenda.

Iamvero liberalismi errores in omni gradu damnati fuerunt ab Ecclesiae auctoritate[1]; unde qui tales errores scienter profitentur graviter peccant.

Vox *liberalis* de se est aequivoca; unde si in quibusdam regionibus in alio prorsus sensu sumeretur, aut factionem *mere* politicam designaret quae nullo modo principia damnata defenderet, de tali libéralisme non valerent quae diximus. Nec de eo sermonem habere intendimus, sed loquimur in sensu theologice recepto.

IV. Num detur invincibilis ignorantia liberalismi? — Respondetur :

1° Quoad formam liberalismi *radicalem,* ordinarie est negandum, quia huius errores adeo sunt aperti, et fundamentalibus principiis moralitatis adversantes, ut vel rudiores non possint eius falsitatem ac impietatem non agnoscere.

2° Quoad alias formas *mitiores,* si rudes excipiantur, *plerique* qui se dicunt liberales in bona fide non sunt, adeoque ut tales a confessario tractandi.

Ratio est quia documenta S. Sedis Liberalismum damnantia publice cognita sunt, et adeo propagata ut ignorantia invicibilis apud plerosque videatur moraliter impossibilis: quod maxime valet generatim de iis qui *ratione officii* tenentur novisse liberalismi falsitatem et damnationem, quales sunt reges, regni administri et consiliarii, senatores, deputati, praefecti provinciarum ac civitatum, iudices, advocati similesque officiales qui in legibus condendis vel execution! mandandis partem habent; necnon ephemeridum politicarum redactores.

3° Attamen rudiores et, exceptionaliter, quidam exculti, inveniuntur qui Liberalismum mitiorem bona fide profitentur.

Ita accidit, tum quia suorum parentum, magistrorum et sociorum doctrina praeventi, eiusmodi liberalismum innoxium iudicant, tum quia distinguere nesciunt inter thesim et hypothesim, ac confundunt mali libertatem quae iure debetur et mali tolerantiam quae fit maioris mali vitandi aut boni adaugendi vel conservandi gratia.

V. Confessarius teneturne interrogare poenitentes de liberalismi peccato? — Respondetur: Affirmative, sicut de aliis peccatis. Et sane, si liberales passim sine interrogatione

[1] Cfr. encycl. Pu IX, *Quanta Cura* et *Syllabus;* item. cnc. Leo· xts XIII, *Libertas.*

aut monitione ad sacramenta admittantur et confessarii in sacro tribunali de hac re altum silentium teneant, existimabunt fideles rem non esse magni momenti, et pravitatem liberalismi non sufficienter perspicient. Unde, licet res. ut notavimus, ob adiuncta minus practica evaserit, non tamen omnino est oblivioni tradenda : secus de prava Liberalismi doctrina et periculis continget sicut de lectionibus pravis, quae iam non satis habentur ut malae, quia sacerdotes de earum pravitate omiserint sufficienter monere. Itaque :

1° Interrogandus est poenitens quicumque sit. sive rudis sive doctus, sive pauper sive princeps, qui tacet *peccatum* liberalismi cuius reus certo cognoscitur, v. g. ex scientia propria confessarii vel ex publica notitia. Et si poenitens interrogatus neget et appareat formaliter mentiri, nullatenus absolvi potest.

2° Pariter interrogandus est qui *probabiliter* putatur liberalis aut liberalismi fautor, v. g. si a multis gravibus viris talis habeatur, vel si ad coetum vel factionem pertineat liberalem quae adversetur religioni aut Ecclesiae, vel si ordinario legat sine iusta causa ephemerides vere liberales. Si huiusmodi poenitens serio neget se liberalem esse, ordinario ipsi credendum est: nisi ob specialia adiuncta grave permaneat dubium, quo casu applicanda sunt principia quae regunt dubie dispositos, et nonnisi sub conditione absolvendus si gravis adsit causa, vel differenda absolutio si id non timeatur nocivum poenitenti.

3° Attamen non omnes poenitentes sunt interrogandi : non enim sola sufficit peccati suspicio, etiam ex rumoribus vulgi vel ex fama a nullo certo exorta, sed vera et solida probabilitas seu prudens et grave dubium.

Quoad modum interrogandi, confessarius caute procedat, incipiendo generaliter rogare, v. g. an sentiat molestas allouas tentationes contra fidem vel declarationes S. Pontificum aut episcoporum vel doctrinam Ecclesiae; si poenitens neget, roget ulterius v. g. ita: nonne habes relationes cum inimicis Ecclesiae, aut sympathiam pro iis qui eam imougnant; nonne frequentas Ecclesiae adversarios, non cs ergo sectator liberalismi?... Ex responso patebit qualis sit; deinde, si opus sit, quaerat annon legat diaria liberalia, coetum liberalium frequentet vel proteoat: item de oblocutionibus contra doctrinam, ministros et praecepta Ecclesiae et de horum transgressione.

VI. Confessarius debetne de liberalismi malitia monere poenitentes qui videntur bonae fidei? — Respondetur : Affirmative, per se, i. e. nisi maius aliquando damnum ex monitione sequatur, tenetur eos, data opportunitate, monere, praesertim si poenitentes sint personae quae, ob officium, scientiam

vel honorem, in alios magnum exerceant influxum. Ratio est, tum quia raro sunt in ignorantia invincibili, tum quia liberalismi errores valde nocivi sunt ipsis liberalibus quantum ad fidem, et eorum familiae pro educatione filiorum, et bono communi propter scandalum publicum et pravum quem in alios exercent influxum

Quodsi monitione facta, quis obedite renuat et pertinaciter adhaereat Liberalismo. indignus est absolutione, quam concedere magnum pro ipso et pro aliis fidelibus esset scandalum.

Diximus: *per se.* nam:

1° potest accidere quod poenitens ille non solide pius avertatur magis ab Ecclesia ipsique magnum damnum ob suum influxum inferat: quo casu prudentius erit abstinere:

2° poenitentes leviter infecti liberalismo possunt esse in bona fide, et, si ex monitione fructus non speretur, in bona fide relinqui. Tunc tamen confessarius generatim inculcet necessitatem credendi doctrinam Ecclesiae et obediendi omnibus praeceptis eius.

VII. Cooperatio ad liberalismum. — Sicut ipse liberalistnus malus est, ita ad eum cooperatio de se mala est et vitanda. Haec pluribus modis praestari potest :

1° per *ephemerides pravas liberales,* non solum sine *gravi* causa malo proportionata conscribendo, collaborando, imprimendo, sustentando, spargendo et vendendo, sed etiam eas legendo, quod et *graviter* malum erit si unus articulus valde pravus legatur, vel si habitualiter quis eas legat, aut etiam raro sed cum gravi periculo vel gravi scandalo:

2° per *patrocinium,* aut *subventionem* operum liberalium (v. g. scholarum) sine *gravi* causa datam:

3° per *electionem* deputatorum liberalium, quod etiam *graviter* malum erit si fiat ex convictione: vel etiam absque convictione, si exitus electionis dubius appareat et a suffragio dependere probabiliter possit;

4° a fortiori per *officium* ipsorum deputatorum, *efficaciter* nempe dando suffragium legibus liberalismo infectis.

VIII. Casus de liberali moribundo. — Quaeritur quid fa-

1 Neque negotium confessario facessere debet tales poenitentes a sacramentis absterritum iri in posterum; nam per monitionem id praecise intenditur ut, vel abstineant a sacrament's quorum receptione fidelibus praebent scandalum, vel peccatum liberalismi sibi iam notum relinquant.

ciendum sit confessario vocato ad moribundum qui inter primarios liberales computatur? Respondetur :

1° sensibus destitutus si moribundus petierit sacerdotem vel signa dederit desiderii confessionis, absolutio et Extrema Unctio conferendae sunt absolute; sub conditione autem si nulla dederit signa, modo confessarium expresse non recusaverit immediate vel fere immediate antequam sensibus destituatur;

2“ si loqui valeat vel signis respondere, *per se* confessarius eum instruere debet de liberalism! errore et monere de obligatione scandalum reparandi, nisi fructus monitionis non speretur *et* moribundus *in bona fide* versetur, quod tamen raro potest supponi. Tunc tamen suggerat generalem dolorem de omnibus, si quae sint, contra religionem actis, et propositum nihil contra eam agendi[1].

Quod si pertineat ad sectam massonicam:

a) interrogandus erit num forsan in haeresim lapsus sit vel in apostasiam;

b) item, an cognoverit massones incurrere excommunicationem;

c) *regulariter* exigendum erit ut omnem communionem cum iis abrumpat;

d) item, ut formalem renuntiationem ad sectam mittat, — nam si in frequentatione perseverare vellet, *generatim* non posset absolvi. (Cfr. S. Off. 5 iul. 1837.)

Clausulae quas in facultate facta absolvendi massones S. Poenitentiaria exigere *solet,* sunt sequentes;

1° ut se separent a secta et eam abiurent, i. e. detestentur;

2° insuper ut libros, manuscripta, signa francomurariorum tradant confessario qui eas Ordinario transmittat vel comburat:

3° item, duces occultos denuntient Ordinario;

4° item, ut iis iniungatur gravis poenitentia, et alia de iure iniungenda ut reparatio damni vel scandali procuretur meliore quo fieri possit modo.

A pluribus praedictis tamen potest gravis ratio excusare, quae facilius adesse potest in articulo mortis.

IX. Quid de Socialistno? — Similia principia valent pro socialismo, nam socialistae etiam admittunt theoriam liberalism! saltem politici de separatione religionis et Status ; liberales saepe sunt in re mere politica, sed socialistae in re oeconomica. Insuper :

1 Cfr. ea quae d:xinius dc moribundis, in opusculo *De Icariis Poenitentiam Categoriis,* c. 2, q. 6.

1° Socialismus qui dicitur *scientificus* atheismo et materialismo haeret, ita ut sit ex hac parte haereticus.

2" Socialismus *oeconomicus* sed *perturbativus,* qui collectivismum aut communismum admittit et media violentia (a fortiori anarchismus), etiam ab Ecclesia patenter fuit damnatus; unde bona fides erit rara. (cfr. dicta η. IV·)

3° Socialismus *mere reformations* per se non necessario est Ecclesiae infensus, de facto tamen in nostris regionibus est factio quae adversatur Ecclesiae: unde de eo valent quae diximus de libéralisme politico (η. V et VI).

4° *Cooperatio* ad socialismum formalis, qua quis socialistice sentit, est graviter mala; mere materialis cooperatio et etiam materialis aggregatio operibus, non solum politicis sed etiam oeconomicis, per se est illicita, sed *graui* et urgenti necessitate potest esse licita, modo non adsit proximum periculum perversionis in fide (η. VII).

Hinc: a) Parochi et concionatores non desint officio monendi de fugiendis pravis societatibus, vitandis malis sociis ac foliis.

b) Qui principiis socialism! scientific! sunt imbuti, materialismuin et atheismum profitentur, ac proinde habendi sunt ut peccantes directe contra fidem.

c) Politicas socialistarum partes sequentes ex convictione, de se grave peccatum committunt: raro scii, bona fides aderit, nisi forsan in regionibus omnino dechristianizatis.

d) Inscripti socialistarum syndicatibus facile rei sunt ob cooperationem, scandalum et grave cui se exponunt periculum. Per accidens tamen licitum esse potest *ad tempus,* si desit scandalum, periculum perversionis non sit nisi remotum, et necessitas adsit *urgens* a quo se liberare non possent, qualis esset si operarius secus labori suae professionis adeoque victui quotidiano valedicere deberet. Ita, nisi episcopi cuiusdam regionis aliter iudicarent et universaliter prohiberent quamcumque ad opera socialistarum aggregationem. Tunc scii, esset ipsis obtemperandum utpote de necessitatibus et periculis religionis auctoritative judicantibus ’.

e) Operarii illi, qui ex bona fide non percipiunt gravitatem delicti cooperationis, per se monendi sunt; per accidens tamen ad tempus relinquendi in bona fide, casu quo monitio praevideatur non profutura et desit scandalum. Tunc tamen monitio generalis fiat de vitanda occasione proxima peccati et de aptis remediis quibus moraliter removeatur, uti sunt conversatio et consociatio cum bonis viris vere Christianis et lectio bonorum diariorum.

Conditiones et possibilitates hac in re non sunt ubique eaedem, sed diversissimae. Pro posse tamen antistites velint, hac in re, potius rigori insistendum declarare, quam benignitati

1 Cfr. Tessens in *Vie diocésaine,* dec. 1921.

indulgendum. Experientia ostendit ex illa magna benignitate fieri ut semper minus et minus a fidelibus obtineri et exigi possit, ac denique multorum sequi indifferentiam aut defectionem. Etiam hic valet axioma : Principiis obsta! Sunt tamen quandoque adiuncta in quibus sola benignitas, saltem ad tempus, congruere possit.

X. Monitum. — Parocho et sacerdotibus generatim abstinendum est a frequenti visitatione illorum liberalium et socialistarum qui sunt in errore firmati. Quod si quoddam commercium sit necessarium, ne incipiant loqui de quaestionibus religiosis et politicis, aut de iis disputare; at si de istis, non quidem malitiose sed sincere, rogentur, audacter loquantur, non vero nimium aut longius, sed breviter, clare et solide.

XI. Quanti momenti sit occurrere et mederi peccato haereseos. — Haeresis christianos a recta via salutis arcet et ab Ecclesia disiungit; unde omnibus modis sacerdotes curare debent ut illi qui in haeresim sunt lapsi aut in ea detinentur, ab ea conversi in Ecclesiae gremium reducantur. Quod opus minorem sane praebet difficultatem, si nondum ad sectam haereticam ipsi transierint; longioris autem et prudentioris est industriae, si in aliqua secta iam fuerint admissi aut in ea baptizati vel educati fuerint.

Ad quod in sacerdote requiritur:

1° *magna charitas,* quae misericordiam ingentem inspiret erga miserum statum animae haerentis in errore, atque omnem manifestationem impediat suspicionis de convertendi sinceritate, etiam si iste esset catholicus perversus; — nisi tamen praebeat contraria signa;

2° *multa patientia,* cum diuturnum saepe exigatur tempus ut haeretici veterem vitam superent et veritatem agnoscant;

3° *fervens et continua oratio,* ad obtinendum divinum auxilium ad conversionem omnino necessarium:

4° *prudens in doctrina proponenda ratio agendi,* qua sc>l. veritates catholicas nullatenus diminuat, sed nec intempestive praedicet, contentus affirmare quae necessaria sint;

5° *discretio in seligendis libris* doctrinam catholicam clare et opportune exponentibus, et convertendo consulendis;

6° *inturbata serenitas in refellendis obiectionibus,* qua nullatenus se iis gravari ostendat.

XII. Notiones de haeresi. — Haeresis definitur error in fide catholica voluntarius et pertinax, in eo qui fidem Christianam susceptione Baptismatis professus est; quodsi totaliter fidem quis abiecerit, haeresis vocatur apostasia.

Continet itaque simul contemptum auctoritatis Dei revelantis. et contemptum infallibilis auctoritatis Ecclesiae fidem proponentis, estque ideo gravissimum.

Haeresis alia est *materialis,* alia *formalis,* prout auctoritatem Ecclesiae in proponenda fide negat sine pertinacia, quia non fuit sufficienter pro-proposita; vel e contra sufficienter eam cognoscit et nihilominus eam negat in uno saltem puncto. Est *inferna* si in mente ita latet ut nullo signo externo manifestetur, vel *externa* si se manifestat signis externis, etiamsi nullus ea videat; haec est *occulta* si nulli vel uni aiterive tantum, *publica* si palam et coram pluribus externe manifestatur.

iuxta can. 2314, haeresis *formalis et externa* incurrit ipso facto excommunicationem S. Pontifici reservatam; et haeretici, nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur; — imo, si sectae acatholicae nomen dederint vel *publice* adhaeserint, ipso facto sunt infames, et clerici, monitione praemissa, degradentur. Insuper omnes sunt irregulares (can. 985), et privantur sepultura ecclesiastica (can. 1240, § 2). Si catholicus in haeresim inciderit externam, sed occultam, quae scii, non est divulgata nec probabiliter divulganda erit, et censuram excommunicationis non incurrerit, v. g. ob ignorantiam, quilibet confessarius a peccato illum absolvere potest. E contra si peccator ille censuram incurrerit, et confessarius facultatem non habeat ab ea absolvendi, nec adsit casus urgens, poterit hanc facultatem exquirere a S. Poenitentiaria, vel etiam eam ab Ordinario loci expetere et tunc in sacramento Poenitentiae a censura et peccato alsolvere (can. 2314, § 2).

XIII. Quomodo procedendum cum haereticis volentibus ad Ecclesiam redire. — In hoc casu attendenda veniunt plura, quantum ad cautelas adhibendas, instructionem largiendam, et proximam praeparationem [1].

1. *Cautelae adhibendae.*

a) Sacerdos haereticum converti volentem prudenter interrogare debet de causa seu motivo suae conversionis, et invigilare ne iste sub velamine pietatis praecipue quaerat temporalia commoda, ut matrimonium vel sustentationem, hisque obtentis male vivat aut ad errorem revertatur.

b) Ne itaque sacerdos decipiatur, per varias quaestiones diverso tempore factas experiatur num dicta haeretici inter se cohaereant; nihil autem dicat aut agat quod dictum aut factum nollet si convertendus ad haeresim forte redeat.

[1] Cfr. Reuter, *Neo-Conf„* n. 197-203; Aertnijs, *Th. P.,* n. 108-115.

c) Fiduciam haeretici sibi conciliare nitatur, ut ille suos errores et miserias ac lapsus libentius et sincerius aperiat, seque totum eius directioni committat.

d) Ipsi ante oculos ponat maximum momentum huius negotii in quo cardo salutis aeternae versatur, ac proinde necessitatem orandi ipsi inculcet, ac etiam pro ipso ferventer oret et orationes aliorum expostulet.

2. *In instructione danda* sunt observanda sequentia:

a) Ante omnia investigandum est an fuerit haereticus materialis: ex simplicitate, ignoratia, sinistra informatione; vel formalis: ex sufficienti scientia et pertinacia.

b) Item inquirendum est quantum in doctrina suae sectae sit instructus, ut cognoscantur sui errores ac modus quo instruendus sit determinetur: si enim simplex et rudis, recta instructione indiget in doctrina Christiana, non autem in controversiis fidei; quodsi sit peritior ipsi satisfaciendum est quoad singulos articulos et omnes difficultates.

c) Cum assensus fidei prudens et rationabilis ac firmus sit, debet sacerdos exponere motiva credibilitatis dogmatum, quae credenda sunt, si Ecclesia catholica sola sit vera Ecclesia Christi. Unde non statim descendat ad dogmata particularia, sed prius ostendat veram Christi Ecclesiam.

Quod duplici fieri potest modo; unde spectandae sunt circumstantiae ut diiudicetur quaenam methodus sit adhibenda. Fieri scii, potest

1° ex Ecclesiae *notis,* successive ostendendo: veram fidem esse necessariam ad salutem, — non esse nisi unam veram religionem et Christi Ecclesiam, — illam esse tutam fidei regulam, imo esse infallibilem, — eam debere certis notis quibus a falsa discernatur esse insignitam, — notas autem verae Ecclesiae esse quatuor, — illas denique inveniri in sola Ecclesia catholica;

2° ex *factis,* forsan facilius et multorum captui accomodatius[1]: ostendendo Ecclesiam catholicam esse factum naturaliter inexplicabile, at divinum, ac proinde veram religionem: ob suam ab adversariis invictam stabilitatem, inexhaustam in bonis fecunditatem et heroicam multorum in ea sanctitatem, universalem in fide ex omnium obedientia uni capiti unitatem, ac multa in eius favorem patrata miracula.

d) Postea descendat sacerdos ad singulos articulos, praesertim illos in quibus haeretici a catholicis discrepant, uti sunt necessitas bonorum operum, numerus sacramentorum, realis praesentia Christi in Eucharistia, cultus B. Virginis et sanctorum, Romanus Pontifex et infallibilitas eius.

e) Denique, ubi ad conversionem proximus iam pateat accessus, potius quam obiectiones contra veritatem permittere, praestat hanc tentationum causam supprimere, ac requirere totalem erga magisterium ecclesiasticum submissionem in plenam expulsionem spiritûs liberi examinis.

3. *Praeparatio proxima.* — libi plene instructus est in rebus fidei, praeparandus est sollicitans ad emittendam fidei professionem quae ipsi est explicanda, et ad sacramentorum receptionem; quapropter instruendus est de Baptismo, de Poenitentia cum confessione, et de Eucharistia

1 Prior methodus ordinario solet proponi in tractatibus theologicis vel apologeticis; altera speciatim adhibita fuit a Card. Dechamps.

eorumque fructibus. Cum autem neoconversi confessionem plerumque vehementer reformident, ideo exponatur:

a) obligationem esse sacerdoti stricte servandi sigillum sacramentale;

b) confessionem illam quam Deus voluit nos subire, peccata nostra confitendo uni homini, esse partem poenitentiae et satisfactionis;

c) nec mirum esse si haereticus in multis deliquerit, cum caruerit sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae aliisque auxiliis quae catholicis subministrari solent;

d) in examine tamen conscientiae se non esse cruciandum, cum confessarius interrogationibus sit suppleturus, cui sincere respondere sufficit.

XIV. Reconciliatio haeretici et receptio in sinum Ecclesiae. — Sacerdos nullum haereticum notorium vel cuicumque sectae adseriptum admittat in sinum Ecclesiae, nisi re ad Ordinarium loci prius delata, et convertendi scientia et firmitate in religione bene exploratis. Porro in eius cum Ecclesia reconciliatione triplex ordo pro vario casu est servandus.

A. Si *certum sit conversum non fuisse baptizatum* aut Baptisma eius certo esse invalidum, solum Baptisma erit ei ministrandum, sine abiuratione haereseos vel absolutione.

Iuxta can. 744: « adultorum Baptismus, ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur ut, si voluerit, ab eo vel ab cius delegato' solemnius conferatur », et iuxta can. 755 § 2 « loci Ordinarius potest gravi et rationabili de causa, indulgere ut caeremoniae praescriptae pro Baptismo infantium adhibeantur in Baptismo adultorum ».

B. E contra, *si certo fuerit valide baptizatus :* a) coram Ordinario loci vel eius delegato et duobus saltem testibus (S. Off. 8 apr. 1786, 28 mart. 1900), sola fiat abiuratio haereseos cum absolutione a censuris in foro externo, ab ipso Ordinario loci vel a sacerdote ab eo ad hoc delegato, in casu quo conversus sit pubes (can. 2314. § 2); aut sola professio fidei, si sit impubes (can. 2230); b) confessio peccatorum; c) absolutio a peccatis in foro interno.

C. Denique *si Baptismus antea collatus sit dubius,* sive positive sive etiam negative : a) fiat abiuratio haereseos cum absolutione a censuris vel professio fidei, eodem modo ac dictum est in casu praecedenti; b) confessio peccatorum semper praecepta[1], et exhortatio ad contritionem (S. Off.

[1] Confessionem a dubie baptizatis esse exigendam a quibusdam in. dubium fuit vocatum, quia incerta est obligatio. Sed S. Officum *constanter* confessionem exigit ab haereticis conversis sub conditione, rebaptizandis, uti constat d:recte ex decretis 14 iun. 1715 et 17 dec. 1868 quae ita expresse statuunt, indirecte ex decretis 20 iul. 1859. et 2 dec. 1874 quae ita generatim agendum esse supponunt. Proin decreta

17 dec. 1868; S. C. de P. F. 12 iul. 1869); c) Baptismus sub conditione renovandus, qui ex indulgentia Ordinarii fieri potest privatim iuxta can. 759, § 2; d) confessio summarie iterata et absolutio a peccatis sub conditione. Ita S. Off. 20 lui. 1859; 20 nov. 1878; 2 dec. 1874.

Sufficeret sane ante Baptismum ad contritionem excitare, et confessionem Baptismo sub conditione renovando postponere; melius tamen si iam ante Baptismum instituatur, maioris facilitatis et opportunitatis causa. (S. Off. 2 dec. 1874.)

In ipsa confessione confessarius neo-conversum benigne tractet, tollat ab eo quantum fieri potest omnem timorem, fiduciam omnia peccata esse delenda inculcet, eum adiuvet suis quaestionibus cavendo tamen ne examen rigidum instituat. Imprimis discrete inquirat num fuerit haereticus materialis an formalis: si fuerit formalis, inquirat a quo tempore talis fuerit, an putaverit peccare non servando praecepta Ecclesiae, an dixerit blasphemias vel calumnias contra Ecclesiam catholicam, an alios perverterit. Si fuerit dubius de sua religione, interroget an et quamdiu con· fpmnoerit vel nealexerit inquirere veritatem. Si poenitens multa et gravia peccata commiserit, ne rigida reprehensione castiget ea, sed hortetur ut deinceps vitam vere Christianam instituere conetur. Poenitentiam quoque non valde gravem imponat, ne poenitens absterreatur.

KV. Animadversiones. — 1° Sacerdos zelosus, data opportunitate. haereticos ad Ecclesiam reducere studebit. Ad quem finem orabit

continent legem universalem, ut caeteroquin declaravit Praefectus S. Cong. P. F. 12 iul. 1869. Exinde pars longe maior theologorum confess:onem *certo* exigendam esse docent, etiam in benigniore S. I. schola, ad quam inter alios pertinent Lchmkuhl, Noldin, Pesch, Fer«cres, Arendt, etc.

Nihilominus quidam alii, ut olim Balleririt et Bucceroni, ad quos adhuc hodie aliquatenus accedit Vermeersch, probabiVtatem quamdam tribuunt sententiae neganti ; eamque De Smet improbabilem dicere non auderet; quia decreta S. Off:cii sunt particularia, ut pro decreto 17 dec. 1868 a Secretario S. Offic'i fuit declaratum, sed 30 circiter annis postquam illud decretum latum fuit.

Decreta particularia esse non negamus; at cum in diversis adiunctis semper idem responsum tradit S. Officium et cum generatim eo modo agendum esse supponit, decreta a rat:onibus communibus, non a rationibus particularibus, pendent ac proinde continere legem universalem dicenda sunt. S. Officium scii, censet sententiam negantem non esse probabilem ; secus non ita constanter responderet.

Baptismus nimirum praesumitur vaVdus, usquedum contrarium constet. et ideo Ecclesia urget a baptizatis observantiam obligationum legis divinae et legis ecclesiasticae, a quibus repeftio Baptismi sub conditione ad meram cautelam facta non exinrt.

Atque imprudens esset aliter agere. Vellent quidam non urgere praeceptum confessionis, ne scii, deterreantur haeretici convertendi. At, s' ipso momento conversionis, timendum esset confessionem obtineri non posse, longe difficilius ipsa obtineretur postea. Imprudens proinde et inopportunum omnino, hanc obligationem postponere.

eosque ad orandum hortabitur, ad fugam peccati data occasione eos inducet, item ut frequentent ecclesias et conciones, ac libros catholicam doctrinam exponentes legant; et in amica conversatione eorum falsa dogmata detegat, non directe impugnando, sed ostendendo ob quas causas creditu difficilia videntur.

2° Sacerdos qui ad instruendum haereticum vel ad difficultates eius solvendas non esset sufficienter aptus, ad doctiorem cum remittat.

3° Eodem modo ac pro haereticis, procedendum est in reconciliatione apostatarum et schismaticorum.

XVI. De Dubitantibus et Vacillantibus in fide — Nunc temporis multi sunt, qui de veritate religionis serio dubitant aut errores veritatibus revelatis contrarios fovent et praedicant, sed nihilominus fideles catholicos se esse putant et officia Christiana suo modo adimplent. De his quaeruntur tria : 1) an et de quibus sint interrogandi; — 2) utrum semper peccatum formalis haereseos committant; — 3) num in sua bona fide ad sacramenta admitti possint.

1. An talia confitentes et de quibusnam sint interrogandi? R. Qui se accusant de *dubiis* in fide vel de *sermonibus* contra fidem : a) interrogandi sunt de quanam re dubitaverint vel locuti sint : saepe enim erronee putant veritates fidei esse quae tales non sunt, quo in casu solum ex erronea conscientia contra fidem peccare possunt, b) Dum reapse de fide agitur, contra quam locuti sunt, haeresim commiserunt, si scientes doctrinam ab Ecclesia esse propositam ut de fide credendam *serio* veritates fidei impugnarunt (imo supposita cognitione excommunicationem contraxerunt); si vero ignorantes, non commiserunt peccatum haereseos. quamvis tamen peccare potuerunt, et graviter, pro quanto ignorantia illorum fuerit voluntaria ex negligentia praecedenti.

Quodsi ita locuti sunt vel ex respectu humano vel ex vanitate, graviter contra fidem externam peccarunt. Si tandem ita locuti sunt ad difficultates suas exponendas et veritates fidei melius intelligendas, nullatenus peccarunt.

2. Utrum *serio dubitantes* aut certo *errantes* in fide, semper peccatum formalis haereseos committant, an contra in bona fide esse possint? R. Ex defectu sufficientis instructionis fieri potest ut non advertant eiusmodi dub'a vel errores esse graviter peccaminosa, utpote contra infallibilem auctoritatem Ecclesiae ac proinde contra auctoritatem Dei revelantis. Id

1 Cfr. Noldin. *Th. M.*. II. n. 33; Berardi, *Praxis Conf.,* ecl. 3, η. 87 sq.; Aertnijs, *Th. P.,* n. 166.

y. g. possibile est si pastor mere materialiter exposuit veritates credendas, sine ratione credendi.

Quinimo, secundum aliquos auctores, fieri posse videtur ut quidam sibi persuadeant se habere iustam causam recedendi a fide, adeo ut absque peccato formalis haereseos penitus ab adhaesione fidei deficiant. Dato quod casus sit possibilis, erit tamen rarissimus; unde in praxi, non bona, sed mala fides in valedicentibus fidei est praesumenda [1].

3. Num errantes qui videntur esse in bona fide, ad sacramenta admitti possint? R. ludicet confessarius quid ad salutem eiusmodi poenitentis, qui in confessione dicit se dubitare de fide vel se non omnia credere posse, magis conferat: eum absolvat, aut sine absolutione dimittat, donec depositis dubiis atque erroribus fidem plene amplectatur. In hoc ultimo casu opera veram doctrinam elucidantia ipsi sunt indicanda, vel instructio oralis praebenda est.

Cum absolutio valida esse possit, addita monitione credendi omnia quae Deus revelavit et Ecclesia proponit, et cavendi ne alios ad dubia .vel errores contra fidem inducat, licite etiam absolvi poterit quoties ex negata absolutione maius detrimentum spirituale timendum sit.

XVII. Monita pro confessariis. — 1. Quae praecedunt intelligenda sunt de vero dubio positivo seu gravi, non autem de dubio negativo quod in nulla vel levi fundatur ratione, ac proinde nullatenus est attendendum sed ut inane contemnendum.

2. Illi vero qui serio seu gravi dubio laborant contra fidem, magna cum charitate tractandi sunt.

3. Ne tamen facile iis dicat confessarius talem dubitationem de fide deliberatam esse grave peccatum, nisi de hoc specialiter interrogetur.

4. Nec dicat graves dubitationes aut tentationes contra fidem esse facile comprenhensibiles, aut quasi naturales, nec seipsum aut alios eosdem passos esse: sed consulat lectionem librorum fidem propugnantium aut bene exponentium.

5. Insistat quoque in soliditatem fidei quae nititur verbo ipsius Dei.

1 Diversa omnino sub hoc respectu est conditio catholic' et acatholici. In fide'i lumen fidei efficit ut firmiter credat tranquilla conscienda; nec auditum est aliquem, sive in vita, sve in morte, seu in conspectu aeternitatis remorsibus agitatum fuisse eo quod sit catholicus. E contra remorsum sentiet, si cogitat de deserenda fide catholica. Acatholico rationes sunt mutandi religionem ; cathol eus mutatione revera indigere non potest, nec ex parte rei, nec ex parte instigantis concientiae.

Acatholicus, quamdiu sit mere dubitans, debet manere in sua religione, cum sit in statu perplexitatis; si probabilior ipsa iam videatur religio catholica, magis inquirere tenetur usque ad certitudinem, ad quam, auxilio divino confidenter et perseveranter impetrato, est perventurus.

6. Sciant tamen confessarii fideles de dubiis contra fidem se accusare rarius.

7. Occurrente autem poenitente qui aperit dubia aut tentationes contra fidem:

a) Ante omnia examinandum est an perfectum dederit consensum, quod ex ipsa confessione et responsis poenitentis patere poterit: si vero id exinde sufficienter non constet, praesumptio desumetur ex vita consueta poenitentis, ita ut homo languidae fidei, vitam ducens parum Christianam, occasiones pro fide periculosas non vitans, in dubio potius censendus sit consensisse; e contra qui vitam ducit vere Christianam aut devotam, vel scrupulis laborat aut neurasthenia similive statu pathologico, consendus sit non dedisse perfectum consensum.

b) Casu quo poenitens, deliberate dubitando, grave peccatum commiserit contra fidem, absolvi non poterit nisi dubium deposuerit ac firmum habeat propositum omnes occasiones proximas peccatorum contra fidem vitandi. Ad quod confessarius eum adiuvet et disponat, errores corrigendo, circa peculiare punctum de quo enatum est dubium edocendo, solida fidei motiva pro capacitate sui ingenii proponendo, contra futuras tentationes apta indicando remedia, uti sunt oratio et humilitas, lectionem commendando boni libri de veritatibus religiosis: in quo tamen discretione est opus, ita quod ratio habeatur conditionis ac indolis poenitentis, liber vero argumenta non proferat infirma, sed vere solida, et obiectionibus apte respondeat.

c) Cum autem persona vere pia variis sed molestis turbetur tentationibus contra fidem: si quadantenus indulgeat vanitatibus saeculi et vitae nimis mundanae, moneatur ut diligentius se tradat soli Deo; interea ne animum deiiciat, cum tentationes non sint signum fidei infirmae, sed Deus eas permittat ad nostrum in humilitate profectum, ut etiam constat ex vita sanctorum; eas vero repellere addiscat. Ad quem finem suggerat confessarius cum ipsis non esse luctandum, aut contra eas disputandum aut ad motiva recurrendum credibilitatis in contrarium; sed esse mere fugiendas et contemnendas absque positivo conatu, simpliciter divertendo ad alias honestas occupationes, etiam mere profanas.

Quod si post tentationem poenitens velit elicere actum fidei, sit unus actus mere generalis circa totam doctrinam revelatam, v. g. credo firmiter quidquid Deus revelavit et Mater Ecclesia credendum proponit; nec deinde novi efformentur actus fidei ne crescat agitatio et exinde tentatio potius foveatur, aut saltem ne paulatim nascatur scrupulosa existimatio consensum fuisse datum nisi continuo repetiti fuerint actus contrarii [1].

[1] Ita Leroux, in *Rev. Eccl. de Liège,* janv. 1927.

QUAESTIO SECUNDA

De Peccatis in Dei Reverentiam

I. Materia tractanda. — Peccata in Dei reverentiam commissa generali modo prohibentur secundo decalogi praecepto. Sunt plurima; inter quae a confessario saepius attendenda atque sananda veniunt blasphemiae, imprecationes et illicita iuramenta

II. Notiones de Blasphemia“. — Blasphemia est locutio contumeliosa in Deum, sive immediate Deum ipsum attingat, sive mediate per sanctos aliasve creaturas quatenus eorum inhonoratio redundet in Deum.

Quinque potissimum *modis* committi potest :

1° Deo tribuere quod ipsi repugnat, v. g. esse crudelem, tyrannum, infidelem, mendacem:

2° negare quod ei convenit, v. g. non providere de rebus humanis, qualis est locutio : Velit nolit Deus!, vel : Malgré Dieu;

3° vera dicere sed modo contumelioso aut irrisorio, vel cum indignatione aut iracundia contra Deum, v. g. Vah! Dei bonitas, aut : sanguis Christi; Vah! qui destruis templum Dei; Tu es passus!; Vicisti Galilaee;

4" creaturae tribuere quod soli Deo est proprium, v. g. dicere : id facerem aeque ac Deus; vel appellare daemonem omnipotentem, fideliorem;

5° convicia proferre contra sanctos vel alias creaturas cum speciali relatione ad Deum. v. g. B. Maria non est virgo, est mater sicut caeterae.

1 De his apud omnes moralstas. Speciatim videri possunt : Aertnijs, *Th. M.,* I, l. II, de 11° pracc., n. 64 sq.. *Th. P..* n. 80-83; Reuter, *Neo-conf.,* n. 118; 185-186; Marc, *Th. M.,* I, η. 596-613; Haine, *Th. M..* I, de 2° praec., n. 39-59: Genicot, *Th. M.,* I, n. 292-303; Prümmer. *Th. M.,* II. n. 437 sq. et 529 sq.

3 Contenti sumus brevi et simplici expositione et rememoratione notionum ; pro profundiore et accuratiore notione remittimus ad opus nostrum: *Summa Theologiae Moralis.* II. n. 781 sq.

Ratione sensus verborum, blasphemia :

a) alia est *haereticalis,* quae enuntiat haeresim vel falsitatem contra fidem, v. g. Deus non vult aut non potest me iuvare;

b) alia *imprecatoria,* qua malum optatur Deo immediate vel mediate, v. g. *maledictus Deus! — pereat Deus!*

c) alia *dehonestativa* seu *simplex,* quae solam contumeliam continet et ad modum despectionis aut indignationis proferri solet, v. g. hoc modo dicere: nomen *Dei!; Ave rex Judaeorum; sanguis* vel *mors Christi;* vel etiam spuere in coelum, conculcare crucem.

Ex parte intentionis; alia est *directe intenta* seu diabolica, quae fit ex explicita intentione Deum inhonorandi eique contumeliam irrogandi; alia *indirecte intenta,* quando fit cum sufficienti deliberatione sine expresso proposito Deum inhonorandi.

III. Principia ad malitiam blasphemiae diiudicandam. — Praecipue attendenda veniunt sequentia :

1° Blasphemia in Deum est peccatum *mortale* gravissimum *ex toto genere,* quia summam iniuriam infert supremae Maiestati, etiamsi sit mediata per sanctos vel creaturas. Si tamen sancti non respicerentur ut sancti, sed ut homines, non spectata relatione eorum ad Deum, non adesset blasphemia proprie dicta contra religionem, sed peccatum contra solam duliam, mortale ex genere suo, quod admittit parvitatem materiae, v. g. si fieret ex ioco et sine contemptu vel indignatione contra sanctos.

2° Blasphemae sunt locutiones quae, vel ex propria significatione. vel ex communi verborum acceptione, vel ex mente proferentis, divino honori iniuriam inferunt.

3° Ad peccatum blasphemiae non requiritur directa intentio inhonorandi Deum, sed sufficit assertiva prolatio verbi blasphemi; consequenter blasphemat qui deliberate profert verbum quod cedit in opprobrium Dei, etsi istud loquatur ex sola ira contra proximum.

4° Verba corrupta aut dimidiata proferre non est blasphemum vi propriae significationis, quia ad hoc necesse est ut locutio sensum completum habeat contumeliosum in Deum:

ita v. g. *sacré nom, santo di, saterment, sangi de Dio, jarnidié, potverdomme, sangbleu.* In his casibus attendenda est conscientia proferentis et proferendi modus.

5" Locutiones aequivocae non sunt blasphemae. saltem ex se, v. g.: *sacrum nomen Dei: tam verum est ac Deus;* sed sensus pendet ex intentione proferentis ac circumstantiis. Ita in locutione : *verum sicut Deus,* non necessario aequiparatur veritas creata et increata, sed solum indicatur similitudo mixta cum aliqua hyperboli.

6° Verba sacra nude proferre ex ira aut indignatione, non contra Deum sed contra homines aut creaturas, non est blasphemum : *nomen Dei, sainte croix.*

7° Blasphemae in nostris regionibus per *se* non sunt, formulae quae propria significatione esse possunt contumeliosae in Deum, sed generatim ab hominibus ut blasphemae non habentur, v. g. *mort Dieu, mille Dieu, mille nom de Dieu, sacré milliard de Dieu, tausend Herr Gott, tausend sakrament!*

IV. Applicationes. — 1. Maledicere creaturis (sanctis, sacerdotibus, creaturis in se spectatis, daemonio) non est blasphemum, nisi fiat in quantum habent specialem relationem ad Deum. « Hinc, ait Mare, Th. M., I, n. 598. 3°: a) blasphemia est maledicere sanctis, sacramentis, diebus vel rebus sacris, fidei catholicae. Ecclesiae Dei aut etiam sacerdotibus quatenus sunt ministri Dei; b) maledicere autem creaturis, *in quantum sunt creaturae,* non est blasphemia. nisi addatur vocabulum *Dei,* v. g. *maledicta pluvia Dei;* aut nisi divina potentia modo peculiari in eis reluceat, prout sunt anima, coelum, totus mundus, etc.; quo in casu in ipsis indirecte contemneretur; — c) maledicere homini, *vivo* vel *defuncto,* quin proferatur verbum *anima,* non est blasphemia, nisi dicentis intentio maledictionem in animas referat; quapropter dicere: *damnet me, damnet te Deus* non est per se blasphemia, sed dira *imprecatio;* — d) maledicere *daemoni,* ut auctori malorum, non est blasphemia: — e) in ira *imprecari sibi* vel *aliis* daemonem, fulgura, etc. est pariter dira imprecatio; quae plerumque, ob defectum seriae voluntatis, non est nisi culpa venialis. — Gravis tamen est irreverentia, si subditi superioribus, filii parentibus (licet materialiter tantum) sic maledicant, praesertim in faciem ».

2. Locutio gallica: *Sacri Nom de Dieu* ex propria et absoluta significatione potest in bonum vel malum sensum accipi, sive ut: benedictum..., sive ut: exeerabile seu maledictum sit nomen Dei. Sensus pendet ex intentione proferentis. Communiter tamen non est blasphema, eo quod proferentes abstrahunt a quocumque sensu vocis, et ordinarie non contra Deum indignantur sed contra homines vel creaturas.

3. Locutio flandrica: *God verdomme de se* non est blasphemia, sed imprecatio quae significat: Deus damnet, vel Deus damnet me; unde

de se est venialis, mortalis tamen si quis serio sibi imprecaretur damnationem aeternam [1].

4. Usurpatio vana nominis Dei per modum iuramenti, v. g. per *Deum, par Dieu, bij God,* vel ad modum interlectionis, v. g. *nomen Dei!,* sine indignatione contra Deum, est venialis.

V. Regulae practicae pro confessariis. — 1. Saepe a mortali excusantur qui blasphemias in confessione accusant : a) quia locutiones non habent sensum completum sed sunt corruptae, nec proferentes habent intentionem blasphemandi seu inhonorandi Deum; vel b) quia sunt locutiones aequivocae aut potius imprecationes non seriae; vel c) quia proferuntur absque sufficienti advertentia et perfecto consensu, v. g. ex subito motu irae, aut subito dolore; vel d) quia propter ignorantiam suam non intelligunt locutiones nec aestimant plerumque se peccare mortaliter.

2. Quoad blasphemias ex consuetudine prolatas, distinguendum est : qui consuetudinem nondum retractaverint, facile culpandi sunt de blasphemiis quas inadvertenter proferre videntur, si formulae vere blasphemae sint, eo quod sunt voluntariae in causa, et saepe in seipsis propter sufficientem advertentiam: — e contra qui consuetudinem retractaverint et se emendare serio proposuerint, et huic studuerin.j. ad hoc adhibentes, non sunt in causa respectu blasphemiarum quas inadvertenter proferunt. Vide η. IX.

3. Caveant confessarii ne audiant fictas blasphematorum excusationes tamquam legitimas : ego verba non profero an'mo inhonorandi Deum sed ex consuetudine vel iracundia. Consuetudo enim erit tollenda et iracundia aliter exprimenda.

4. Interrogandi sunt poenitentes a) de verbis prolatis : saepe enim confundunt imprecationes, maledictiones, iuramenta, blasphemias; et insuper constare debet an blasphenrae processerint ex infidelitate, desperatione, aut ira in Deum vel sanctos; b) de vicibus et occasione, ut sic sciant an sint recidivi aut in occasione; c) de circumstantiis : an id fecerint coram filiis, famulis, aliis, quia tunc adest scandalum.

5. Valde curandum confessario ne de peccato certo damnet quod in se est dubium; item ne relinquantur in suo errore qui oeccant graviter propter conscientiam erroneam. Hinc qui lo-

1 Id quoque valet de locutione angPca: *God damni me;* at aliud omnino dicendum de formula: *God be dammed,* quae significat: Deus sit damnatus.

cutiones aequivocas accusant, ut : *sacrum nomen Dei,* vel imprecationes quae a pluribus ut blasphemiae habentur, ut : *Deus damnet me,* interrogandi sunt quemnam sensum illis tribuerint; — quodsi non pronuntiaverint ex explicita intentione inhonorandi Deum, dicendum est illas formulas non esse blasphemas, sed tanquam venialia esse relinquendas.

6. Ad emendationem spectanda est causa mali. Oriuntur blasphemiae ex irreverentia erga Deum, ex ira, ex consuetudine: quae proinde sunt removenda : irreverentia per considerationem iurium Dei in reverentiam nostram, atque blasphemiae enormitatis, temeritatis ac inutilitatis: — ira removendo causas quae ipsam excitant et semetipsum pro posse disponendo ad tolerandas quascumque iniurias; — consuetudo frequenter renovando propositum non blasphemandi (v. g. singulo mane) et in hunc finem orando, quamdam poenitentiam toties quoties sibi imponendo (v. g. tenuem eleemosynam, actum contritionis, tunsionem pectoris, petitionem veniae, orationem iaculatoriam, etc.), nomen Dei in locutionibus non immiscendo, substituendo locutiones innocuas, etc. Confessarius poenitentiam opportune poterit imponere per dies 7 vel 14 recitandam.

Vi. Notiones et principia de imprecationibus. — Imprecatio seu maledictio est actus quo quis alteri apprecatur malum sub ratione mali. Quod peccatum non semper opponitur divinae reverentiae, religioni et secundo decalogi praecepto, sed solum quando inhonorationem Dei importat: secus erit contra charitatem vel et iustitiam et ita contra praecepta secundae tabulae, v. g. contra quintum vel octavum. Hinc in specie :

A. *Contra religionem et secundum decalogi praeceptum* sunt et grave peccatum :

1° imprecationes immediate in Deum directae, quia sunt magna blasphemia imprecatoria:

2“ item imprecationes in creaturas, sed in relatione ad Deum spectatas, quia tunc maledictio in Deum redundat : ita facile fit pro vento, pluvia, coelo, tonitruo, toto mundo, etc., v. g. *maledicta pluvia Dei,* et fere semper pro rebus sanctis aut personis: si tamen personae sanctae spectentur in se, peccatum non erit contra religionem sed contra duliam;

3° item maledictiones in creaturas in se spectatas, sed per

aliquod divinum vel sanctum quod non ad maledicendum sed ad benedicendum existit, v. g. *perdat te Dei sanguis, mors, caput, vulnera, passio,* etc.

B. Non sunt contra religionem, sed *contra charitatem proximi et iustitiam :*

1° maledicere creaturis rationalibus seu proximis quibuscumque absque relatione ad Deum spectatis, quod est peccatum mortale ex genere suo, si ex animo fiat; secus erit veniale, ut plerumque accidit : ita v. g. *diabolus te auferat, Deus te damnet;*

2° item maledicere creaturis irrationalibus quatenus inserviunt utilitati hominum, v. g. pecoribus, quia de facto est maledicere hominibus;

3° multo magis maledicere parentibus, quod non solum est mortale si grave malum et serio, sed nonnunquam si leve exoptatur, quia etiam magna est irreverentia *contra pietatem;* item maledicere filiis vel coram filiis, quod in parentibus peccatum est etiam contra *pietatem,* quia facile praebent scandalum et causa sunt quod liberi iam nullam habeant erga eos reverentiam et obedientiam; item maledicere superioribus praesertim praesentibus, quod etiam de facili grave est et *contra observantiam.*

C. Sibi imprecari malum est *contra charitatem sui,* quod est mortale ex genere suo si serio fiat, secus est veniale ; ita v. g. *Deus damnet me.*

D. *Non est peccatum per se.* ob finem honestum :

1° maledicere daemoni ut auctori malorum, nisi aliquando ratione irae immoderatae vel scandali;

2° maledicere creaturis irrationalibus in quantum sunt causa mali, nisi ratione impatientiae vel irae.

E. Per se est *vanum et otiosum,* et hac ratione *veniale :* maledicere creaturis irrationalibus secundum se spectatis.

Animadversio. — Consuetudo imprecandi extirpanda est: sub mortali si sint imprecationes in Deum; sub veniali si imprecationes contra homines sine animo pronuntientur.

VII. Notiones et principia de moralitate iuramenti. — Iuramentum est invocatio divini nominis in testimonium veritatis, sive directe fiat, immediate invocando Deum, sive indirecte

mediantibus creaturis in relatione ad Deum spectatis (v. g. per fidem, crucem, Evangelium, etc.); sive Deus invocetur ut testis ad veritatem manifestandam *(iuramentum contestatorium* seu *inuocatorium),* sive etiam ut iudex ad falsitatem puniendam *(iuramentum execratorium*) ut in notissimo iuramento : *sic iuro, sic Deus me adiuvet.*

Ex parte materiae potest iuramentum esse *mere assertorium* si sola affirmatio enuntietur, vel *etiam promissorium* si simul affirmetur promissio.

lamvero :

1u Tres conditiones requiruntur ad liceitatem iuramenti :

a) *Veritas,* quae non errorem materialem excludit sed mendacium, ita ut assertio sit conformis menti actuali iurantis. et promissio *etiam* fiat cum intentione praesenti eam implendi.

b) *Justitia* seu honestas, ita ut licita sit assertio sub iuramento facta, vel *etiam* ipsa res promissa.

c) *Indicium* seu discretio, ita ut iuramentum non fiat vane et leviter sed ob grave motivum, ac *insuper res* promissa sit in potestate iurantis.

2“ Iuramentum fictum sine intentione iurandi, duabus prioribus conditionibus verificatis, reducitur ad iuramentum sine iudicio, ut locutio usualis apud nos : *per Deum.*

3° Deficiente aliqua ex conditionibus, iurare peccatum est; et quidem :

a) Iuramentum *falsum,* sine veritate, est peccatum mortale ex genere toto, quia est gravis irreverentia directa contra Deum, qui supponitur vel aliquid nescire vel falsitatem posse testari; quod est periurium stricte dictum.

b) Iuramentum *iniquum,* sine iustitia, si sit promissorium, est peccatum mortale, quia reddit Deum patrocinantem peccati; si sit mere assertorium, est de se veniale, nisi directe adhibeatur ut medium peccandi, v. g. affirmare impurum amorem ad seducendam puellam, quia hoc est facere Deum cooperatorem peccati.

c) Iuramentum *incautum,* sine iudicio, de se est veniale, et non est mortale nisi ratione scandali vel periculi.

VIII. Animadversiones. — 1. Qui se accusat de juramentis, interrogandus est quibus verbis sit usus, praesertim si sit rudis. Nam saepe dicunt se iurasse cum simpliciter aliquid firmius affirmaverint sine ulla

intentione Deum invocandi in testem, v. g. dicendo: *Deus novit; Deus videt conscientiam meam; coram Deo loquor; tam verum est ac sedeo, quam sol lucet, quam Deus, quam Evangelium; iuro; expono caput meum, amputentur mihi aures meae nisi ita sit;* Imo *per animam (mijn ziel),* quia ordinarie non respiciunt relationem specialem inter animam et Deum. Ista omnia de se non sunt iuramenta; nisi tamen quis vellet invocare Deum ut testem aut vindicem.

2. Hac in re, maxime attendendum est formulis et aestimationi communi: sunt enim formulae usuales quae non sunt luratorlae, et e contra sunt formulae vere iuratoriae quae ex aestimatione communi non sunt tales.

3. Cum tota res dependeat ab intentione iurantis. confessarius a) interroget eum clare, non quidem: an voluerit iurarc *(jurer, ziveren),* sed distinctius: an voluerit praestare iuramentum *(faire serment, zijnen ced doen);* b) doceat ad iuramentum requiri intentionem Deum invocandi: in testem: c) avertat ab usurpandis formulis etiam dubiis et sine intentione iurandi prolatis: ob irreverentiam in Deum et periculum scandali ac deceptionis.

IX. Consuetudo seu habitus blasphemandi, imprecandi, iurandi, malus est, quia proxime inclinat ad peccandum, nempe ad blasphemias, imprecationes, vel iuramenta falsa, inhonesta, vana. Unde adest obligatio illum removendi (Eccli, XXIII, 9: Mt. V, 34); et peccat ille qui talem habitum voluntarie acquirit, vel eliminare negligit : *interne in affectu,* toties quoties advertens obligationem retractandi habitum, non retractat; *externe et in effectu,* quoties ex habitu iuramenta vitiosa sufficienter praevisa profert actibus moraliter interruptis.

Peccat graviter si ex consuetudine disponitur ad blasphemandum, graviter imprecandum vel ad iurandum quaecumque indiscriminatim, etiam falsa et graviter inhonesta: leviter si disponitur tantum ad vanam usurpationem Dei nominis, ad imprecationes leviter malas aut iuranda vana aut leviter inhonesta.

Qui iurat ex consuetudine

a) vel attendit ad actum iurandi et ad defectum ipsius, et tunc iuramentum vitiosum est voluntarium in se:

b) vel attendit tantum ad actum iurandi et non ad eius defectum, et tunc iuramentum est graviter vel leviter culpabile in sua causa, scii, in consuetudine, ut dictum est:

c) vel ad nihil attendit, et tunc proprie non iurat quia deficit intentio iurandi, sed nihilominus locutio est voluntaria in sua causa, seu consuetudine, et culpabilis quatenus externe sonat iuramentum malum aut saltem vanam usurpationem nominis Dei;

d) vel si efficaciter retractavit consuetudinem, iuramentum neque est voluntarium in causa nec peccatum.

Consuetudo retractatur per voluntatem qua quis dolet de ipsa et proponit sibi media adhibere efficacia ad illam tollendam, quod propositum utiliter aliquot vicibus renovet; si autem post propositum media non adhibeat, consuetudo iterum fit ipsi indirecte voluntaria, quia ostendit se non velle eam tollere.

QUAESTIO TERTIA

De Peccato contra Dei Famulatum seu de violatione diei dominicae

I. Obiectum quaestionis. — Sicut fidelitas erga Deum primo, et reverentia secundo, ita famulatus praecipitur tertio decalogi praecepto. Tempus aliquod in vita humana divini cultus servitio reservare, ipsa ratio naturalis dictat et ius naturae praescribit; iure autem positivo tempus illud et modus colendi Deum magis sunt determinanda. In vetere quidem lege, ius positivum divinum praecipiebat : *Memento diem sabbati sanctifices,* quod praeceptum una cum aliis caeremonialibus L. V. praescriptionibus morte Christi est abolitum; nunc autem iure ecclesiastico statuitur servanda prima in hebdomada dies quae hac ratione vocatur dominica.

Praeceptum simul est negativum et affirmativum : prohibet nempe opera servilia et forensia quia magis solent abstrahere a Dei famulatu, et praecipit assistentiam sacro sacrificio altaris tamquam operi publici cultus omnium excellentissimo. Haec satis complete solent exponi in manualibus theologiae moralis; unde hic tantum subiicimus quaedam pro confessariis practica monita.

II. Regulae et principia a confessariis attendenda. — Quoad tertium praeceptum notare omnino oportet, opportunum esse confessariis non indulgentius sed potius agere severius, quia si rudes habitualiter illud transgrediantur, iam numquam orabunt, nec de religione amplius sufficienter curabunt, imo debitam notitiam veritatum fidei et morum brevi amittent eo quod concioni vel instructioni religiosae nunquam intersint. Ut bene ait Berardi, *Praxis confessariorum,* n. 367 :

« Plurimi tota hebdomada in negotiis et laboribus occupati, si gravissimis animae propriae necessitatibus tum seriis reflexionibus tum effica-

cibus remediis die festo non provident, quando providebunt? Speciatim quoad obligationem audiendi verbum Dei. quo neglecto, innumeri Christifideles in coeno vitiorum immersi vivunt usque ad mortem, sequentia habemus ex Trid. sess. 24, c. 4: « Moneat Episcopus diligenter *unumquemque teneri* parochiae suae intéresse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei ».

Quapropter :

1° Qui semper laborare diebus dominicis tenentur et nunquam sacro interesse possunt, aliud officium vel servitium sibi comparare debent, saltem si possint sine magno incommodo, et interim media adhibere ut praecepto tum cognoscendi doctrinam religionis, tum orandi satisfaciant.

2° Qui nunquam diebus dominicis possunt interesse sacro, etsi id eorum vitae religiosae non omnino noceat, debent aliud servitium sibi comparare, quatenus possunt sine magno incommodo, vel, si id possibile non sit. aliquoties per annum in hebdomada sacro assistere, quia etiam est praeceptum naturale et divinum aliquoties assistendi sacrificio.

3° Uxores et filii familias ne facile cedant marito vel patri, auditionem sacri prohibenti, etiam ad vitandas blasphemias vel iram aut magnam indignationem, saltem si frequenter fiat, quia secus nulla praxis religiosa illis permitteretur; nisi tamen gravem percussionem aut verberationem timerent. At si in contemptum religionis exigeretur, etiam tunc fieri non liceret, sed nunquam cedere deberent.

4° Qui ob legitimas rationes laborant, curent, ad vitandum scandalum, ne id faciant publice; aut, si id necesse sit. ut legitima excusatio saltem ab aliis cognoscatur.

5“ Sciant quoque parvum laborem, brevi vel saltem non diuturno tempore continuatum, nihilominus posse, ratione scandali, graviter esse peccaminosum : ita brevissimo tempore, v. g. per quadrantem horae publice terram arare, et similiter imperare pluribus laborem unius horae, potest esse peccatum grave ratione scandali.

6° Culpandi sunt illi qui *proximum* impedimentum voluntarie apponunt adimpletioni praecepti, ut si ratione curiositatis, recreationis, vel levioris motivi iter incipiunt vespere sabbati aut die dominica ante primam missam et ad alium locum perveniunt post finitam ultimam : id enim non est licitum nisi iter sit *vere* necessarium et *simul* alia die institui non possit.

7° *In praxi* praesertim attendendum est ad aliquas operum categorias :

a) Ne mulieres vel puellae opera feminea leviora sibi existiment licita, uti nere, suere, manibus texere, opus denticulatum conficere, flores artificiales aut imagines cereas, sericas, chartaceas, etc., quia talia facile exercent et sic paulatim ad multa alia transeunt. Quodsi quoddam motivum se habere putent, petant a parocho dispensationem.

b) Ne sartores et sutores, sine ratione valida, praetextent necessitatem laborandi die dominica ad finiendum opus ne adventores amittant : si ita revera sit, adest ratio sufficiens laborandi; at saepe in talem necessitatem se spontanee congerunt, debitam non adhibendo sollicitudinem vel perdendo tempus initio hebdomadae, aut plura assumendo opera quam explere possint, imo laborant etiam pro iis qui ex operis dilatione minime reapse alienarentur.

c) Ne opera ruralia et hortorum culturam exerceant agricolae, nisi prius a parocho obtenta licentia.

III. Animadversiones. — 1. « Sedulo notent confessarii quod, maxime quoad personas conscientiae parum meticulosae, earum agendi rationem non de facili approbare debeant, prout faciunt multi qui, re minime perpensa, illico dicunt: eia, age, si habes necessitatem laborare potes. Agitur de re ex una parte nimis damnosa, et ex alia hallucinationibus nimis subiecta: unusquisque enim facillime sibi persuadet se laborare ex necessitate, etiam quando vera, gravis et indeclinabilis necessitas minime adest. ... Imo admoneant ne vanis innixi rationibus se non peccare mortaliter existiment ». Ita Berardi, o. c., n. 409.

2. Sciant confessarii se nullam in dispensando supra praecepto servandi diem dominicam habere potestatem; sed id reservari parocho et iis qui loco parochi sunt, et quidem in casibus particularibus tantum.

3. Attendant, libros legentes theologiae moralis, ne ex theologis aliarum regionum, novas consuetudines in suam introducant.

§ B. DE QUIBUSDAM PECCATIS IN PROXIMUM

Peccata in proximum opponuntur charitati vel iustitiae cum suis virtutibus adnexis. Laedere autem proximum possunt in variis suis bonis : in bonis internis propriae suae

personae, sive corporis sive animae; — in bonis coniugii quantum ad personam ipsi coniunctam; — in bonis externis fortunae; — in bonis famae et honoris, atque amicitiae et pacis. Variis hisce bonis diversa opponuntur peccata.

QUAESTIO PRIMA

De Peccatis in bona interna vitae et corporis

1. Conspectus generalis. — Charitas et iustitia praecipiunt ius proximi ad bona interna vitae servare incolume, et peccata opposita prohibentur quinto decalogi praecepto. Bona hominis interna vocamus bona tum corporis, tum etiam animae, scii, naturalem usum rationis et libertatis ac vitam moralem et supematuralem. Bono vitae moralis et supernaturalis opponitur scandalum; bono naturali quidquid nocet vitae corporali, vel naturali rationi aut liberae voluntati. Circa quae recolere oportet, non hominem sed solum Deum habere dominium humanae vitae atque corporis humani, sicut animae cum suis potentiis naturalibus; et ideo

1° actionem directe occisivam contra vitam innocentis nunquam esse licitam, ac proinde vitam innocentis nullo in casu *directe* posse auferri, uti fieret in omni specie embryotomiae vel abortus directi seu directae eiectionis foetus immaturi;

2° item mutilationem directam esse illicitam, non solum utilitatis seu lucri sed etiam virtutis causa, nisi ad vitam vel sanitatem totius corporis servandam, quatenus pars est propter totum, et bonum partis cedere debet bono totius ne hoc corrumpatur. Quamobrem de se intrinsece et graviter illicitae habendae sunt operationes quae reddunt sterilem aut impotentem, sicut vasectomia, ovosectomia. sterilizatio, utpote nuitilationes graves: nisi aliter salus sperari non posset;

3° item actiones nocivas esse illicitas, nisi simul et immediate, seu non mediante effectu malo, procurent bonum maius quod compenset effectum malum et nocivum;

4" a fortiori esse illicitum directe intendere nocumentum vitae morali aut supernatural! animae: item actum ponere qui nocere possit, nisi fiat ob rationem proportionate gravem.

Quae principia attentius consideranda veniunt, quantum ad bona naturalia, in actionibus medicorum generatim, — in usu hypnotism!, — in operationibus chirurgicis, — in usu quorumdam medicamentorum narcoticorum, — in usu chloroformii et mediorum anesthesicorum, — in actionibus, potionibus et incisionibus quae dicunt respectum ad procreationem generis humani.[1] Quantum ad bona spiritualia, quae laeduntur scandalo, dicetur in quaestione sequenti.

II. De actionibus medicorum. — Sub gravi obligant regulae sequentes :

1° Medicus semper uti debet mediis *tutioribus,* i. e. illis quae, iuxta id quod scientia docet, certa sunt; quod si talia non cognoscantur, illud praeferendum est quod verosimilius et, caeteris paribus, citius ad sanitatem conducit. Attendenda quoque venit, secundum diversas personarum circumstantias, magna utilitas vel necessitas celerioris sanationis, v. g. in operario; sicut etiam quod remedia minorem causent dolorem aut minoris sint pretii, ita ut praeferendum sit illud quod, amnibus consideratis, magis proficuum et minus onerosum est.

2° Illicitum est medico experientiam quaerere ex homine, iis mediis de quibus ipse ignorat utrum nociva sint an vere utilia, uti v. g. vaccinatione ex secretis ulcerum siphiliticorum ad finem diagnosticum de existentia siphilidis:[1] potest tamen adhibere media quae certo quidem scit nocere non posse, quamvis ipsi non constet utrum in praesenti casu profutura sint. Addit nihilominus Noldin. Th. M., II. n. 744 : licitum esset remedium explorare de consensu infirmi, si ageretur de damno levi quod facile reparari potest.

3° Infirmo cuius salus iam sperari nequit, etiam tale remedium praeberi potest quod utrum nocivum an utile futurum sit, medico non constat ad infirmi salutem curandam : ita non ad experimentum sumendum pro aliis infirmis, nam illicitum est quaerere experimentum in alterius vita, cum non sint facienda mala, etiam uni. ut aliis etiam pluribus eveniant bona; sed quia conformius est prudentiae et voluntati infirmi, applicare illud remedium dubium quam illud omittere cum

' De his omnibus praesertim conferri possunt Capei.i.mann. *Medicina Pastoralis;* Noldin, Tanquerey. Vermeersch et Priimmer in manuali suo theologiae moralis; Salsmans, *Gcneeskundigc Plichtenleer,* i. e. deontologia medica.

1 Licitum est in animalibus; item in malefactoribus ad mortem damnatis, si poteslas civilis id statuat.

certitudine mortis. Ad tale remedium, sicut et alia media extraordinaria adhibenda, generatim est consensus ab infirmo petendus, et isto consentire non valente, a cognatis, praesertim si valde timeatur periculum magni et perpetui nocumenti.

4° Illicitum est lethaliter vulneratis, senibus, aegrotis, moribundis, ne diutius patiantur, etiam de eorum consensu vitam auferre vel notabiliter abbreviare actione directe ad hoc tendente, quia non est malo medio utendum ad bonum finem, nec facienda sunt mala ut eveniant bona : hi enim omnes ius ad vitam retinent, et Deo committi debent qui solus est dominus vitae, et solus de eorum vita directe disponere potest.

5° Proinde illicitum est in articulo mortis morphium vel simile medium lenitivum praebere infirmo directe ut abbrevietur dolorosus eius vitae exitus et ipsa quiete in euthanasia, i. e. beata morte, terminetur. Imo etiam ut moribundus solum ratione privetur et sine doloris sensu decedat; nam ad hoc non adest, saltem regulariter, sufficiens ratio proportionate gravis, et quidem omnino si nondum sit ad mortem praeparatus, cum ita privaretur opportunitate poenitentiam agendi et sic poneretur forsan in via damnationis aeternae. De quo magis dicetur infra, sub η. IV.

6° Punctio cordis vel arteriae *(ponction du cœur, steek door het hart, Herzstich)* quam aliquando cognati vel affi nes defuncti, quandoque ob testamentum ipsius defuncti, postulant ne forte vivus sepeliatur :

a) a medico fieri non potest, si non habeat indubia mortis indicia sed serio de ea dubitet, quia est se exponere periculo occidendi hominem;

b) si vero certa mortis sint s'gna, per se non est illicitum [1], cum id fiat solum ad liberandos cognatos a metu et vanis anxietatibus;

c) cognati tamen id licite petere non possunt, quia id faciunt ex mala intentione abbreviandi vitam si adhuc adesset et praecipitandi mortem si nondum supervenisset; cui proinde cooperari medico non est licitum. Quapropter eos a proposito inutili abducere conetur, et si non velint, iis declaret omnino se punctionem non facere, nisi quia omnino certus est de morte et unice ad vanam eorum anxietatem dissipandam.

1 Si illicitum esset, pari iurc illicitum esset defunctum sepelire.

7" Medicus tenetur per se vel per alios infirmum efficaciter monere de periculo proximo mortis, ut de rebus temporalibus disponat et necessitatibus spiritualibus provideat.

Officium illud charitatis est personale; unde deficientibus aliis qui possint aut velint efficaciter persuadere infirmum, ipse medicus per se ipsum monere tenetur. Excusari tamen potest si monitio sit *certo* inutilis, sive quia infirmus monitione certo non egeat, sive quia monitio certo nullatenus erit profutura, quod tamen cum certitudine raro affirmari potest.

III. De usu hypnotismi. — Hypnotismus ita describi solet: inductio status peculiaris, somno analogi, qui hypnosis dicitur, in quo statu constitutus homo mere subit suggestiones hypnotizantis. Inducitur mediis diversissimis, quae tamen omnia probabiliter reducuntur ad unum, nempe suggestionem somni; gradus autem habet plures a simplici somnolentia ad perfectum somnambulismum. De quo breviter notare iuvat, eius praxim nonnumquam esse illicitam, quoties scii, iniuste aut sine gravi causa et magna cautela adhibeatur. Nam :

1° Hypnotizatus privatur expedito usu rationis ac dominii in potentias inferiores, quem ordinario propriis viribus aegre recuperabit absque nutu hypnotizantis; tradit se arbitrio hypnotizantis a quo sat efficaciter et saepe invincibiliter duci potest ad illicita perpetranda, et ordinarie in eumdem statum etiam reluctans reduci potest. Talis autem privatio usus rationis et abdicatio libertatis, de se grave periculum pro moribus involvens, est illicita quoties causa proportionate gravis et cautiones desunt ad periculum removendum.

2° Hypnotismus, nisi magna prudentia adhibeatur, sanitatem animae et corporis gravi nocumento exponit; unde requiritur talis periculi remotio, aut saltem spes fundata maius bonum oblinendi.

3° Quodsi quis per abusum hypnotismi personam non consentientem suis iussionibus subdit, vel artem exercet in circumstantiis quibus nociva sit, gravem iniuriam committit, et ex iustitia tenetur illam personam aptis mediis sui iuris reddere ac damna omnia reparare.

Causa sufficiens exercendi hypnotismum non est causa recreation's aut solius lucri; sed

a) aliquando causa *scientificae investigationis* (S. Off. 26 iul. 1899), dummodo peritus seligat personam cui hypnosis non nocua sed potius proficua apparet;

b) frequentius causa *medicationis,* sive ad sopiendos sensus in chirurgica incisione, sive ad nervorum morbum aut rhumatismum curandum; notetur tamen recentiore tempore iam magis restringi aut in dubium revocari effectus salutares hypnotismi;

c) etiam causa *tollendi vel minuendi malas propensiones* v. g. ad suicidium, ebrietatem, luxuriam, furtum, etc., quando *casu extraordinario* libertatem quasi tollunt vel voluntatem extenuant. In casu extraordinario, diximus, secus deest ratio proportionate gravis. Medium, scii, ordinarium formationis, educationis et dominationis sui est propriae rationis et libertatis exercitium; caeteroquin suggestiones magis debilitant voluntatem quam firment.

In casibus praedictis est *cautio* adhibenda: non adhibeatur nisi medicus valde peritus ac prudens et summe fidus, qui nonnisi honestis et innocuis suggestionibus et solum ad finem intentum utatur; adiungatur quoque testis fidus qui praesens assistat vel saltem maneat in vicinia: ita propter bonam famam ipsius hypnotizantis, maxime ob bonum hypnotizeti.

IV. De usu morphii aliorumque medicamentorum narcoticorum. — Res spectat non solos medicos sed etiam infirmaries, imo patientes qui sibi ipsi medicamenta ministrare possunt, v. g. in remedium insomnii vel contra dolores rhumatismi.

Hodiernis siquidem temporibus saepe adhibentur narcotica (νάρχωσι , i. e. somnus, sopor), sive ad leniendos dolores vel ad voluptatem provocandam, uti opium, morphium, cocainum, sive ad sopiendos sensus, uti aether et chloroformium; quorum effectus nocivi esse possunt vel etiam usum rationis ad tempus intercipientes et ideo eorum usus illicitus.

Media *lenitiua* seu *obstupefacientia (calmants, stupéfiants; verzachtende, verdoovende, bedivelmende middelen),* de quibus h:c exclusive agimus, sunt medicamenta quae suppressionem vel imminutionem causant temporaneam activitatis centrorum nerveorum, ex quo status quidam oritur inertiae physicae et moralis. Sunt opium, morphium, cocainum aliaque huiusmodi eorum derivata vel commixta [1]. Quae non solum per

1 Conferentia internationalis Genevensis, 17 nov. 1924 — 19 febr. 1925, exclusive nomen : *stupéfiants,* quibusdam reservavit. Sunt : *opium* seu latex collectus e fructibus immaturis papaveris somniferi albi quod coVtur in Asia minore, Indis, Sina, Aegypto, Persia; *morphium* quod est principale quoddam alcaloidum ex opio extractum, et *heroinum*

modum absorptionis vel masticationis, fumatu aut suffitu, sed etiam per iniectionem subcutaneam sumuntur, et ad leniendos dolores valde efficacia sunt, imo quemdam hilaritatis et voluptatis sensum provocant sed simul nervos debilitant.

In magna si sumantur quantitate, sunt mortifera per intoxicationem acutam pari modo ac venenum; — in minore quantitate soporem sensuum et privationem usus rationis causant, qui effectus ab ebrietate nihil differt; — in modica quantitate sed iterato sumpta per longum tempus sanitati graviter nocent per intoxicationem lentam et progressivam, vitam notabiliter abbreviant, atque vehementissimam, v. g. repetiti usus, provocant cupidinem (morphomania), quae multo difficilius vinci potest quam habitus etiam inveteratae ebrietatis et praeterquam in nosocomiis ad hunc finem erectis curari vix potest [1]; imo abuliam causant seu paralysiam voluntatis et quasi atrophiam, indolentiam, indifferentiam erga officia status et negligentiam, mentis obtusionem, irritabilitatem animi, sensus moralis perversionem et responsabilitatis imminutionem.

Ex quibus omnibus patet usum huiusmodi remediorum esse periculosum, et vitandum nisi necessitas aliter postulet, et ideo medicus non potest suppeditare aut relinquere infirmo siphunculum iniectionis aut morphium.

Sane dolores minuere licitum est, modo remediis adhibitis sanatio morbi non retardetur, aut valetudini vel vitae directe non afferatur damnum vel periculum. Unde in adhibendis remediis peccare quis potest, vel ex eo quod portionem prae-

operat one chemica exinde obtentum; — *coca* naturalis seu erythroxilon coca, quod est planta quaedam e regione peruviana; — *cocainum* seu alcaloidum quoddam c coca derivatum; — *haschich* seu cannabis ex Indis, quae resinam seu oleum secernit toxicum proprietatibus gaudens excitatoriis.

Novissime quoque denuntiatur *peyotl,* planta quaedam cactcacea mexicana, cuius extractam quoddam in usu venit in Statibus Americae Foederatis et vocatur « mescal buttons ». Quod primo alacritatem et vigorem, de'n vero languorem et depressionem nerveam efficit, cum illusionibus et turbationibus, sed absque amissione conscientiae, ita quod homo cognoscat statum suum esse fictitium. Nec usus huius remedii hominem hebetem reddit sicut alia facere nata sunt.

De hisce cfr. DuprÉ et Logre, *Intoxications par l'opium, l'éther, la cocaïne,* in *Nouveau Traité de Médecine,* fasc. VI. Paris 1922; Dr De Block, *Toximanics,* Liège 1927; Dr Lewin. *Paradis artificiels.* Paris 1928; Mgr Beadpin. *Le Problème des Stupéfiants,* in *Pie intell·.* 1930; Brouillard, *Stupéfiants et /Inesthétiques,* in *P.tudes,* 1929; Dr Vervaeck. *Le Péril des Toximanies,* in *Dossiers de Γ/l. C.,* 1930.

Item period. *La Cité Chrétienne,* 1928; 5'. *Luc médical,* 1934; Kothen, *Les Toximanes.* :n *Coll. Mechl..* 1931-32; St. Willems, in *Coll. Brug..* 1932; Meunier, *Les stupéfiants et la morale,* in *Rev. Reel, de Liège.* 1934-

1 Modica quantitas morphii permissa censetur 0.1 gr. at non diu. Qui utitur 0.2 gr. vel 0.5 brevi pervenit ad 1.0 et 3.0, quae quantitas aequivalet 20 vel 50 lagenis in die. Ita Capellmann, *o. c.*

beat nimis magnam, valetudini nocivam, vel ex eo quod remedia frequentius adhibeat.

In specie :

1° Usus transitorius et adeo exiguus ut alium effectum non producat nisi restaurationem virium ct pacationem nervorum, licitus est.

2° Usus in maiore quantitate vel frequentia, sine iusta causa vel ad solam voluptatem vel sedandam narcoticorum cupidinem adhibitus, est oeccattim grave si notabile sanitatis et vitae detrimentum inde sequi *possit* seu *probabiliter* sequatur; veniale si detrimentum san'tatis vel abbreviatio vitae certo non sit notablis: est autem licitus in quantitate decrescente pro illo qui tam inveteratam contraxerit usus consuetudinem. v. g. opii, ut ab eo abstinere non possit absque gravi detrimento sanitatis.

3° Usus in ea quantitate ut sensus sopiantur et privatio temporanea usûs rationis sequatur : sine iusta causa adhibitus est peccatum grave aeque ac ebrietas: ex causa autem proportionate gravi necessitatis vel utilitatis licitus est de consensu infirmi, ut si fiat ad non sentiendos dolores acerbos, aut in operatione chirurgica maiori ut infirmus sine resistentia se permittat.

4° Speciatim in *articulo mortis:* a) remedium praebere ut infirmus rat:one privetur et sine doloris sensu decedat, oraviter illicitum est. praesertim si nondum sit ad mortem praeparatus. quia privaretur opportunitate poenitentiam aaendi et periculum incurreret damnationis aeternae: et;am generatim si sit rite dispositus, quia ita careret onportunitate merendi et immediate se parandi ad mortem qloriamque coelestem notabiliter aunendi. Unde deest ratio proportionate oravis id permittendi; imo si periculum sit ne ad usum rationis redeat, id est aequivalens abbreviatio vitae.

b) Secundum aliquos tamen id *tolerari* posset, suppositis consensu et bona fide infirmi, qui iam ad mortem bene paratus est, ob acerbos scii, dolores[1], praesertim si impatientiae motibus valde obnoxius sit, ita ut probabditer timeri possit ne in grave peccatum labatur; — imo, ut aliquando dictum fuit, etiamsi *simul indirecta* sequeretur abbreviatio vitae in infirmo certe brevi morituro, sed id magis dubium est et potius omittendum.

[1] Non propter agoniam solam, ait Noijmn, *Th. M..*], n. 349.

c) Certo tamen *euthanasia* proprie dicta, directe scii, et in se intenta, vel directe procurata, est graviter illicita, scii, *directa* acceleratio mortis ita ut insensibilitas et privatio usus rationis non sit nisi *effectus* debilitatis inductae et abbreviationis vitae. Non enim sunt facienda mala ut eveniant bona. In casu potius adest intoxicatio quam anesthesia.

Hinc S. Officium, 11 maii 1852, declaravit negotiationem et usum opii, ut in imperio Sinensi exercentur, esse illicita, et S. C. P. F., 29 dec. 1891. in ea regione Christianis esse prohibendam opii culturam et mercaturam, item regularem usum, excepto casu gravioris damni vitandi [1].

V. De incisionibus et operationibus chirurgicis. — Chirurgicae operationes sunt illae quae perpetrantur vivisectione, extractione, mutilatione, abscissione, resecatione aliave laesione corporis, secundum regulas artis chirurgicae facta ad obviandum corporali cuidam defectui.

De iis attendenda veniunt sequentia principia :

1° Operationes quae vitae periculum afferunt licitae sunt, si sunt necessarium medium ad avertendum immediatum vel mediatum periculum certum vitae, et loco mortis praevisae probabilitatem vel saltem possibilitatem salutis ponunt[2]; etiam quando vitae periculum sit remotum, dummodo si diutius exspectetur, in corpore decrescat vis resistentiae ideoque spes fePcis operationis minuatur. In hoc casu tamen debet esse proportio inter nocumentum quod timetur et bonum quod speratur. At periculosae operationes licitae non sunt ad removenda mala nullatenus mortifera, sed deformantia tantum vel valde molestia, nisi forsan malum sit valde grave et vitae periculum minimum.

2° Inutiles autem operationes, sicut etiam periculosas, sine vera necessitate facere, v. g. lucri aut experimenti causa, est illicitum.

3° Non tamen semper adest stricta obligatio subeundi operationem ad vitam propriam servandam, si scii, medium

1 Consequenter Syn. Pekincnsis anni 1880 mandavit: i« absolutionem esse denegandam illis qui consuetudinem opium fumandi nondum contraxerunt, si huic renuntiare nolint; 2° consuetudinarios vero posse absolvi y quantitatem minuere promittant ; 3° iis qui promissionem non tenent, absolutionem esse differendam usquedum impleverint; 40 ab iis qui culturam exercent et mercaturam opii, exigendum esse ut eam omnino relinquant.

’ Etiam v. g. si. iuxta computationes stafsticas, essent 70 vel 80 % probabilitates mortis et solum 20 vel 30 possibilitates salutis.

sit extraordinarium, v. g. si operatio sit valde dolorosa aut si patienti magnum horrorem inspiret. Unde non est operatio facienda nisi de consensu infirmi, si expostulari valeat.

Notetur, ob progressum artis chirurgicae et ob remedia antiseptica. plures operationes quae olim erant extraordinaria, iam ut ordinaria media esse habenda. Quo casu sacerdos oper.itIonem suadeat; prudentiae causa tamen non moneat de gravi obligatione, ob periculum ne forte, negando consensum, infirmus formaliter peccet et moriatur In statu peccati.

VI. De usu chloroformii aliorumque mediorum anesthesicorum. — Media *soporifera* seu *hypnotica* vel *anesthesica (soporifiques, hypnotiques, anesthésiques, analgésiques; gevoelloosmakende, slaapwekkende middelen)* ita vocantur, quia soporem aut quamdam insensibilitatem inducere nata sunt et ad hoc adhiberi solent; quamvis etiam si in magna quantitate vel in frequentia adhibeantur, effectus nocivos habere possint similes illis qui supra fuerunt descripti pro narcoticis. Huiusmodi media sunt : imprimis chloroformium, etiam aether et nitrogenium oxydulatum (protoxyde d'azote, vulgo : *gaz hilarant, lachgaz),* variaque alia similia, nam singulis diebus ex novis combinationibus nova prodire possunt'.

lamvero :

1° Chloroformium vel aliud medium simile in operationibus chirurgicis adhibitum, soporem et insensibilitatem inducit, et ex hoc capite operationes multo facilius et securius peraguntur; sed quandoque, licet raro, mors exinde causatur". Quare nonnisi *gravi de causa* et caute hoc remedio utendum est. et quidem ita

a) ut ante usum diligenter inquiratur, ne forte constitutio infirmi sit talis quod adhibito chloroformio facile mortem afferat;

b) nec chloroformium adhibeatur nisi quando necessarium

' Ita hodie nominantur: chloral, sulfonal, veronal, luminal, dial, alidial, sandophal, etc. quae et>am narcosim profundam causant et in coma reducunt ; alia, ut urethanum, narcosim debilem. Alia sunt vere *analgetica,* ut chloroformium et aether; alia *antispasmodica,* ut pjramidon, hypnal, chloral. Quaedam periculum afferunt Ilis qui laborant aegritudine cordis. De his cfr. period. S. *Luc médical,* 1934.

2 Notat Prümmer ex Capellmann: iuxta modernam statisticam recensionem, quibusque 2907 vicibus, in quibus adhbitum fuit chloroformium, mors semel accidit. Ergo semper aliquod, licet non ita proximum. periculum vitae coniunctum est cum usu huiusmodi medicamentorum.

sit, i. e. tunc tantum cum modus et gravitas operationis, dolores valde vehementes, vel diuturnitas rei usum chloroformii valde utilem vel necessarium habeant. Cfr. ea quae dicuntur in fine numeri.

2° In partu saltem difficili', etiam usus chloroformii moderatus videtur licitus, dummodo non adsit exinde periculum pro vita matris vel infantis, quod diiudicare *experti* medici est.

De quo legimus apud Damen in recentiore editione operis moralis Aertnijs, I, n. 259 : Si « narcosis nec nimis profunda nec nimis diuturna sit, non videtur creare periculum infanti. Nec modus adhibendi narcoticum qui vocatur *chloroforme à la reine* (quia regina Victoria ita partum subiisse fertur) nocivus est. Consistit hic modus in eo, ut in initio singulorum dolorum (sunt enim dolores interrupti), aliquid chloroformii vel chloreti aethylici ministretur, quo pro tempore illius doloris sensus minuitur, quin tamen usus rationis auferatur.

Chloroformium autem imprudenter, aut a non satis perito adhibitum, grave periculum infanti creat. Patet in hoc casu usum eius prorsus illicitum esse. »

3" Item, secluso periculo, ait Priimmer, licitus est « ad leniendos dolores non ita atroces, saltem si agitur de narcosi valde brevi, qualis est illa quae causatur ope debiliorum narcoticorum, e. g. *Lachgas;* vel si agitur de narcosi imperfecta in qua non penitus tollitur usus rationis. Tales narcoses licitae videntur in extractione dentis, in partu etiam ordinaro ».

Ita quoque ad pacandos dolores vel turbationes digestivas nervosas, aut nervosas affectiones, dummodo in minore fiat quantitate et absque incommodorum periculo.

E contra: a) Usus hypnoticorum immoderatus, excessivus vel frequens, aut indiscrete adhibitus, v. g. sine prudenti consilio medici, imminutionem vitae physicae, intellectualis et moralis importare solet: iamvero illicitum est etiam corpus debilitare si exinde impediatur activitas animae.

b) Usus, ob solam voluptatem quaesitus, est illicitus, etiam si non esset nocivus, quia illicitum est exclusive agere propter solam delectationem aut voluptatem.

c) Peccant medici, qui indiscrete sive imprudenter, aut indistincte omnibus huiusmodi media praescribunt.

d) Insuper ipsi aliique peccare possunt cooperatione, sive positiva, v. g. ad usum nocivum aut frequentiorem inducendo vel remedium ministrando, sive negativa, usum nocivum non impediendo; quod sororibus infirmariis omnino est attendendum.

' Iu partu ordinario, qualis in ordinario cursu naturae per se habetur, videtur ad hoc deesse rationem proportionate gravem.

Cum autem usus hypnoticorum in quibusdam civitatibus iam effrenate creverit, oportet omnino ut invigilantia strictior exerceatur et efficacior ex parte potestatis publicae, et eorum venditio publica legis ordinationi subiiciatur et tantum de praescripto medici fieri possit, atque officinae pharmaceuticae submittantur invigilandae debitae.

VII. De operationibus quae .specialem dicunt relationem ad procreationem generis humani, dictum fuit in opusculo : *Quaestiones de Embryolopia et de Ministratione Baptismatis.*

VIII. Officia parochi et confessarii. – Parocho variae incumbunt obligationes :

1° Medicos inducat ad officia sua debite peragenda, nempe ad sedulo curandum de infirmorum salute corporali atque spirituali, item, ad abstinendum ab omni actione aut operatione nociva aut illicita, sicut est directa procuratio abortus et embryotomia.

2° Curet medicos sibi habere cooperatores, qui eum moneant de infirmis, horum saluti aeternae invigilare velint, et infirmarios et obstetrices de suis officiis recte instruant.

3° Curet ut medici rectum baptizandi modum in casu necessitatis ediscant (can. 743), in specie quandonam et quomodo Baptismus conferendus sit in utero matris, aut foetibus abortivis, aut mortua matre ad hoc facienda sit sectio Caesarea.

4° Euthanasiae omni conatu se opponat, praesertim si infirmus nondum sit ad mortem praeparatus; extra hunc casum, si monitio non videatur opportuna, res tolerari potest, dummodo silentium parochi non habeatur ut approbatio; si autem de rei.liceitate interrogetur, v. g. a medico dubitante, silere non potest sed secundum veritatem respondere debet.

5" Generatim moneat medicos illos qui operationes illicitas faciunt vel facere intendunt, saltem si probabiliter speretur fructus; atque etiam, non sperato fructu, si frequenter ita agant aut scandalum sint fidelibus, vel si non sint in bona fide, ut si parochum de hac re interrogent, vel si silentium aequivaleret approbationi.

Similiter confessarius: 1° generatim, data opportunitate, medicos inducat ad officia sua debite peragenda, sicut dictum est de parocho;

2° speciatim moneat medicum, qui in casu particulari operationem illici tam fecit aut facturus est, dummodo speretur fructus; secus taceat, nisi

medicus frequenter ita agat et scandalum sit fidelibus, aut si non sit in bona fide, aut si putaret silentium confessarii aequivalere approbationi;

3° imo absolutionem deneget medico qui officia sua facere recusat, in specie illi qui scientia debita carens illam non velit acquirere nec ab exercitio artis abstinere.

QUAESTIO SECUNDA

De Scandalo quod adversatur bonis spiritualibus

I. Notiones. — *Scandalum est dictum vel factum minus rectum praebens occasionem ruinae spiritualis,* seu actio (vel omissio) externa, sive mala in se sive mali speciem habens, propter quod scii, apta sit proximum inducere et trahere in peccatum

Quae definitio est scandali quod est *activum* seu *datum. Passivum* enim seu acceptum est ipsa ruina spiritualis seu peccatum proximi, in quod prolapsus est occasione ex alterius dicto vel facto accepta; et hoc est vel *acceptum quia datum,* quando oritur ex activo seu ex dicto vel facto *minus recto* alterius, vel *acceptum tantum,* quando quis ex alterius actione *omnino recta* occasionem sumit : sive ita fiat ex propria infirmitate, i. e. ex ignorantia aut fragilitate, et tunc dicitur scandalum *pusillorum,* ut si iuvenis ex ornatu honesto puellae sumit ansam concupiscendi eam; sive fiat ex malitia, et tunc vocatur *pharisaicum,* ut si quis ex bonis operibus alterius occasionem sumit eidem detrahendi vel odio eum habendi.

Hinc quandoque contingit ut sit simul scandalum activum in uno et passivum in altero, ut cum ad inductionem aut pravum exemplum unius alius in peccatum incidit; quandoque vero activum sine passivo, ut si aliquis inducit alterum ad peccandum et hic non consentit; quandoque e contra passivum sine activo, ut in scandalo pusillorum et pharisaico'.

Scandalum activum distinpuitur duplex : directum et indirec-

l Conferri possunt S. Thomas, 11-11. q. 43; S. Alphonsus, *Th. M...* L. II, n. 33-58; Aertnijs, *Th. M..* I. 1. II. n. 57 sq., II. 1. VI. n. 316-321; Noldin, *Th. M.,* II. n. 102 sq.; Berardi, opusc. *De Occosionoriis.*

5 S. Thomas, Tl-II, q. 43. a. 1. ad 4.

tum [1]. Est mere *indirectum,* si peccatum alterius non intenditur sed solum praevidetur probabiliter secuturum ex actione minus recta, quae ex natura sua impellit ad peccandum, ut si quis publice faciat peccatum aut praebeat malum exemplum. E contra est *directum,* si peccatum alterius intenditur et quantum est ex parte scandalizantis procuratur et causatur, uti fit iussione, suasione, consilio, seductione, laude, petitione peccati committendi. Quod iterum est duplex : *materiale* seu *simpliciter intentum,* si intenditur peccatum materialiter propter commodum, i. e. utilitatem vel voluptatem scandalizantis : ut si luxuriosus seducit alterum ad peccandum, vel meretrix aut pravorum librorum venditor maligno negotio intendunt lucrari; et *formale* seu *formaliter intentum,* si peccatum intenditur praecise quatenus est peccatum, uti fit ab impiis, quod vere est et ideo recte vocatur diabolicum [2].

II. Principia. — 1. Scandalum activum est peccatum *grave ex genere suo.* Charitas enim sub gravi obligat, praecepto affirmativo, ad emendationem proximi correptione procurandam et ad impediendum eius peccatum: unde multo magis, praecepto negativo, ad eum non impellendum ad peccatum consilio vel exemplo. Hinc ait Christus. Mt. XVIII, 6-7: « Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria iri collo eius, et demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis! Necesse est enim ut veniant scandala. Verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit! » — Cfr. Rom. XI. 13, 19: I Cor. VIII, 13.

Potest tamen esse veniale, non solum ob imperfectionem actus seu ob indeliberationem, sed etiam ex parvitate materiae, si alter inducatur ad peccatum veniale, etsi id formaliter intendatur, aut ex levitate influxus quem actio exercet in proximi peccatum: ita si quis pravum exemplum det personis quas novit exinde non multum commoveri.

2. Scandalum igitur activum *per se* est peccatum contra *charitatem* erga proximum: per accidens autem plures alias malitias contrahit *accidentales,* etiam quandoque *contra iustitiam,* nempe si scandalizans non solum ex charitate sed ex officio ruinam subditorum praecavere teneatur, vel mediis iniustis, ut vi. metu, minis, fraude aut dolo usus sit.

1 In tradenda divisione sequimur modum apud modernos receptum : pro accuratiore modo loquendi vide in nostra *Summa Theologiae Moralis,* I, n. 960-961, et apud Waffelaert, *Etude sur l'Espèce morale du scandale.*

1 S. Thomas. II-II. q. 43, a. 3.

Ita propter qualitatem personae *scandalizantis,* v. g. si pater scandalizat filios, superior subditos, magister discipulos; vel propter qualitatem personae *scandalizatae,* ut si quis personam coniugatam, aut voto castitatis ligatam, ad turpia directe inducit, aut superiorem ut officium suum negligat; vel propter modum quo committitur, si media iniusta, ut vis vel minae, adhibeantur.

3. Scandalum *indirectum per se* videtur, saltem probabiliter, esse contra *solam charitatem;* nam per se sola charitas praecipit ut bonum proximi procuremus et malum eius impediamus, et consequenter prohibet ne demus ipsi malum exemplum; — scandalum *directum insuper* certo est *contra virtutem ad quam violandam proximum inducit*: omnis enim virtus obligat ne directe contra illam agamus, ac proinde ne intendamus et causa simus ac positive procuremus quod ab aliis violetur. Quod si scandalum sit *formaliter intentum* est etiam speciale peccatum, i. e. distinctam speciem habens ac diversam malitiam, contra charitatem, atque gravissimum, quod directe opponitur correptioni fraternae, quia explicite intendit ut finem et tamquam proprium ad quod tendit obiectum, habet speciale et gravissimum nocumentum proximi, nempe ruina eius spiritualis : finis autem et obiectum actui humano dant speciem; — in aliis casibus ratio scandali in actione minus recta est circumstantia speciem addens et mutans.

Porro tanto *gravius* est scandalum: a) quanto gravior sit ruina proximi: ita in corruptione innocentis; b) quanto ista magis intendatur: ita scandalum directum gravius est indirecto; c) quanto ipsa magis ex eo sequatur aut efficacius inducatur: ita graviora solent esse prava exempla parentum, sacerdotis, religiosi, et aliorum qui sunt maioris auctoritatis vel existimationis; et d) quanto numerosiores sunt personae quae ad peccatum moventur.

III. Corollarium. — Poenitens itaque in confessione ordinario non satisfacit dicendo : dedi grave scandalum, sed insuper debet exprimere

1u peccatum proprium per quod scandalum dedit;

2° saltem in scandalo directo, speciem peccati mortalis ad quod alterum induxit iussione, consilio, suasione, laude aut vituperatione, seductione, etc., ubi attendenda venit qualitas personae scandalizatae quoties inde diversa peccati species habetur, ut si personam coniugatam aut voto castitatis ligatam ad turpia quis inducit;

3° in scandalo formaliter intento, etiam speciale peccatum contra charitatem;

4° qualitatem sui ipsius, si inde species accidentalis addatur quia ex officio tenetur scandalum praecavere, ut si pater scandalizet filium, superior subditos, magister discipulos;

5° similiter modum iniustum, si vim, metum, minas, etc. adhibuerit.

Non autem tenetur poenitens exprimere circumstantias *mere aggravantes,* quales sunt, quidquid plures dixerint:

a) circumstantia sollicitationis qua complicem ad peccatum adduxit, nam complex consentiendo fit eiusdem scandali reus, licet in minore gradu; unde scandalum sufficienter accusatur dum complicitas cum alio exprimitur;

b) numerus determinatus personarum quas ad peccandum efficaciter induxit, sed sufficit accusare earum pluralitatem, quia exinde scandalum non multiplicatur sed solum augetur eius gravitas.

IV. Reparatio scandali activi speciatim consideranda venit. Ipsa, in quantum fieri possit, est obligatoria ; si enim omnes ex charitate tenemur praecavere lapsum proximi et procurare emendationem peccantis, a fortiori ille qui per scandalum occasio fuit cur alter peccavit. Obligatio oritur per se ex sola charitate. quia proximus scienter et volenter peccavit, scienti autem et volenti non fit iniuria; et ideo non ex iustitia vel officio tenetur scandalizans, nisi mediis iniustis, v. g. dolo, vi, metu, usus sit, vel nisi superior scandalum dederit subditis quorum *spirituali* bono, *vi muneris,* consulere debeat.

Porro reparatio duo generatim exposcit : a) ut ulterior scandali influxus, quantum fieri possit, tollatur;

b) ut efficaciter curetur emendatio illius qui passus est scandalum.

Huc valent sequentia principia quae per se sub gravi obligant :

1° Qui dedit scandalum *directum* et suasione, consilio, precibus, etc. proximum ad peccatum vel in noxium errorem induxit, *explicite* et speciatim illud reparare tenetur, et ideo tollere ulteriorem eius influxum; secus perseveraret esse illorum causa voluntaria. Ita v. g. qui dedit iniqua consilia adhuc efficacia, debet ea inefficacia reddere revocatione per se vel per alium notificanda; qui proposuit falsam doctrinam debet retractare, qui scripsit vel sparsit pravos libros impios vel obscenos tenetur librorum diffusionem impedire eosque publice retractare, vel e manibus aliorum, si possit, tollere;

qui machinationem contra Ecclesiam indixit debet detestari, etc.

2° Qui scandalum ordinarium seu *indirectum* dedit solo malo exemplo, quod non plenam perversionem sed peccata transeuntia solum causare solet, per se sufficit *implicite* reparare et generali reparatione, quae continetur in ipsa cessatione a scandalo, in bono exemplo, in sacramentorum publica receptione, in oratione pro scandalizato et in aliis similibus.

3° Qui proximum in *stabilem* perversionem induxit, tenetur eius conversioni adlaborare, ut eum ad virtutem reducat, sive per se, sive per alios si ita opportunius fiat; ut nempe sic compensetur malum causatum.

4° Qui *publicum* dedit scandalum, id *publice* reparare tenetur, tum ut ulterior nocivus ipsius influxus tollatur, tum ut reparatio, qua moneantur de malo, omnibus scandalizatis innotescat et prosit. Quapropter notorie excommunicati et interdicti, vel manifeste infames, ut meretrices, concubinarii, aliive id genus peccatores, ad publicam pro posse (si fieri possit) scandali reparationem constringendi sunt; nec possunt ad sacramenta admitti nisi prius nefandum negotium eiusque occasionem reliquerint et scandalum publice sustulerint.

Modus autem publicae reparationis diversus esse potest pro variis circumstantiis : vel retractatio scripto exarata per folia publica divulganda, — vel coram duobus testibus prolata rem postea divulgaturis, — vel etiam coram parocho, aut confessario, divulgaturo peccatorem obligationibus suis satisfecisse, etc. dummodo sufficiat ad scandalum tollendum. De modo praestat saepius consulere Ordinarium.

5° *Superiores,* qui scandalum subditis dederunt, *ex officio* tenentur illud reparare. Sic v. g. paterfamilias vel dominus, qui scandalizavit suos domesticos, ordinarie ad reparandum scandalum adstringendus est, si id nocivum adhuc influxum exercet, ita ut iisdem manifestet displicentiam de malo suo exemplo eosque paterne hortetur ne illud in posterum sequantur.

6° Qui *medio iniusto,* uti vi, dolo, fraude, metu iniuste incusso, alium induxit ad peccatum, tenetur *ex iustitia* ad coercendum scandali influxum; scii, a) media iniusta tollere, imo b) etiam alium revocare ad bonum, si iste per se ad pristinum statum redire non potest : quamvis enim peccando consenserit, consensus tamen non est plenus quia non consentit

deceptioni aut violentiae adhibitae. Unusquisque nempe ius strictum habet ne iniuste laedatur in bonis spiritualibus.

V. Casus scandali per concubinatum frequenter occurrit et specialem in praxi praebet difficultatem [1]. Est autem scandalum quo complices non solum sese mutuo scandalizant, verum etiam alios si concubinatus, uti natum est fieri, iam sit publicus.

Concubinatus est frequentatus concubitus cum eadem femina, quam quis instar uxoris in propria vel aliena domo retinet. Communiter exercetur inter solutos: potest tamen in adulterio et in aliis speciebus luxuriae inveniri.

Praeter scandalum publicum quod praebere solent, concubinarios constituit in magno damnationis periculo, eo quod firmum habeant propositum, saltem virtuale, perseverandi in peccato, et ideo difficillime possint ad veram poenitentiam redire et se a vinculis complicis eruere. Cui proinde a parocho. vel et a confessario. opportunum et efficax remedium seriae monitionis et curationis est praebendum.

Inter *remedia :* 1) ante omnia consulendum est *matrimonium.* quando est moraliter possibile nec infelix timetur exitus : hoc enim radicaliter occasionem peccati abscindit et nonnunquam unicum est remedium. Quod praecipue urgendum : cum concubinarii cohabitent, ut si concubina ab amasio in eadem domo sustentatur et alio modo sustentationem vix sibi comparare possit; item cum concubinarii magno veri amoris ardore invicem prosequuntur, praesertim si concubinatus inveteratus est vel specietenus legitimatus vel civili matrimonio firmatus; maxime in alterutrius periculo mortis[5].

Notetur autem, in casu necessitatis ob grave malum, si celebrando matrimonio canonicum obstet impedimentum, nec suppetat tempus recurrendi ad S. Sedem, ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, — presbyteratu et affinitate in linea recta exceptis, — posse Ordinarium dispensare, et. si non possit adiri Ordinarius, etiam parochum vel et confessarium (can. 1043-1044). Ita, aiunt theologi : si ex matrimonii dilatione magnum time-

1 Conferri possunt: S. Alphonsus, *Th. M..* 1. III, n. 432. 436, 437, 441; Segneri, *Instructio confessorii,* c. 5 et 6; Berardi, op. *De Occasionariis.* n. 139-141 ; Aertnijs. *Theol. Moralis,* II, 1. VI, n. 316-321 ; Noldin, *de VI° praecepto,* n. 16.

1 Matrimonium secretum tamen seu, ut dicunt, conscientiae, raro permittendum est. praeter casum morbi lethalis, vel quo concubinarii publice putentur coniuges. Generatim vitandum est propter periculum vel divortii, vel scandali si proles nascatur, vel onanismi ne scandalum oriatur.

retur scandalum et magna infamia; si dilatio causa esset quod matrimonium non amplius contraheretur et idcirco vel concubina derelinqueretur gravida vel proles non legitimaretur, vel concubinarii in perpetuo concubinatu mansuri essent; maxime si matrimonium urgeret ad consulendum saluti aeternae compartis moribundae.

2) Deficiente possibilitate matrimonii vel opportunitate, vel stante huius per aliquod tempus dilatione, urgenda est *separatio,* quae, ubi fieri possit, est remedium necessarium ad removendam occasionem proximam et liberam.

Separatio facilior erit, si concubina in diversa domo sustentatur, et concubinarius non ex amore personae sed ex voluptatis cupidine eam frequentat. Quo casu, praeter remedium generale contra occasionem et periculum peccati, generatim exigendum est ut concubinus non amplius ingrediatur domum concubinae nec ullum cum ea commercium habeat. Concubina autem potest non aperire ianuam concubino advenienti, cum aliqua persona semper cohabitare, ita ut nunquam sola inveniatur, vel et mutare domicilium. — At si cohabitent, separatio erit difficilior, sed eo magis urgenda; quodsi sit impossibilis et occasio sit necessaria, v. g. ex permagno damno, durante hoc tempore opportuna remedia sunt adhibenda quibus periculum formale arceatur et occasio de proxima fiat remota.

3) Deficiente etiam separatione, *praesidia* adhibenda numerantur *plura.* Et quidem, si concubinarii in eadem domo habitent, generatim vitare debent ne solus cum sola versentur saltem diu, aut etiam firma declaratione et seria exprobratione peccatum futurum praecavere, omnem familiaritatem fugere, etiam, quantum fieri potest, aspectum complicis, de eo non cogitare, negotia vere necessaria celeriter absolvere et alia similia: atque mortificationem exercere, et magis pie vivere in oratione et sacramentorum frequentatione.

Speciatim concubina, praesertim si famulae titulo apud concubinum commoratur, aperte denuntiet se nolle amplius talem vitam ducere, eique ab initio quovis modo resistat, ianuam cubiculi noctu claudat et firmet ut herus illam aperire nequeat. Eadem ceteroquin principia valent de famulo respectu dominae. Et si famula deinde ab hero e domo eiiciatur et non habeat quo divertat nec quo sustentetur, curet parochus aut confessarius ut in aliquo hospitio fundato pro puellis periclitantibus collocetur aut in alia domo honesta.

VI. Speciatim quantum ad absolutionem concubinariorum et eorum admissionem ad sacramenta :

A. *In concubinatu publico* ; 1) Si occasio *voluntaria* est, non absolvendi sunt antequam se seiunxerint, quia secus sunt in periculo proximo infringendi propositum, et publicus peccator absolvi non debet nisi publice poenitentiam egerit, et scandalo satisfecerit. Unde priusquam absolvatur, concubinus concubinam dimittat, aut, si haec extra domum degat, per aliquod

tempus notabile ad eam non accessisse debet; concubina vero debet a domo concubini discedere, aut, si non cohabitet, per aliquod notabile tempus commercium cum eo abrupisse oportet.

2) Si occasio est *necessaria,* differenda est absolutio donec poenitens per notabile tempus sc continuerit, et publico scandalo satisfecerit. Quod fieri potest : divulgando occasionis necessitatem si nota non sit; conversionis signa publice ostendendo per ecclesiae frequentationem et vitam magis piam aut alia similia; ac, si fieri possit, matrimonium cum complice ineundo. Et si turpe commercium iam diu cessaverit, et scandalum, fama concubinatus subsistente, statim tolli nequeat, poenitens tamen paratus sit ad illud quamprimum et meliore modo tollendum : absolvi poterit antequam scandalum reparatum fuerit, dummodo promittat se non publice ad S. Communionem accessurum saltem in loco ubi cognitus est.

Necessitas tamen occasionis non facile admittenda est, nisi propter causam valde gravem. Affectus enim quo concubinarii suis adhaerent voluptatibus, efficit ut separationi vel speciosos praetextus opponant vel exaggerent; sedulo igitur examinet confessarius quanti valeant oblecta obstacula, ut veritatem discernat.

B. *In concubinatu occulto :* 1) Si occasio *voluntaria* est, complices regulariter absolvendi non sunt priusquam reapse se seiunxerint; alias, ut experientia constat, sunt in periculo proximo infringendi promissa et non exequendi. Quod etiam valet si in eadem domo non habitent, quia in casu occasio proprie interrupta non est, sed moraliter continua, et quia concubina ad instar uxoris habetur, et propter continuam frequentationem.

Excipe si sit gravis et urgens ratio maioris mali vitandi, scii, a) periculum mortis tam urgens ut tempus vel medium separationis desit; b) vel difficultas redeundi per longum tempus; vel c) periculum infamiae ex non susceptione sacramenti; d) vel magnum periculum alienationis a sacramento. Quibus in casibus tamen est poenitens admonendus se non amplius obtenturum absolutionem nisi promissis steterit; quodsi inutiliter monitus fuerit, ut formaliter recidivus est habendus.

2) Si occasio necessaria est: a) Regulariter absolvi potest poenitens, modo rite dispositus sit et paratus sit adhibere efficacia media necessaria aut praescripta, ut occasio de proxima fiat remota; nisi aliquando opportunius sit differre, ipso consentiente, ut promptius et efficacius resistat et media adhibeat.

b) Quodsi recidivus sit. et pluries monitus remedia praescripta neglexerit ac eodem modo sit relapsus, differenda est

absolutio: tum quia est dubie dispositus, tum ut peccati gravitatem melius apprehendat et ad emendationem compellatur. Nisi forsan praebeat signa extraordinaria dispositionis, vel nova et efficaciora media specialia adhibere paratus sit.

Ne tamen facile occasio necessaria credatur, ut aliquando praetextant, ratione scandali aut infamiae vitandae; quin e contra: 1) si populus familiaritatem nondum adverterit, dimissio concubinae non maiorem notam pariet quam si famula e domo dimittatur; 2) e contra, in diuturno concubinatu saepius moraliter impossibile est rem aliis non innotescere; unde separatio infamiam et scandalum impediet.

C. *In articulo mortis :* 1) Quando moribundus iam est sensibus destitutus, generatim absolvi debet sub conditione : *si es capax,* et etiam, saltem si sine scandalo vel si secreto fieri possit, S. Oleo inungi; — quia aliquatenus probabile videri potest eum forsan esse dispositum, et nequit affirmari illum mori in manifesto peccato mortali; — nisi tamen non tam diu ante sensuum destitutionem sacramenta contumeliose recusaverit. Vide opusculum *De Variis Poenitentium Categoriis,* c. 2, q. 6.

2) Quando sensibus utitur et tempus modusque suppetit, prius tollenda sunt, quantum possit, scandalum et occasio relapsus, et ideo:

a) si complicem matrimonio sibi coniungere valeat, infirmus quantocius id exequatur:

b) si matrimonium sit impossibile, separatio est exigenda, v. g. in concubinatu publico debet concubinus si fieri possit concubinam eiicere et, quatenus opus est, aliam honestam feminam conducere quae sibi necessaria ministret; concubina debet, si infirmitas et conditio sinant, conari ut in publico valetudinario recipiatur.

3) Quando et separatio est impossibilis, sive physice, sive moraliter, v. g. ob timendam infamiam, confessarius conari debet ut periculum, quantum fieri possit, amoveatur; ad quem finem, praeter remedia generalia, haec prodesse poterunt : complex eiusque effigies a cubiculo amoveatur, vel saltem infirmus, per se vel per confessarium, a complici de scandalo ei dato veniam petat eumque ut agat poenitentiam roget. Insuper, publice concubinus, etiam *coram testibus,* impossibilitatem separationis quamprimum divulgandam declarare oportet simulque promittere se scandalum quamprimum esse ablaturum et, si forte convaluerit, separationem effecturum et nullum amplius commercium cum complice habiturum.

Et tunc poterit absolvi : absolute si certo, sub conditione si solum dubie videatur dispositus, ac insuper aliis sacramentis muniri.

Notetur autem: a) In casu concubinatus publici, sacramenta non esse publice deferenda, nisi postquam scandalum iam sufficienter fuerit publice reparatum; secus deferenda esse occulte.

b) Has regulas esse indubias, ac proinde omnino esse servandas, nec intelligi quomodo, ut nobis fuit assertum, quidam parochi vel confessarii eas non servent.

VII. Animadversio. — Casu quo quis publice existimetur concubinarius et non sit, separatio non est urgenda, si nullum scandalum activum seu actio minus recta occasionem dederit rumori; sed sufficit quod divulget huiusmodi opinionem esse falsam : tunc enim scandalum vel cessabit, vel pharisaicum evadet solius malitiae; e contra si opere malo vel minus recto occasionem dederit, separatio erit urgenda dum sine gravi damno fieri possit : lex naturalis enim obligat ad scandalum tollendum si possibile sit; si autem fieri non possit, praxi vitae christianae et veritatis divulgatione scandalum paulatim erit tollendum.

VIII. Ad concubinatum reducitur casus matrimonii mere civilis. — Matrimonium mere civile a catholicis initum, cum non sit validus coniugii contractus, nec legitima coniunctio, non est nisi concubinatus: unde eadem principia, supra exposita, sunt in casu generatim applicanda.

Specialis tamen difficultas esse potest, si coniuges valido matrimonio iuncti, divortio civili obtento, novum matrimonium coram lege civili attentarunt; quod non tantum est invalidum, sed, vivente legitima comparte, nec convalidari potest. Hinc separatio sine dubio est de se omnino urgenda: imo, si fieri possit, civile divortium secundi matrimonii erit obtinendum. At ista non semper videntur possibilia, v. g. ob prolem natam et exinde periculum pravae educationis vel et scandalum ipsi proli dandum, aut ob magna in bonis temporalibus detrimenta, aut etiam ob infamiam si coniuncti ab omnibus habeantur ut coniuges legitimi. Tunc itaque saltem sunt a toro separandi, et esse ut cohabitantes frater et soror. Et ideo nova haec quaestio oborta fuit : *coniuges qui, obtento divortio civili, novum inierunt civile matrimonium, possuntne admitti ad sacramenta, si cohabitent tamquam frater et soror et nullitas matrimonii sit ignota?*

De hac quaestione in manualibus theologiae moralis nihil cxpliciti invenire potuimus: principium generale enuntiare sine exceptione solent: matrimonio civili iunctos dare publicum scandalum, ac proinde non posse ad sacramenta admitti nisi scandalum separatione cessaverit et sufficien-

ter reparatum fuerit. Solus Schmitt, in recenti editione operis moralis Noldin, II, n. 677, quamdam ponit restrictionem, dicens: « ad summum, si factum esset prorsus occultum, et in illo loco communiter vero matrimonio iuncti haberentur, ex gravi causa permitti posset, ut servata continentia secum habitent ». Non addit quidem admitti posse ad sacramenta, sed forsan id haberi potest ut implicite his verbis contentum. Id autem licitum affirmatum fuit in periodico *L'ami du clergé,* 1926, p. 424, si scii, separatio sit moraliter impossibilis, factum sit omnino occultum, nec periculum sit quod manifestetur, v. g. si coniuncti in longinquam abierint regionem vel ignoti in civitate habitent magna valde, cum tunc revera nullum sit scandalum. Exinde factum est in quibusdam regionibus, praesertim in Gallia, ut aliquot confessarii hunc modum agendi casibus in magna civitate prorsus occultis applicarent; imprudentius autem quidam progressi, ad sacramenta ausi narrantur admittere illos quoque qui solum proponunt vivere tamquam frater et soror et ad id conantur, licet interdum carnaliter copulentur.

De hoc casu ita dicendum videtur. Regulariter sane ita fieri non potest. Dato autem casu prorsus occulto, et in quo nullum esset periculum manifestationis, nec tunc ad confessarium pertineret de eo sententiam ferre : cohabitatio enim civiliter iunctorum est factum externum et publicum, quod non pertinet ad forum internum confessionis sed ad forum externum ac proinde subiicitur iudicio auctoritatis publicae; insuper casus spectat ad causas valde graves, quas nullatenus opportunum est relinquere menti individual! confessariorum sed ecclesiasticae praestat deferre auctoritati; ut autem hac in re praxis quaedam uniformis et constans, uti congruit, haberi possit, non est adeundus Ordinarius sed res subiicienda erit S. Poenitentiariae, ad quam ceteroquin recurrendum est si qui velint absolutionem obtinere ab infamia iuris, quam ipso facto incurrerunt matrimonii mere civilis (can. 2356). Ad S. Poenitentiariam, dicimus, quia agitur de casu occulto, nam si esset publicus, pertineret ad S. Officium.

S. Poenitentiaria sedulo de tribus indagabit :

1° de absentia periculi protestationis et manifestationis ex parte coniugis derelicti, et iniuriae ipsi forsan illatae et non reparatae;

2° de absentia omnis periculi manifestationis scandali occulti. Falso quidam asserunt in casu nullum revera adesse scandalum. Deest sane scandalum passivum ob ignorantiam; sed nullatenus tollitur scandalum activum. Consistit in eo quod mulier pergat nomen viri portare, quod ambo in contemptum divinae legis simul maneant tamquam coniuges, et quod insuper in occasione proxima publice versentur peccati. Nec sufficit ut propositum concipiant vivendi

tamquam frater et soror, quia id non est medium aptum tollendi scandalum : factum scii, cohabitationis illorum qui civiliter iuncti sunt est pravum exemplum de se et necessario ad malum inducens. Et licet hic et nunc ad malum non inducat, utpote ignotum, id omnino est per accidens, quia semper est de se inductivum : factum externum de se minus rectum praebens occasionem ruinae spiritualis, et quod, de se publicum et notorium, natum est divulgari et alios ad peccatum permovere;

3° de practica possibilitate cohabitandi ut frater et soror; unde coniunctos diuturnae probationi subiiciet, v. g. unius anni, quo tempore durante continentiam fideliter servatam ostendant.

Quibus verificatis, S. Poenitentiaria exceptionaliter concedere poterit licentiam eos ad receptionem admittendi sacramentorum.

Haec prudens videtur et recta solutio praedicti casus; quam solutionem ut rectam probari in ipsa S. Poenitentiaria possumus affirmare.

Insistere quadantenus volumus in magnis quae imminerent incommodis et periculis, si dicta quorumdam confessariorum nova praxis divulgaretur aut multum extenderetur. Periculum scii.

1° ne coniuges vel confessarii non ulterius quaerant de medio perficiendi realem separationem;

2° ne coniugibus, qui promittunt cohabitare tamquam frater et soror, sed promissum non adimplent, absolutio nihilominus concedatur sub praetextu quod sint in occasione moraliter necessaria;

3° ne aestimatio minuatur magni illius mali quod est matrimonium mere civile;

4° ne factum non maneat occultum sed praxis in publicum divulgetur : cum enim tale factum non facile maneat secretum, multiplicatis casibus crescit probabilitas revelationis;

5° denique, ne praxis nimium extendatur. Cui periculo non obviat simplex monitum theologorum: ita tantum fieri posse *rarissime.* Cum enim sint confessarii non satis prudentes — id non tam rarum est — facile fiet ut plures, nostris temporibus, ad laxiorem benignitatem valde inclinati, imaginentur sibi praecise occurrere casum illum rarissimum, et ita praxis indebite multiplicaretur.

IX. Alii casus speciales. — A. *De pravis consortiis* ratione fidei vel morum, haec habet Aertnijs, Th. M. II, de Poenitentia, n. 332 :

1° Consortia in quibus sermones contra religionem eiusque ministros haberi, vel prava diaria legi solent, occasionem

amittendae fidei constituere possunt et tunc sub gravi peccato vitanda sunt. Graviter proinde illicita esse solet adscriptio et frequentatio istiusmodi societatum sive circulorum; atque idem dicendum de frequentatione hominum incredulorum et sectariorum, qui fidem labefactare nituntur.

2° Ea consortia occasionem proximam luxuriae constituunt, in quibus pravi socii vel ad peccata operis, nempe ad pollutionem, ad sodomiam, ad meretrices adeundas protrahunt, vel eiusmodi turpiloquia proferunt, quae sine maximo periculo proferri aut audiri nequeunt.

Perpendat itaque confessarius utrum haec occasio sit voluntaria, an necessaria; potest esse necessaria si huiusmodi socii inveniuntur in eodem collegio, in eadem officina, etc., vel si sint proprii vicini, quatenus (ut ruri saepe accidit) impossibile moraliter sit eorum occursus omnino vitare. Hoc in casu confessarius poenitentem admoneat ut, si possibile sit, turpes sermones abrumpat aut certe eis non participet. Denique, cumprimis satagat ut adolescentes adhuc innocentes a consuetudine pravorum sociorum removeat, parentumque vigilantiam hac in re excitare non omittat.

B. *De famulatu,* ait idem auctor, l. c. n. 348-349 : Famulatus potest esse occasio peccati, vel quia apud acatholicos aut indifferentes agitur, vel ob personas ad peccatum sollicitantes, ut praesertim contingit feminis et puellis.

1° Persona tentationibus viri obnoxia, si ob suam fragilitatem proximo consentiendi periculo exponatur, tractanda est ut in occasione proxima constituta, eaque vel necessaria vel voluntaria prout famulatus cum vel sine gravi difficultate deseri possit.

2° Persona, si tanta pietate praedita sit ut tentationes constanter repellat, in occasione proxima non versatur, ac proinde domum deserere non tenetur; oportet tamen ut opportuna adhibeat remedia ad rescindendas eiusmodi sollicitationes.

Remedia sunt: a) viro, scii, famulo, filio, domino tentanti. minari se rem delaturum domino, patri, vel uxori; b) si minae non sufficiant, rem de facto deferre si exinde efficax remedium sperari possit; c) etiam occasiones tentationum tollere, non alloquendo tentatorem, non manendo cum ipso solo sine teste, claudendo ianunm cubiculi, etc.

3° Persona, quae ob frequentiam lapsuum quasi in concubinatu vivit, tractanda est sicut concubina.

Famulatus apud acatholicos, impios aut indifferentes, si absit periculum perversionis tam in fide quam in moribus, et famuli regulariter non impediantur ab observatione praeceptorum Ecclesiae, non est illicitus; secus, cumprimum sine gravi incommodo possint, tenentur famulatum relinquere. Hinc libertatem exercitii religionis in limine contractus stipulare debent.

C. *De choreis, spectaculis, libris pravis, vestitu immodesto* diximus in opusculo *De Variis Poenitentiam Categoriis,* ubi de mundanis, c. 3, q. 6, η. VIII. 5: *de imaginibus obscenis,* in opusculo *De Castitate et Luxuria,* q, 5, η. V.

QUAESTIO TERTIA

De Adulterio quod adversatur bono coniugii

I. Notiones. — Peccatum quod opponitur bono coniugii. quantum ad personam coniugis matrimonio coniunctam vocatur *adulterium,* quod prohibetur sexto decalogi praecepto et definitur *alieni tori violatio,* atque consistit in copula carnali cum alterius coniuge.

Praeter malitiam fornicationis qua quis accedit ad non suam, et ideo delinquit contra castitatem, importat hoc peccatum malitiam iniustitiae, et quidem :

1° iniuriam alteri coniugi illatam, ex eo quod quis accedit ad alienam,

2° praeterea, damnum temporale, casu quo ex adulterio etiam nata fuerit proles, scii, ob expensas quae marito obveniunt ex nativitate, nutritione et educatione prolis alienae, vel et ob haereditatem patris huic proli traditam et qua iniuste privantur legitimi filii vel alii haeredes.

3° Quodsi adulter vi, gravi metu aut dolo uxorem ad copulam adduxerit, augetur peccatum quia adhibitus fuit modus iniustus.

Hinc ex adulterio plerumque oritur obligatio reparationis, quae cum saepius praebeat casum difficilem, opportunum videtur de eo argumento pauca subiicere.

II. Principia. — Tria in praesenti sunt attendenda :

1. Adulter qui vi, gravi metu, dolo, aut alio *medio iniusto* uxorem ad copulam adduxerit, *ex iustitia* tenetur ipse *solus* ad omnia damna reparanda, quae marito et filiis legitimis

exinde *per se* obveniunt, quia horum est sola causa vere, efficax, et formaliter iniusta.

2. Adulter *qui non est usus iniusto medio,* sed qui consensum ab uxore omnino libere obtinuit, *ex iustitia* tenetur *in solidum* cum uxore ad reparanda damna marito et filiis illata; quia ambo simul sunt eorum causa iniusta, efficax, et culpabilis.

3. Adulteri *plures* qui, ex copula tempore ad conceptionem apto habita, possunt esse pater prolis certo adulterinae, pro *rata parte* dubii ad reparationem tenentur, saltem si communi consilio vel cum advertentia sic egerint, quia tunc sunt causa voluntaria incertitudinis patris, quod iam est damnum certo illatum reparandum; — secus incertum est an restituere teneantur, cum potius mater causa sit quod de patre non possit constare.

III. Modus restitutionis est omnino attendendus, cum in praxi saepe sit difficilis ob periculum suspicionis qua pax familiae turbaretur. Quapropter :

1° Vir adulter restituere potest laborando familiae, aut marito vel filiis legitimis donando sive inter vivos sive per testamentum, iuxta prudentem aestimationem.

2° Mater adultera restituere potest : a) ex bonis propriis si habeat de quibus absque praeiudicio mariti possit disponere; b) ex lucro quod facit e proprio labore, aut exercendo negotium vel artem; c) solitos sumptus minuendo, rem familiarem diligentius curando, et parcius vivendo quantum fieri potest iuxta suam conditionem; ad quod, deficiente alio modo, etiam tenetur; d) eleemosynas quas secundum statum facere potest applicando adulterinae proli, vel a marito eleemosynam petendo pro consanguineo paupere; e) de bonis, quae ventura sunt ad filium adulterinum vel iam devenerunt, quantum tuto poterit, occulte surripiendo iisque filios legitimos compensando; f) aut etiam filio illegitimo *prudenter* dato consilio vitae religiosae.

3° Si possibile sit prolem adulterinam in hospitio vel brephotrophio educare, quin suspiciones oriantur, curandum est ut ita fiat, cum ita educationis expensae valde limitentur ac vitetur divisio haereditatis. Nec generatim est obligatio restituendi hospitio, nisi casu quo solis publicis expensis

civitatis sustentetur et *exclusive* destinetur infantibus pauperibus, atque parentes vere pauperes non sint.

4° Restitutio pro damno iam secuto quamprimum est facienda. Pro damno nondum illato sed inferendo sufficit reum ita res disponere quod tempore opportuno restituat, nisi tamen morti sit proximus; quo casu tenetur statim restituere, per se vel per alium, pro rata probabilitatis vitae filii adulterini, attentis aetate ac viribus eius, et pro rata damni aliis inferendi.

Sic quoque posset confessario committere, aut alii viro fido, ut totum damnum restituat ex bonis ipsi tradendis, ita tamen quod, prole adulterina ante patrem putativum mortua, de bonis acceptis aliter disponeret prout adulter determinaverit.

IV. Animadversiones. — 1. Nulla adest obligatio restituendi: a) pro iniuria per adulterium illata marito, si nullum exinde subierit morale detrimentum, ut in casu adulterii secreti, aut si reparationem non curet; b) pro damno temporali, si nullum fuerit secutum, ut si proles nata non sit, vel nata labore suo expensas suae educationis compensaverit; c) si maritus in adulterio consenserit; — nisi tamen haeredibus necessariis, casu quo ob natam prolem adulterinam frustrarentur parte haereditatis legitima.

2. Non sunt restituenda detrimenta quae ex adulterio mere per *accidens* proveniunt, ex eo quod alii consanguinei vel amici adulterino quaedam donent vel relinquant quae secus obvenissent filiis legitimis.

3. Nec est restituendum in casu quo proles nata sit *dubie* adulterina: in dubio enim proles in matrimonio suscepta ex legitimo marito praesumitur, iuxta axioma: pater est quem nuptiae demonstrant. Et ceteroquin restituendum non est, quamdiu incertum sit actionem fuisse efficaciter damnosam.

4. Mulier adultera potest quandoque teneri *sola* ad reparanda damna quae ratione haereditatis contingunt: si nimirum filium adulterinum facile subducere poterat ita ut extra familiam aleretur, v. g. in brephotrophio vel hospitio, et adulter fecerit quidquid potuit ad id obtinendum: tunc enim ipse causam damni efficaciter retractavit nec in familiam peccavit, et sola adultera efficaciter damnum causavit.

5. Non tamen tenetur *regulariter,* etiamsi necessarium sit ad damna vitanda aut reparanda, mater suum crimen manifestare: non tenetur scii, cum periculo vitae, — nec cum periculo gravioris infamiae, nisi iam suspecta sit et famam partialiter amiserit, — nec cum periculo magni odii ex parte mariti et consanguineorum atque gravioris discordiae, — nec sine spe fructus, quando manifestatio nihil proderit, sive quia filius non credet matri suae, sive quia non restituet cum praevideatur id non posse aut non velle.

Teneretur tamen mater si praedicta pericula mortis, infamiae gravioris atque indignationis et scandali abessent, et filius putaretur matri crediturus et restituturus.

6. Filius *illegitimus* non tenetur credere matri ortum suum adulterinum affirmanti, etiam sub iuramento, sed potest se considerare ut legitimum, nisi ex circumstantiis aut indiciis testimonium matris talem certitudinem

pariat qualis in iudicio publico sufficiat, ut si patris putativi absentia tempore conceptionis certo probetur. Quodsi ita constet, nequit filius paternam haereditatem retinere, neque dona quae ex errore ipsi obveniunt, nisi interea legitime praescripserit.

7. Non potest confessarius, cui adultera moribunda committere vellet ut post mortem declaret prolem spuriam, id munus acceptare, tum ne confessio redderetur odiosa, tum quia eius dictis proles fidem dare non deberet et ita esset manifestatio inutilis.

V. Corollarium de Stupro et Fornicatione. — Similia valent pro *stupro iniusto* seu *violento,* quod est copula carnalis cum muliere soluta invita, seu oppressio mulieris honestae, etsi non virginis aut non minorennis; cui iniuria damnosa inferri potest ratione coniugii futuri et ratione prolis forte nascentis. lamvero stuprator iniustus restituere tenetur ex *iustitia* :

1° *Ob damnum temporale,* uti inhabilitatem aut difficultatem nubendi, infamationem et inhonorationem, infectionem syphiliticam, etc. si de facto illatum fuerit, dummodo ex sua actione per se ortum fuerit ac proinde in confuso praevisum. Ad quod etiam tenetur oppressam nubere mulierem, si id promiserit, etsi ficte, et mulierem ideo revera deceperit, aut si damnum reparari aliter non possit, nec prudenter timeantur mala graviora; — secus illam dotare debet aut dotem eius augere vel aliter curare ut nubere possit secundum sui conditionem, aut concurrere ad eius sustentationem, prout damnum fuerit illatum et istud reparare sit possibile[1]. Non tamen ad compensationem tenetur si de facto mulier nullum passa sit damnum, ut si iam bene nupserit, aut etiam secus nubere non potuisset, aut religionem ingressa sit, aut ex propria sua indiscretione infamata fuerit, aut praematura morte iam obierit.

2° *Ob prolem natam,* ita ut, si sit pater certus, toti sustentationi et educationi, secundum conditionem matris, providere debeat ex iustitia. usquedum sibi sufficere proles possit. Si vero pater sit incertus, quia plures copulam habuerint, pro rata dubii restituere tenetur, saltem si communi consilio vel scienter ita egerint, quia causa voluntaria est incertitudinis patris, quae iam magnum est damnum pro matre et prole; — secus nequit obligari ad aliquid restituendum cum potius mater sit causa quod de patre non possit constare.

[1] \7idc plura in *Summa Theol. Mor..* II. n. 382.

Casu quo mulier nullo modo violentiam aut iniuriam subierit, sed libere consenserit, vir nullam ex iustitia obligationem per se contraxit, sed obligari potest *cx pietate et charitatc.* Et quidem:

1" *Ad sustentationem prolis,* iuxta matris conditionem, iure naturali tenetur pro dimidia parte, si pater sit certus, etsi ius civile de patre illegitimo quaerere prohibeat; tenetur autem *in solidum* cum matre, ita ut, ea nihil praestante, de toto providere debeat; quodsi Ius civile vel iudex civilis rogatus iuxta legem quantitatem aliment.itionis a patre illegitimo solvendam determinasset, haec esset solvenda Sl autem plures sint patres incerti, ad dimidiam sustentationem tenentur pro rata parte, saltem si communi consilio vel scienter ita egerint, ut dictum est supra; secus nullus ad compensandam sustentationem prolis obligari poterit.

2° *Ad agnitionem prolis* atque cius *legitimationem* per subsequens matrimonium, nisi graviora obstent incommoda.

Notetur virum nihil per se debere mulieri:

a) ob copulam habitam, quia scienti et consentienti non fit iniuria; nisi per accidens, ut si quid promiserit, aut, delictum manifestando indiscrete, eam infamaverit;

b) ob expensas partus, quia praebendo corpus suum, hoc onus mulier in se suscipere censetur.

QUAESTIO QUARTA

De Peccatis in bona externa fortunae et de restitutione pro iis debita

I. Quaestio tractanda. — Peccata contra bona externa committuntur furto, rapina, fraudulentia, usura, aliisque damnificationibus iniustis, quae prohibentur septimo decalogi praecepto et in theologia morali sufficienter explicari solent- In praxi plerumque specialis difficultas oritur *in casu restitutionis,* quem proinde inspiciendum iudicamus opportunum, praesertim quantum ad compensationem in bonis materialibus[1]. Non quidem negamus etiam ex iniuriis contra alia bona commissis et ex aliis ad proximum praeceptis, praeter septimum, oriri posse obligationem restitutionis; in praxi tamen, etiam tunc principalis obligatio plerumque reducitur

[1] Conferri possunt moralistae ubi agunt de restitutione, praesertim S. Alphonsus in 77i. *Af.,* l. III, tr. 5, c. 2; Mare, Aertnijs, Tanquercy, Génicot, Noldin, Priimtncr. Vermeersch in suis manualibus; Waii ei.aert in opere suo *De Iustitia;* Reuter, *Nco-conf.,* n. 232-235; Berardi, *Praxis-conf.,* Aertnijs, *Th. P.,* n, 84-87.

ad compensationem materialem in bonis realibus, vel saltem illam frequenter connexam habet.

II. Principia et regulae in casu restitutionis respicienda. — Haec praesertim ante oculos habere debet confessarius :

1° Imprimis attendat hoc principium : dispensare in istis rebus et concedere moram non esse penes ipsum confessarium, sed solum penes dominum. Unde restitutionis excusatio vel dilatio definienda est *sola* et *vera* necessitate, nisi tales essent circumstantiae quibus *prudenter* praesumere confessarius posset creditoris consensum in dilationem, vel domini intentionem interpretari rationabiliter.

2° Sedulo quaerat quaenam sint natura, adiuncta, conditiones casûs, ut possit definire an, quomodo et quantum sit restituendum, — quanto tempore iniustitia duraverit, — an illa iam fuerit declarata in confessione, — cur nondum restitutum fuerit, etc.

3° Occurrente casu difficiliore, non resolvat illico sed moram penitius rem examinandi vel etiam alios consulendi licentiam petat, et iniungat poenitenti dein ad se redire. Quod si facere commode poenitens non possit, iubeatur consulere alium virum doctum et timoratum, et si id facturum se promittat paratumque se ostendat ad decisionem exequendam et praestanda ea quae ipsi imponerentur, absolvi poterit.

4° Si facta inquisitione, obligatio restitutionis manet *dubia vel incerta,* stricte *imponi* ipsa poenitenti nequit; — licet quandoque partialis quaedam compensatio ex aequitate facienda pro variis adiunctis *suaderi* opportune possit.

5° Si obligatio restituendi certa sit et non appareat causa excusans ab illa, poenitens vero, quamvis potens sit, difficultates moveat, confessarius illum moneat peccatum non dimitti nisi fiat restitutio, quia non minus est malum aliena retinere invito domino quam illa auferre, cum sit continuata ablatio; ac proinde poenitenti. eligendum esse inter haec duo : utrum poenam aeternam inferni subire, an vero re carere aliena malit.

6° Debitore asserente se restituere vel *omnino* vel saltem *statim* non posse, sedulo examinet confessarius dictam impossibilitatem, et non credatur asserens nisi id efficaciter probet, nec absolvatur nisi serio promittat se quamprimum poterit restiturum et ad id conatum iri. Sola scii, difficultas *gravis* et

ineluctabilis est causa sufficiens. Hinc debitor a) tenetur insumere in expensis superfluis. laborare quantum decentia status permittit, in victu, vestitu et expensis necessariis parsimoniam adhibere; b) si opponat graviter se passurum in fama, suggeratur modus quo famae consulatur; c) si non adsit causa sufficiens temporaneae dilationis, haec concedi non potest; si vero adsit causa sufficiens, sed solius dilationis, non potest concedi definitiva remissio: d) si nequeat totum simul restitui, per partes reddatur quamprimum.

7° Caveat itaque confessarius. ne credulus sit quoad difficultates quas eiusmodi poenitentes opponere solent : alii enim praetendunt impotentiam restituendi, sed saepe est infirmitas voluntatis potius quam incapacitas seu debilitas virium; alii omni contentione sollicitant dilationem; sed noverit confessarius non esse in sua potestate concedere moram, quia non solum illicitum est aliena surripere sed aeque illicitum est illa retinere.

8° Absolutione nempe, ut docent moralistae, indigni sunt : a) nolentes restituere dum id facere possunt; b) restituere non valentes, sed restituendi facultatem sibi comparare négligentes; c) restituere multum differentes absque ratione excusante, aut committentes haeredi restitutionem quam ipsi per se facere possunt; d) ex integro restituere valentes et restituentes tantum partem.

9° Quodsi poenitens *certo* sit in *bona fide,* vel quia credit se nihil debere, vel quia existimat se solum teneri ad partem, non ad totum sive in solidum, vel quia iudicat satis esse quod per plures solutiones restituat (quamvis per unam possit), si non adsit ulla probabilis spes fructus secuturi ex monitione, — quod tamen non est facile praesumendum, — confessarius relinquat ipsum in ignorantia: at si poenitens dubitat vel interrogat, confessarius tacere non potest.

10° In certis quibusdam casibus, practice praesumere rationabiliter poterit condonationem totalem et absolutam, scii, quoad filiosfamilias et coniuges qui res non ingentis valoris surripuerint et iam consumpserint; item pro furtis famulorum quoad esculenta et poculenta saltem ordinaria, non aliis vendita sed consumpta, imo quoad alia si dominus famulum de furto convictum increpaverit vel expulerit et de restitutione nihil dixerit; item de furtis minutis pauperum in diversos commissis, vel contra unum sed non tam frequenter.

11° Ordinario ne absolvatur ille qui rem alienam apud se detinet, nisi prius restituerit : ob periculum nempe in quo secus versatur restitutionem differendi, vel rem consumendi et in proprium usum convertendi. Quodsi aliquis videatur iam sic constitutus et firmiter dispositus ut merito credatur mox satisfacturus, absolvi poterit, sed praefigendo ei temporis spatium inter quod restituat modumque quo id peragat : promissiones enim indeterminatae facile intereunt.

Ille autem qui, antehac admonitus, non restituit, regulariter omnino ad tempus est dimittendus, absolutione dilata donec restituerit, quia licet restitutionem proponere dicat, facile tamen dubium erit de hac dispositione, atque nimium periculum relabendi, et propositum mutandi.

III. Varii sunt modi practici seu media quibus restitutio opportunius fieri potest; scii. :

1) Per *cursum publicum* seu postalem, ita ut sive ope epistolae inscriptae, sive ope schedulae *(mandat, chèque),* summam sub nomine ficto mittat. Si autem summa cuidam societati debeatur, praestat, ad sufficientem securitatem, simul scribere ad thesaurarium et ad praesidem vel syndicum.

2) Per *testamentum,* si moribundus absque ulla infamia tali vel tali personae legatum relinquere potest. Et si absque infamia fieri nequeat, videndum an haeres vel legatarius fiducialis constitui possit.

3) Per *fictam donationem,* dummodo munera muneribus non compensentur, et verum lucrum seu utilitatem afferant creditori, ita ut vere indemnis reddatur : non enim sufficeret v. g. quod ad superflue bibendum vel comedendum invitaretur vel dulciaria ei darentur.

4) *Per labores indebitos* et creditori utiles, v. g. agricolae collocando vites, iter faciendo cum curru pro domino, ei dealbando sive telas sive alia, laborando ultra debitum cum domini lucro absque mercede. Qui modus saepe est practicus pro famulis vel operariis. Ne tamen cum labore confundantur meri favores absque vera utilitate.

5) Per *eleemosynas,* sive pauperibus sive sacerdotibus missas celebraturis datas : quod tamen valet solum pro casibus in quibus aut impossibile sit restituere in manibus creditoris, aut ipse praesumi debeat de hoc restituendi modo contentus. Caveat tamen confessarius ne huiusmodi eleemosynas pro se

vel pro suo conventu petat. Quodsi summa permagna non sit et debitor sit fortunae tenuioris, pro restitutione poterit elargiri eleemosynas etiam alias dari solitas; ita pariter alicui inopi suo debitori condonare potest tantum quantum tenetur elargiri pauperibus : facilius scii, est cedere id quod quis nondum habet quam privare se illo quod iam detinet.

6) Per *tertiam personam fidam.* Opportunum non est ut confessarius *sponte se offerat* ad hoc munus mediatoris exercendum; imo rogatus a poenitente. non facile onus suscipiat, atque attendat ne sigillum violetur. Ad quod vitandum, quandoque mediante alio sacerdote poterit restitutionem facere, vel ex alio loco eam transmittere. Restitutiones indeterminatas, v. g. pauperibus praestandas, ordinario relinquat faciendas poenitenti; restitutiones determinatae personae faciendas facile suscipere poterit in casu necessitatis ne fama poenitentis laedatur, sed exigat testimonium creditoris de re vel summa restituta, quod poenitenti transmittat.

Ita ne ipse confessarius suspicionem incurrat.

Speciatim A. Si *persona laesa certo nota non sit.* de ea est diligenter inquirendum. Dubio autem post diligentem inquisitionem remanente:

1° si dubium sit infer *paucos,* res vel eius pretium est inter illos dividenda, nec dari potest pauperibus; ita v. g. pecunia ab una e tribus vel quatuor personis amissa vel ablata;

2° si dubium sit *inter plures eiusdem loci,* istis, si moraliter fieri possit est restituendum: ita mercatores, fraudantes in pondere, mensura aut qualitate mercium, restituere debent augendo pondus et mensuram, si iidem emptores soleant redire; — secus si aliter fieri non possit, restitutio fiat pauperibus vel piis operibus eiusdem loci in quo iniustitia commissa est; ita in bello, si iniustae factae sunt praestationes et ignoretur quinam damnum subierint;

3° si dubium sit *inter multos* dissitos vel inter *omnino ignotos,* ita ut nulla adsit probabilitas quod veris dominis possit restitui, restitutio facienda est pauperibus vel piis causis quibuslibet.

B. Si persona *laesa defuncta fuerit,* haeredibus vel curam habentibus est restituendum, nec possunt bona erogari pauperibus vel in missas pro defuncto' (qui ceteroquin non amplius est bonorum dominus), nisi haeredes assentiant aut nulli omnino sint.

C. Si *communitas seu societas laesa fuerit,* restituendum est ipsi huic societati, nisi sit essentialiter mala et nonnisi finem omnino pravum prosequatur ita ut ius possidendi habere nequeat; hoc igitur casu excepto, restitutio fieri non potest singulis membris sed administratoribus societatis. Praestat tamen plures admonere ex administratoribus vel sociis, ne ab infideli administratore restitutio defraudetur. Quod etiam valet de so-

1 Ita S. *Poenitentiaria,* 7 feb. 1899.

cietate *assccurationis,* licet ob pactutn retroassecurationis inter plures societates initum, impossibile sit cognoscere quaenam societas de facto damnum passa fuerit. In hoc ultimo casu, quidam theologi dixerunt restituendum pauperibus vel causis piis. Sed ut notat Vermeersch [1], haec non est praxis S. Poenitentiariae; unde ait Genicot[2]: « Practice videtur sufficere ut administratoribus restituatur cum melius detegi nequeat persona laesa, et si ita regulariter fiat, compensatio quaedam inter varias societates existit ». Igitur restitutio pauperibus nullatenus est facienda, nisi aliter fieri non possit; non tamen videretur inquietandus qui bona fide in hoc casu pauperibus iam restituit.

D. Si *restituendum sit Statui vel municipio,* restitutio fieri potest per administratores officiales aut tributorum praepositos, dummodo ne ipsi sibi retineant, satis caveatur, v. g. monendo plures. Etiam fieri potest destruendo titulos *debiti publici* a Statu vel municipio emissos, aut *tesseras* postales, dummodo ad gubernium pertineant; non autem destruendo schedulas bancarias, quia tantum proteguntur a Statu. Nec fieri potest iis qui a potestate civili in bonis iniuste laesi sunt, uti nonnunquam sunt religiosi vel scholae catholicae, nisi iniustitia, erga determinatos commissa, sit omnino indubia nec fuerit reparata aut condonata; neque pauperibus restitutio fieri potest sub praetextu quod societas civilis ipsis subvenire debet, quia isti obligationi alio modo satisfacit, nec ad privatos pertinet de publicis bonis privata auctoritate disponere: nisi tamen nulla alia pateat via qua ad thesaurum publicum restitutio secure pervenire valeat.

IV. Corollarium. — Errant proinde confessarii:

1° Qui de iniustitiae peccato numquam aut fere nunquam interrogant.

2° Qui generatim de restitutione nihil dicunt sed praetermittendo tacent.

3° Qui ab impotentibus restituere non exigunt propositum restituendi firmum et efficax, nec iis imponunt obligationem serio conandi aptaque media adhibendi ut restituant quamprimum.

4° Qui audita declaratione peccati vel adiunctorum quae obligationem restituendi inducere possint, ex negligentia non examinant num facienda sit.

5° Qui de restitutione facienda non monent, etiam dum certa sit obligatio et nulla sit ratio seria dubitandi de poenitentis capacitate aut probitate.

6° Qui nimis facile et sine gravi ratione, aut bonam fidem supponunt in poenitente, aut monitionem non esse profuturam formidant.

[1] *Th. M.,* II, n. 494.
[2] *Th. M..* I, n. 658. VII.

7° Qui nimis facile aut condonationem praesumunt, aut rationem excusantem admittunt dilationis vel impossibilitatis, aut etiam ab obligatione restitutionis eximunt.

8° Qui existimant in materia levi nullam dari obligationem restitutionis, cum e contra debita sit sub veniali, et quadantenus urgenda, si alias periculum esset ne poenitens in gravem iniustitiam incideret vel leves multum multiplicaret.

9° Qui de materiis levibus ad invicem additis et in unam gravem coalescentibus non curant, cum tamen gravem culpam et gravem obligationem restituendi inducere possint non solum ratione intentionis, sed etiam ratione gravis damnificationis uni illatae, et ratione notabilis detentionis seu accumulationis etiam e rebus ad plures pertinentibus.

10° Qui dum persona laesa ignota sit, de ea inquirere aut inquisitionem instituere non curant, et statim restitutionem pauperibus faciendam pronuntiant.

11° Qui, dum defuncto restituendum sit. vel societati, non haeredibus restitui curant vel administratoribus, sed restitutione pauperibus facta vel in eleemosynis missarum contenti sunt, licet alia via restituendi nullatenus sit impossibilis.

Casu quo ex errore vincibili vel invincibili, confessarius vel negative non monuerit de obligatione restituendi, vel positive pronuntiaverit de obligatione debita non facienda aut de indebita facienda, errorem corrigere tenetur eo gradu et modo quo diximus in opusculo *De Poenitentiae Ministro.*

V. Casus de restitutione in articulo mortis facienda. — Cum moribundo caute agendum est:

1° Si poenitens videatur in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut praevideatur non profutura monitio, omittenda est.

2° Si vero monitio profutura speretur, aut si poenitens versetur in mala fide seu in ignorantia vincibili, fortiter simul et suaviter est monendus de sua obligatione et ad illam statim implendam adiuvandus.

3° Si obligatio occulta sit nec statim impleri possit, inducendus est moribundus ad pecuniam ipsi confessario seu potius alii viro fideli committendam, ut creditori in secreto tradatur; vel, si prudenter fieri possit, ad eam summam in testamento eidem creditori relinquendam, omissa restitutionis mentione.

4° Si obligatio non sit occulta, nec statim impleri possit, efficiat confessarius ut certo adimpleatur sive per haeredes sive per schedulam creditori tradendam.

VI. Animadversiones. — 1« Poenitenti interroganti de materia gravi, ante factum illatae iniustitiae rigorosius est respondendum ut ab ea avertatur efficaciter, dicendo v. g. imprudens esse se exponere actibus qui forsan continent gravem iniustitiam; post factum vero iniustitiae commissae non est imponenda obligatio restituendi *sub gravi* nisi sit certa.

2° Si vero poenitens hac in re non facile acquiescat sententiae confessarii, opportunum erit ipsum hoc modo alloqui: nonne tu tale damnum haberes ut grave, an talem laesionem non iudicares multo nocivam, nonne et tu graviter esses invitus quod in te idem fieret?

3° In contractibus, in quibus multae sunt varietates et tamen innumerae fiunt fraudes, quandoque difficilius statuitur certa obligatio gravis restituendi. Ad hoc diiudicandum multum inservit consuetudo vel intentio contrahentium; unde, nisi sit specialis et gravis ratio dubitandi, non multum a recto aberrabit confessarius, si id maxime attendat quod apud viros *vere honestos* fieri in tali casu consuevit.

Ut vero discernat in praxi utrum oriatur *gravis* obligatio restitutionis attendat ad tria:

a) utrum damnificatio sit vere, formaliter et efficaciter iniusta, idque in materia gravi; b) utrum res tradita vel actio praestita sit saltem moraliter eadem quam alter contrahens putavit; c) quaenam sit consuetudo vigens in tali regione. Ne tamen consuetudo recepta dicatur modus agendi iniquus quorumdam mercatorum.

QUAESTIO QUINTA

De odio proximi quod est causa laedendi famam, honorem et amicitiam

I. Materia tractanda. — Plura sunt peccata quae laedunt famam, honorem, amicitiam, uti falsum testimonium contra proximum prolatum, detractio et calumnia, susurratio, contumelia. irrisio et maledictio, scii, iniuriae verborum, quae generatim octavo prohibentur praecepto. Plerumque oriuntur ex odio, de quo proinde ante omnia breviter erit dicendum [1].

1 Conferri possunt; S. Alphonsus, *Th. M..* l. II, n. 28-30; l. III, n. 962 sq. ; .Aertnijs, *Th. M..* I. l. II, n. 56 et 36 sq. ; l. III, n. 530 sq. ; *Th. P.,* n. 88-90; Lehmkuhl, *Th. M..* 1, n. 369-375; Genicot, *Th. M.,* I, n. 229-230; Marc, *Th. M..* I, η. 498-503; Noldin, *Th. M.,* II, n. 100 et 81-85; Reuter, *Neo-conf.,* n. 78-79 et 228-230; Berardi, *Praxis-conf.,* n, 194-195; Theologia Mechliniensis, *De Poenitentia,* (4) η. 75.

II. Notiones. — *Odium est motus appetitus quo male afficimur erga aliquem.* Qui distinguitur duplex :

1) *odium abominationis* seu *qualitatis,* quo proximum aversamur, non secundum se sed secundum aliquam sui qualitatem nobis disconvenientem, ut nobis (vel aliis) malum et nocivum;

2) *odium malevolentiae et inimicitiae* seu *personae,* quo aversamur aliquem secundum se, et ex ista displicentia ipsi malum volumus quatenus ipsi malum est, ut scii, ipsi male sit et sistendo in malo ipsius.

Dicitur : *quatenus malum est,* tum quia odium non est, nec contra charitatem, malum velle in quantum est impeditivum maioris mali vel in quantum procurat maius bonum; tum quia odium per hoc differt ab invidia quia tendit in malum ut malum, dum invidia in bonum proximi ut imminuens nostram excellentiam propriam. Odium itaque est alicui velle malum ut malum, et de hoc malo gaudere, et similiter dolere de bono proximi prout est bonum.

Odium oritur ordinario ex offensa, et manifestat se externe per signorum dilectionis negationem.

III. Principia. — I. Odium *inimicitiae* quo proximo malum volumus, vel inimicum diligere recusamus, est peccatum grave ex genere suo, quia directe opponitur charitati; est tamen leve si leve malum exoptetur vel solum levem offensam prodat. Odium *abominationis* autem de se est indifferens, de facto autem est bonum vel malum secundum obiectum et circumstantias.

Ideo erit malum si proximus odio habeatur secundum aliquid boni; e contra erit bonum si ipse odio habeatur secundum aliquid mali, nisi tamen odium excedat iustam proportionem istius mali, aut paulatim convertatur in odium ipsius proximi. Hinc vulgare effatum: *Odio habebis vitium et amabis personam.*

2. Praeceptum diligendi inimicos non imponit specialem obligationem diversam ab illa qua erga omnes homines tenemur specialis enim dilectio non est de necessitate charitatis nisi secundum praeparationem animi, quatenus parati esse debemus ad illos specialiter diligendos si oporteat. Hinc peccant ex odio :

a) qui proximo malum optant quatenus ipsi malum est,

[1] Cfr. S. Thomas, II-II, q. 25, a. 8.

aut malum pro malo rependunt, aut vindictam sumunt aut animum vindictae fovent;

b) qui veniam inimico recusant, vel satisfactionem convenientem non acceptant aut maiorem aequo exigunt, aut de inimici malo laetantur;

c) privati qui, aversi ab alio, fugiunt illum, si faciunt ut colloquio et solatio privent ac ita contristent, ut male illi sit.

E contra non peccant ex odio:

a) qui mala temporalia optant proximo quatenus ei bonum est, aut quatenus communitati vel alteri innocenti bonum est, servato ordine charitatis; cavendum tamen est ne ista desideria ex odio oriantur:

b) qui nolunt condonare reparationem quae ipsis debetur pro iniuria et damno;

c) qui fugiunt proximum, nihil mali optando, sed quia est molestus, nec sine ratione; modo absit contemptus et scandalum

3. Per se debentur inimicis signa dilectionis et beneficia communia, non autem specialia, nisi per accidejis. Hinc tenemur per se inimico salutanti salutationem reddere, interroganti et scribenti respondere, emere volenti expositas merces vendere, a communibus orationibus et eleemosynis eum non excludere, communia obsequia ei praestare, damnum, si facile fieri possit, ab eo avertere; quia aliter facere per se et ordinario est signum odii. Per *accidens* ad tempus non tenemur, quando charitas vel iustitia aliud postulat et rationabilis causa excusat.

1 Conclusiones ponit Reuter, *Neo-confessarius,* n. 79: « Unde 1. illicite optas mortem proximo, ut evites damnum particulare temporale. 2. Illicite optas tibi mortem, ut libereris tussi, modico dolore capitis. 3. Illicite gaudet filius de morte patris aut eam optat ob pinguem haereditatem ipsi obventuram, quia bonum minus praefertur maiori. 4. Licite pater optat filio mortem nunc in statu gratiae existent!, quem certo praevidet evasurum esse improbum. 5. Licite opto potius mortem persecutori Ecclesiae, quam ut vincat et praevaleat, quia bonum spirituale temporali, publicum privato praevalet. 6. Licite alteri opto mortem, a quo certo praevideo aliter me iniustc occisum iri, (intellige: comparando mortem meam morti illius). 7. Licite opto mortem mihi, praevidens alias me grave malum animae esse passurum. 8. Licite potest quis sibi optare mortem, ne nitra Deum offendat, ne tam diu retardetur a bcatitudine. ut evitet miseriam morte amariorem, v. g. perpetuum carcerem, spoliationem omnium bonorum. Licitum est videlicet haec optare, per se loquendo, quando malum vitandum est praeponderans, saltem si servetur ordo charitatis etiam inter personas, qui exigit ut diligam magis eos qui mihi magis coniuncti sunt. Ratio horum est, quia sic non optatur malum ut malum, sed quatenus impedit maius malum ».

Ita a) *charitas,* si ex signis denegatis speretur inimicus emendandus, si credatur illa male interpretaturus, si ex alloquio timeatur ne iterentur iurgia.

b) *lustitia,* si parentes aut superiores ad iustam punitionem et correctionem denegent filio (v. g. ob indignum matrimonium) aut subditis (ob delictum infamans), aspectum, alloquium. Ingressum domus, etiam post petitionem veniae, modo talis poena non excedat gravitatem delicti et solum ad tempus duret.

c) *Rationabilis causa,* puta, si omittantur ad breve tempus, non ex odio sed ex magna tristitia. Hinc, ait Lehmkuhl, Th. M., I. n. 624: Positivum signum rancoris exhibere, vel torvis oculis aspicere, cum despectu praeterire, numquam licet. Declinare diutius Inimicum ex Industria, saepe denotare potest animum odll et vindictae, si procedit ex voluntate vitandi occasiones in quibus communia signa benevolentiae exhibenda sunt. Sed si subest iusta causa ex parte inimici, v. g. hominis contentiosi, peccatum non est sed prudens cautio.

IV. Regulae in reconciliatione servandae. — Sunt sequentes :

1° Si ex una tantum parte interfuerunt iniuriae, offendens tenetur reconciliationem per se vel per alium petere, et damna si adsint resarcire; item si inter duos offensores alter altero gravius vel prius offendit. Excipe, si legitima ratio excuset, v. g. si offensa non fuerit gravis, vel offensus sit absens, aut veniae petitionem non curet, aut non accipiat, vel ob aliam rationem ipsi satisfactum esse censeatur.

2° Si iniuriae ex utraque parte fuerint moraliter aequales et simultaneae, uterque tenetur, data occasione, reconciliationem inchoare per salutationem, colloquium, beneficium, etc. pro casu, v. g. ille prius, qui transit ante alium vel supervenit.

3° Tempus opportunum quaerendum est; nam etsi teneatur offensus ab initio condonare offensam, non tenetur tamen, sub gravi saltem, eam ita aequo animo pati ut statim paratus sit ad reconciliationem. Id videtur quasi violentum et supra fragilitatem humanam.

V. Animadversiones practicae pro confessariis. — 1. Absolutione indignus est, qui odium deliberatum et graviter peccaminosum *positive* non vult deponere, i. e. qui deliberate exoptat alteri grave malum sub ratione mali et sistendo in malo ipso; item qui *negative* non vult amare sicut praecipit lex Dei. v. g. optare bonum propriae beatitudinis, ignoscere iniuriam personalem, signa praebere dilectionis communia et necessaria, iis in circumstantiis in quibus denegatio ut

signum gravis odii habeatur vel grave scandalum causet : iste enim in re gravi charitatem laedit.

At a) non statim arguendi sunt de peccato, praesertim gravi, poenitentes qui de odio se accusant: saepe enim confundunt odium proprie dictum malevolentiae, cum horrore et recordatione offensionis verae vel apparentis a proximo commissae, aut cum optatione mali ex honesto fine, aut etiam cum antipathia naturali et invincibili erga proximi personam ita ut non possint eam videre sine vehementi commotione. Isti non peccant graviter, dummodo non desiderent malum notabile neque recusent signa ordinaria dilectionis; at periculum tunc est quod facile ad verum odium fiat transitus, de quo periculo eos moneat confessarius.

b) Cum igitur aliquis de odio contra proximum se accuset, inquirat diligenter confessarius an de vero odio sermo sit. Sunt enim qui de odio se accusant, neque tamen odio laborant; sunt quoque qui odium fovent et tamen dicunt se iis quibus offensi sunt cupere omne bonum. Proinde de hoc se accusantes examinandi sunt. Si examinatus nihil eorum quibus odium exprimitur habeat, etsi queratur se aversionem experiri contra aliquem et moveri sibi sanguinem dum alteri obviat, aut se non posse oblivisci, aspicere aut alloqui, odio voluntario non deprenhenditur laborare: potest enim adesse motus appetitus sensitivi qui rationem praevenit. licet libera voluntas non consentiat. Monendus tamen est poenitens ut pro altero oret, illius alloquium quaerat, apud alios bene de ipso loquatur, illius defectus excuset, etc.: sic enim aversio vel displicentia, quae secreto servata fovetur et manet, mox dissipabitur.

c) Qui e contra dicunt se condonare, sed recusant inimicum alloqui et alia communia et debita charitatis signa et officia, odii suspicionem iniiciunt: cum iis caute procedat confessarius ne indebite absolvat. Similiter, qui antea promiserunt reconciliationem quaerere et communia charitatis signa adversario exhibere neque id fecerunt, ordinario absolvi non debent, sed iis generatim est absolutio differenda.

2. Homines odio et inimicitia implicati solent duri esse animo. Tractando poenitentem huiusmodi, *multa patientia et prudentia* opus est.

Idcirco imprimis caveat confessarius ab omni verborum austeritate, potius se ob acceptam iniuriam poenitenti compati benigne studeat, sinat illum conqueri, exaggerare, etc. ne poenitens exasperetur; caveat ne videatur agere advocatum adversarii, sed potius ostendat se quaerere bonum offensi.

3. Reo odii *obligationes* eius declarandae sunt, causa bene nota ex responsionibus ad has vel similes interrogationes : a quo tempore foverit odium. — an mala optaverit, — an voluerit inferre. — quae?, — an non gavisus sit de alterius malis, non de bonis doluerit, — an signa communia charitatis negaverit : an adversarium sit allocutus, an salutanti responderit, etc.

Poenitentem moneat confessarius satisfactionem posse exigi, proximo malum velle ut illi malum sit non licere, communia signa dilectionis exhibenda esse, et omne signum inimicitiae tollendum.

4. Ad hoc praestandum inducatur poenitens variis rationibus, quales sunt : necessitas ad salutem, — oratio dominica, — exemplum Dei dimittentis peccatum et praesertim Christi condonantis in cruce, — bonum quod ex condonatione sequitur, scii, pax conscientiae et sequens gaudium, — gloria coram Deo et hominibus in tali exercitio virtutis, utilitas, quia aperit ianuam divinae misericordiae. consideratio fragilitatis humanae et dispositionis divinae providentiae quae talia evenire permittit in bonum nostrum, - condonatio facienda Christo id petenti qui omnia peccata in se suscepit et dixit : Quod fecistis uni, mihi fecistis (Mt. XXV, 40).

Breviter: a) necessitas ignoscendi et charitati satisfaciendi, secundum quod petimus in oratione dominica: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Mt. XVIII, 35); — b) quam gloriosum sit ignoscere: est enim victoria maxima et gratissimum Deo sacrificium (Mc. XII, 33); — c) utilitas condonationis et consequens delectabilitas (Mt. V, 7; 44, 45); — d) exemplum Dei dimittentis peccata nostra et desiderantis ut remittamus inimicis nostris, item Christi pro suis adversariis orantis in cruce.

Quodsi istis non cedat poenitens, dicatur absolvi non posse nec veniam a Deo sperare, nisi ignoscat.

5. Media ad deponendum odium indicet confessarius. nempe orationem pro inimico et pro gratia sui; et obsequia charitatis.

VI. De vindicta quaerit Berardi, *Praxis confessariorum,* n. 195 : « *Quandonam sive in desiderio sive in gaudio de malo proximi, sive in vindicandis iniuriis acceptis peccatum aderit?*

Resp. In praxi casus communiores sunt sequentes.

1) Si id fiat ex causa non honesta aut minime rationabili, v. g. ex invidia, prout faciebat Caïn contra Abel innocentem..., aut ex impatientia, taedio et ira, prout faciunt illi qui propriis coniunctis querulis, fastidiosis, infirmis, etc. mortem exoptant.

2) Si vindicta sit... excessive: si nempe inter iniuriam acceptam et quantitatem punitionis illatae aut exoptatae proportio non adsit, v. g. signa indignationis nimis in longum producendo; in objurgationibus, in verberibus aliisve factis rationem vindictae habentibus nimis excedendo; ei qui damnum non adeo grave tibi intulit, gravissima mala, v. g. mortem, infernum etc. *ex corde* imprecando '.

3) Si vindicta sit quidem iusta, sed scandalum pusillorum inducat: hoc enim in casu curandum erit ut, ad minus rem declarando, scandalum amoveatur.

4) Si vindicta auctoritate privata fieri velit, etiam in his casibus in quibus id omnino non sit licitum, nempe a) si ope tribunalium obtineri

1 S. Thomas, II-II, q. 158, a. 2; q. 159, a. 1.

possit; b) si nimis magna sit; c) si sit inutilis, si nempe non iam apta sit iura nostra tueri, sed potius novas iniurias provocare atque efficere ut discordiae et lites nunquam finem habeant, prout nimis frequenter in praxi contingit.

5) Si vindicta fiat aut quaeratur vel ex profundo odio, vel ex fine non tam obtinendi iurium propriorum reparationem et tuitionem, quam se delectandi de poena proximi. Porro id nefas est. S. Thomas [1] dixit vindictam esse quidem licitam, sed non *intentione nocendi,* bene vero *intentione removendi nocumenta.* Notandum est etiam quod delectatio de poena proximi in saevitiam et feritatem degenerare potest [2] ».

VII. Practica notanda de peccatis in honorem et famam. — De peccatis linguae seu iniuriis verborum aliisque quae honorem et famam laedere, sicut amicitiam et pacem solvere possunt, atque ex odio frequenter oriuntur, pauca animadvertere iuvat.

A. *Imprecationes* contra proprios offensores :

1° graves non sunt, si ore solum sine plena advertentia proferuntur, vel, ut apud rudes, intelliguntur prolatae sine animo; — nisi tamen grave scandalum causent, ut fieri posset in parentibus imprecantibus coram filiis, qui exinde moverentur ad graviter peccandum;

2° e contra sunt peccatum mortale, si ex corde pronuntiantur. ex odio vel vindicta excessiva.

B. *Contumeliae,* quae scii, iniuste laedunt honorem :

1° inter rudes non semper graves habentur;

2° si vere graves sint, praesertim si de secretis, constituunt mortale peccatum. Ita si sunt falsae: — si contra illum fiunt qui nullam iniuriam protulit; — si ab offenso, sed ita ut limites indignationis praetergrediantur.

C· *Judicium temerarium* etiam est peccatum mortale ;

1° si personae valde interest illud non efformari:

2° si ex odio procedit:

3° si cum magna fit malevolentia:

4° si sit in magnum superioris contemptum vel alias habeat graves consequentias.

Requiritur autem ut cum magna temeritate efformetur et perfecte temerarium sit, i. e. ut magna disproportio sit inter rationes et assensum, ita quod levibus motivis firmus praebeatur assensus.

[1] II-II, q. io8, a. 3.
[2] Ib., q. 159, a. 2.

D. *Detractio,* seu iniusta denigratio famae alienae per verba occulta, multis modis fieri potest, sive directe : malum falso imputando, vel exaggerando, vel occultum revelando, vel bonum tribuendo pravae intentioni; sive etiam indirecte : bonum negando, vel malitiose reticendo, vel minuendo, vel laudando remisse. Nec modi directi semper efficaciores sunt, sed modi indirecti loquendi vel reticendi quandoque sunt malitiosiores.

Est autem detractio peccatum mortale ex genere suo, nec solum contra charitatem sed etiam contra iustitiam; cuius gravitas pensanda est ex gravitate nocumenti infamiae, seu damni quod laesus patitur in fama.

Crimen autem publicum alteri manifestare id ignoranti, non est contra iustitiam:

a) in loco ubi notorium est notorietate iuris seu vi sententiae iudicialis pro hac regione promulgatae;

b) etiam in loco ubi notorium est sola notorietate facti, nisi delinquens famam recuperavit;

c) etiam in alio loco in quo praevideatur brevi esse *legitime* manifestandum.

Secus crimen publicum, sicut et occultum, manifestari non potest nisi ob gravem rationem et quidem proportionatam.

E. *Per se adest obligatio restituendi famam iniuste ablatam,* maxime si iniuria in aliqs redundet, sicut et reparandi alia damna quae stricte et per se sunt diffamationi connexa.

Per accidens tamen non est obligatio restituendi famam :

1° si fama non laesa remansit, ut si detrahenti fides data non fuerit, aut eius detractio non intellecta vel non sparsa;

2° si alter famam recuperaverit, vel infamia oblivione iam fuit deleta:

3° si alter maiorem iniuriam intulit quam reparare non curat;

4° si prudenti existimatione alter existimatur condonasse;

5° si fama recompensari vel omnino non potest, vel nonnisi cum incommodo multo maiore; quo casu tamen quodam meliore modo quaedam compensatio fiat, sive alterum honorando, sive bonum de eo dicendo.

Restitutio famae quandoque opportunius fit per tertiam personam magnae auctoritatis.

Coopérantes detractioni, qui detractorem aliquo modo ad diffamandum inducunt, subsidiarie tenentur, sicut ipse, ad restitutionem; — non autem illi qui solum interne diffamationem approbant, vel de ea mere delectantur, aut solum non impediunt.

F. *Obligatio tamen est charitatis detractionem pro posse impediendi;* quae tamen in praxi raro erit gravis. Gravis erit si tres verificentur conditiones : a) alter certo iniuste detrahens; b) fundata spes detractionem impediendi; c) absque incommodo relative gravi; quae conditiones raro adsunt.

Opportunius saepe erit media impediendi indirecta adhibere potius quam directa, nisi agatur de superioribus qui possunt intervenire auctoritative.

G. *Peccatum maxime damnosum proximo est [alsum testimonium* in iudicio prolatum, quod triplicem continere solet deformitatem : contra iustitiam legalem scii, utpote iustitiae publicae et bono communitatis nocivum; contra iustitiam commutativam, quia proximo natum est causare iniustum damnum; et contra religionem, si fiat sub iuramento, quia tunc est periurium stricte dictum.

Tenetur falsus testis ad testimonium revocandum et ad reparationem damni exinde secuti.

VIII. Animadversio: *de mulierculis quae in familiis mutuo se offendunt et sic in continua discordia vivunt.* De his notat iterum Berardi, l. c., n. 196, III :

« Istae mutuae offensae, quamvis in se essent leves, magnum pondus habere possunt propter consequentias; possunt enim 1) gignere et fovere graves malevolentias internas, et forte etiam odium habituale producere et sic vinculum charitatis omnino abrumpere; 2) pacem familiae graviter turbare, occasionem blasphemiarum maritis praebere, et forte etiam scandalum grave filiis dare; 3) illa speciatim, quae discordiae potior causa est, gravem reatum contrahere potest propter ipsam turbationem quam alteri mulieri praebet: turbatio enim continua quid valde molestum esse solet. In praxi tamen ut plurimum gravem reatum ex hoc ultimo capite feminae non contrahunt, quia illum non advertunt. — Si autem ex una parte odium grave non adsit aut omnino deponatur, et ex alia parte pax aliorum graviter non turbetur, tunc peccatum mortale minime aderit ».

CAPUT III

DE PECCATIS CAPITALIBUS QUAE SUNT ALIORUM PECCATORUM CAUSA

I. Quomodo peccatum causam habet. — Peccatum, cum sit actus humanus inordinatus, duplici constat elemento : elemento *positivo,* quod est *materiale* peccati : est ipse actus tendens ad quoddam bonum creatum; et elemento *privativo,* quod in peccato est *formale,* propter quod scii, peccatum est peccatum : est inordinatio seu difformitas actus cum sua regula i. e. cum recta ratione et lege aeterna, atque aversio a Deo ultimo fine.

lamvero ex *parte actus* peccatum habet, sicut quilibet actus et quodlibet ens, *causam agentem per se,* scii, potentiam hominis, maxime voluntatem quatenus intendit aliquod bonum creatum; ex *parte inordinationis* habet causam eo modo quo privatio habere causam potest, scii, *causam deficientem et per accidens.*

Etenim ad positionem unius effectus sequitur absentia vel privatio alterius, et sic causa intendens positionem, per accidens est causa privationis consequentis, quam non intendit: « sicut ignis causando calorem, ex principali intentione, consequenter causât privationem frigiditatis ». Sic ergo voluntas intendens aliquod bonum creatum, quod non conformatur rationi sed aeternae legi opponitur, et deficiens a directione regulae rationis et legis Dei, causât actum peccati per se; huic autem actui adiungitur privatio conformitatis cum ratione et lege, quam tamen privationem voluntas non intendit; et ideo simul cum actu causât privationem, ipsi adnexam, sed solum consequenter, per accidens et praeter intentionem.

Ut ex praemissa declaratione patet. « omnis autem causa

per accidens reducitur ad causam per se, igitur... sequitur quod inordinatio peccati consequatur ex ipsa causa actus ». Sufficit ergo consideremus quomodo unum peccatum potest esse causa alterius ex parte actus : hoc enim modo etiam consequenter erit causa alterius ex parte inordinationis'.

II. Unum peccatum potest esse causa alterius peccati, sicut unus actus humanus potest esse causa alterius. Hoc autem contingit tripliciter :

1° unum peccatum potest esse causa *materialis* alterius, in quantum subministrat et praeparat materiam alteri, sicut gula praeparat materiam luxuriae, et avaritia litigio quia multiplicat temporalia bona quae litis materia sunt;

2° potest esse causa *efficiens* alterius, et quidem duplici modo, per se scii, et per accidens :

a) per *accidens* i. e. per remotionem prohibentis : « cum enim per unum actum peccati homo amittit gratiam, vel charitatem, vel verecundiam, vel quodcumque aliud retrahens a peccato, incidit ex hoc (quia scii, non amplius habet quod ipsum a peccato retrahebat) in aliud peccatum, et sic primum peccatum est causa secundi per accidens;

b) per *se,* in quantum ex aliquo peccato v. g. luxuriae, homo per modum inclinationis disponitur ad alia eiusdem speciei : « ex actibus enim causantur dispositiones et habitus inclinantes ad similes actus »;

3° et praecipue potest esse causa *finalis* alterius, in quantum propter finem unius peccati aliquis committit aliud peccatum, ut si mulier fornicationem committit propter furtum, aut e contra quis committit furtum ad fornicationem sibi procurandam. Et quia finis in rebus moralibus dat formam quia dat speciem sic unum peccatum, quod est causa finalis, etiam

' S. Thomas, I-II, q. 75, a. 1.

’ Finis actibus humanis dat speciem, quia est obiectum actus voluntatis et terminus ad quem inotus voluntatis tendit : actus autem habet speciem ex obiecto et motus ex termino. Finis dat speciem et consequenter formam, non tantum actui interiori voluntatis, sed etiam actibus exterioribus a voluntate imperatis : actus enim voluntatis et actus exterior sunt unus actus moralis, in quo actus interior est elementum formale, et actus exterior est elementum materiale quod ab altero determinatur et veluti informatur. Actus interior voluntatis est elementum formale, tum quia movet et determinat membra exteriora ad agendum : finis enim intentus est ratio agendi ea quae sunt ad finem ; tum quia actus exterior non est voluntarius nisi dependentor ab

est causa *formalis* alterius, quia alteri dat formam : « quia finis dat formam in moralibus... ex hoc etiam sequitur quod unum peccatum, quod est alterius finis, sit formalis causa alterius; in actu enim fornicationis quae propter furtum committitur, est quidem fornicatio sicut materiale, furtum vero sicut formale' ».

III. Peccata capitalia nata sunt plerumque esse plurium aliorum causa, praesertim finalis. — Peccatum capitale ita vocatur a *capite,* quod est principium et directivum totius animalis : « unde metaphorice omne principium et directivum caput vocatur; et etiam homines qui alios dirigunt et gubernant, capita aliorum esse dicuntur ». Ergo *peccatum capitale est illud quod est causa seu principium et simul directivum aliorum*

Id autem competit illis peccatis quae *plerumque et frequenter sunt plurium aliorum causa praesertim finalis, quia habent obiectum valde amabile seu finem maxime appetibilem,* unde propter illum facile alia committuntur peccata. Huiusmodi enim peccata *maxime* sunt *principium aliorum et causa,* nam finis est principium et forma in moralibus, unde hoc modo « peccatum causatur a peccato in actu et formaliter » et perfecte; sunt etiam *directiva aliorum :* fine diriguntur actus humani quia finis imperat ea quae sunt ad finem.

« Manifestum est enim, ait S. Thomas[3], quod princeps ordinat sibi subiectos ad finem suum, sicut exercitus ordinatur ad finem ducis... Unde secundum Gregorium, Mor. l. 31. c. 45 (al. 17), vitia capitalia sunt quasi duces, et vitia quae ex eis oriuntur sunt quasi exercitus ».

Ex quibus concluditur :

A. Non omne peccatum quod est causa alterius, vocari posse capitale, et quidem

1° non illud quod est aliorum causa *materialis,* quia quod ministrat materiam, non est causa peccati in actu, sed occasionaliter et in potentia;

interiori voluntate. Unde universaliter verum est quod actuum humanorum species formaliter considerantur secundum finem. Cfr. S. Thomas. I-II, q. i, a. 3, et q. 18, a. 6.

1 S. Thomas, I-II, q. 75, a. 4.

2 S. Thomas, I-II. q. 84, a. 3.

• S. Thomas. *Q. D. de Malo,* 8. a, 1; cfr. I-II, q. 84. a. 3.

2° neque illud quod est *causa efficiens* aliorum *per accidens,* tum quia nulla scientia considerat causas per accidens, tum quia *caput* designat causam per se, quae scii, nata est alia causare et regere, tum quia hoc modo quodlibet peccatum mortale causa cuiuslibet esse potest;

3° neque etiam illud quod est causa *efficiens* aliorum per *se:* omne enim peccatum inclinat ad sui simile, et sic rursus omne peccatum esset capitale;

4° imo neque illud quod aliorum causa *finalis* est sed tantum *ex conditione peccantis,* quia id per accidens contingit ipsi peccato. Nam « huiusmodi origo potest attendi dupliciter: uno quidem modo *secundum conditionem peccantis,* qui sic dispositus est ut maxime afficiatur ad unum finem ex quo ut plurimum in alia peccata procedat. Sed iste modus originis sub arte cadere non potest, eo quod infinitae sunt particulares hominum dispositiones. Alio modo *secundum naturalem habitudinem ipsorum finium ad invicem;* et secundum hoc, ut in pluribus unum vitium ex alio oritur. Unde iste modus originis sub arte cadere potest. Secundum hoc igitur illa vitia capitalia dicuntur quorum fines habent quasdam primarias rationes movendi appetitum [1] ».

B. Peccatum capitale proinde non esse confundendum cum illo quod vocare solent *vitium dominans,* seu peccatum quod a determinato individuo frequentius solet committi et ad cuius finem alia peccata ordinat ipse et committit: id enim per accidens contingit ex parte ipsius peccantis, non per se et ex parte naturae peccati. « Unum peccatum ordinatur ad finem alterius dupliciter: uno modo ex parte *ipsius peccantis* cuius voluntas est pronior ad finem unius peccati quam alterius, sed hoc accidit peccatis. Unde secundum hoc non dicuntur peccata capitalia. Alio modo ex *ipsa habitudine finium* quorum unus habet quamdam convenientiam cum alio, ita quod in pluribus ad ipsum ordinetur... et secundum hoc oportet capitalia vitia assumere[2] ». Ex natura sua igitur habent finem valde appetibilem et quidem omnibus, et hac ratione ad alia peccata omnes et frequenter movent.

C. Peccata capitalia tamen, *non esse omnium maxima,* cum plura alia sint ipsis graviora, v. g. illa quae directe sunt contra Deum aut directe opponuntur virtutibus theologicis; *nec* esse *necessario gravia,* etiam si deliberate fiant, uti patet de ira et gula quae saepe sunt venialia.

D. Capitalia nec esse *illa peccata quae opponuntur fundamentalibus seu cardinalibus virtutibus,* quia « non est eadem ratio originis in virtutibus et in vitiis. Nam virtutes causantur per ordinem appetitus ad rationem, vel etiam ad bonum incommutabile, quod est Deus; vitia autem oriuntur ex appetitu boni commutabilis. Unde non oportet quod principalia vitia opponantur principalibus virtutibus [3] ».

IV. Septem solent numerari capitalia peccata. — Usus iam a tempore S. Gregorii invaluit, a quo l. c. enumerantur « principalia vitia, scii, inanis gloria, invidia, ira, tristitia (seu

1 S. Thomas, I-II, q. 84, a. 4.
2 S. Thomas, *Q. D. de Malo,* 8. a. 1.
* S. Thomas, I-II, q. 84, a. 4 ad 1.

acedia), avaritia, ventris ingluvies (seu gula), luxuria ».

Plures tamen primo ponunt superbiam loco inanis gloriae; alii utramque sub uno vocabulo comprehendunt. At S. Thomas, sequens S. Gregorium, superbiam habet tanquam causam finalem, reginam et matrem omnium peccatorum etiam capitalium, quatenus omnia nata sunt fieri et ordinari ad finem superbiae et sic ex superbia oriri; inanem vero gloriam ponit capitale peccatum quod plurium vitiorum est causa finalis :

« Quidam considerantes superbiam secundum quod est quoddam speciale peccatum, connumeraverunt eam aliis vitiis capitalibus. Gregorius vero, considerans universalem cius influentiam, quam habet in omnia vitia,... non connumeravit eam aliis capitalibus vitiis, sed ponit eam reginam omnium vitiorum et matrem; unde dicit...: ipsa vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor ceperat, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus, devastandum tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur[1] ».

Recte quidem: praeter superbiam enim adhuc septem sunt peccata, de quibus verificatur definitio capitalium quod sunt plurium aliorum causa praesertim finalis, cum id de inani gloria verum sit; — deinde prima sententia provenit ex eo quod aliqui auctores non satis consideraverunt universalem causalitatem superbiae in omnia vitia: — denique superbiam cum inani gloria sub uno vocabulo recensendo, nec illius universalis influentia satis perspicitur, nec huius specialis causalitas respectu ad quaedam particularia peccata. « Et ideo superbia quasi universale vitium, non connumeratur aliis, sed *magis* ponitur velut regina quaedam omnium vitiorum[2] ». Est quidem *mater ex* parte finis, quia est omnium principium in ordine intentionis regina ex parte imperii, quia omnia dirigit ad finem suum.

In praxi tamen, quantum ad directionem animarum in vitandis peccatis vel eradicandis vitiis, non tam multum refert utrum superbia distinguatur a vana gloria tamquam omnium vitiorum causa, vel e contra una cum ea consideretur ut primum capitale peccatum [4].

1 S. Thomas, 11-11, q. 162, a. 8. Cfr. a. 2.

2 S. Thomas, I-II, q. 84,i a. 4 ad 4.

’ S. Thomas. I-II, q. 84, a. 2.

4 A quibusdam dubitatum fuit de sententia S. Thomae, 1° quia postquam in I-II, q. 84. a. 2, docuerit superbiam *ut speciale peccatum* esse initium omnis peccati, cum nata sit esse omnium peccatorum finis, in II-II, q. 162, a. 8. videtur innuere contrarium, dicens superbiam ut peccatum speciale esse capitale, *ut peccatum generale* esse matrem omnium vitiorum ; 2° quia pluribus in locis ut unum vitium capitale, superbiam una cum inani gloria recenset.

Resp. ad 1m: postquam refuteraverit in I-II sententiam illorum qui asserebant superbiam dici, tum generale peccatum seu conditionem omnis peccati, tum inclinationem ad quodeumque peccatum ex natura corrupta, et sic esse initium omnis peccati, et contra illos docuerit etiam ut speciale peccatum esse omnium aliorum causam, *hoc iam supposito,* in II-II docet illud speciale peccatum posse spectari dupliciter : a) incomplete, i. e. unice ut speciale peccatum secundum propriam speciem, abstrahendo a sua generali influentia in omnia vitia,

Septem esse vitia capitalia ita fere ostendit S. Thomas I-II, q. 84, a. 4 : Peccata capitalia sunt illa ex quibus alia oriuntur praecipue secundum rationem causae finalis, quorum fines

et sic habet adhuc causalitatem specialem in quaedam peccata quae proxime et frequenter ex ipsa oriuntur et haberi potest ut peccatum capitale; b) complete, i. e. *etiam* quodammodo ut generale peccatum : peccatum enim speciale superbiae habet influentiam generalem, qua influentia spectata, non est capitale peccatum i. e. causa plurium aliorum, sed initium omnis peccati. Ex quibus constat vocabulum : *peccatum generale* a S. Thoma non in eodem sensu sumi in utroque loco; in primo loco significat quodcumque peccatum seu conditionem omnis peccati, in secundo loco significat speciale peccatum quatenus propter diffusionem sui imperii causalitatem extendit ad omnia. Constat ex ipsis verbis S. Thomae, nam in secundo loco iisdem verbis utitur ad describendum generale peccatum superbiae, quibus in primo loco usus est ad describendum peccatum speciale superbiae. Ergo falsum est quod S. Thomas unquam negaverit superbiam, ut speciale peccatum, esse matrem omnium aliorum, quin imo quod id constanter docuerit est manifestum.

Resp. ad 2m : Quando s. Doctor superbiam una cum inani gloria ut capitale vitium recenset, loquitur non ex sententia quam elegit propriam, sed tamquam aliorum sententiam recitans. Sic in *Q. D. de Malo,* 8, a. I : « Ad bonum ergo animae, scii, excellentiam honoris et gloriae, ordinatur superbia, vel inanis gloria » i. e. secundum alios superbia, secundum alios inanis gloria. Eodem modo loquitur in II Sent., d. 42, q. 2, a. 3; et in I-II, q. 84, a. 4, in *altero* modo considerandi bona quae capitalia peccata prosequuntur (vide p. 117, in nota). — Quodsi semel scripserit (II Sent., d. 5, q. 1, a. 3) superbiam esse vitium capitale, id fecit *transeunter,* nec simpliciter id asseruit, sed cum quodam addito, et quasi restrictione : « ut speciale peccatum, appetens propriam excellentiam *praecipue in dignitate et honore* ». significans se illud considerare abstrahendo ab eius influentia generali, quatenus tamen specialiori sensu est causa quorumdam peccatorum, nempe praesumptionis, ambitionis et vanae gloriae, quae hac ratione specialiter filiae vocantur superbiae.

Ceterum non est S. Thomas S. Thomae opponendus, sed cum seipso conciliandus. Quoties autem *ex professo* quaestionem tractat, manifeste inclinat in sententiam Gregorii et illam simpliciter praefert. Ita fecit in I-II, q. 84, a. *2* docens superbiam *ut est speciale peccatum* esse omnium aliorum initium; item in *Q. D. de Malo,* 8, a. 1. « Charitas quae est amor Dei imperat omnibus aliis virtutibus. Et sic quamvis sit specialis virtus si consideretur proprium obiectum. tamen secundum quamdam diffusionem sui imperii est communis omnibus virtutibus, unde dicitur forma et mater omnium virtutum. Et similiter superbia, quamvis sit speciale peccatum secundum rationem proprii obiccti, tamen secundum quamdam diffusionem proprii imperii est commune peccatum ad omnia. Unde et dicitur radix et regina omnium peccatorum » ; item in resp. ad 14m. — Deinde in I-II, q. 84, a. 4. probat dictum Gregorii ponentis inanem gloriam inter septem capitalia; et ad obiectionem 4m: « Sicut avaritia est radix peccati, ita superbia est peccati initium... Sed avaritia ponitur unum de septem vitiis capitalibus. Ergo superbia inter vitia capitalia enumeranda esset », respondet negando consequentiam quia

scii, sunt maxime appetibiles et habent quasi principales rationes movendi appetitum. Sed aliquid movet appetitum vel directe et per se. scii, bonum ad prosequendum et malum ad fugiendum: vel indirecte et quasi per aliud, quando aliquis malum prosequitur propter bonum adiunctum, vel bonum fugit propter malum adiunctum.

lamvero : a) Bonum quod homo *maxime appetit* est :

1" bonum animae, scii, excellentia laudis et honoris, quod inordinate appetit *inanis gloria* (1):

2° bonum corporis quo individuum conservatur, scii, cibus et potus, quod inordinate appetit *gula* (2):

3° bonum corporis quo conservatur species humana, scii, usus venereorum, quod inordinate appetit *luxuria* (3);

4° bonum externum, scii, divitiae et circa hoc versatur *avaritia*l (4).

superbia *potitis* est initium omnium vitiorum quam vitium capitale: « superbia, quasi universale vitium, non connumeratur aliis, sed *magis* ponitur regina quaedam omnium vitiorum ». — Eodem modo in *Q. D. de Malo,* 9, a. 3, ad 1 : « Dicendum quod superbia ... ponitur generaliter mater omnium vitiorum, et sub ipsa ponuntur septem vitia capitalia inter quae inanis gloria est maxime ei affinis ». — Similiter in II-II, q. 162, a. 8, quamvis utramque sententiam referat, manifeste praefert sententiam Gregorii, uti legenti patet, et ceteroquin clarum est tum ex eo quod obiectiones articuli intendant probare superbiam esse vit'um capitale, quas obiectiones tamen iudicavit solvendas, tum ex eo quod dicat : « sed contra est quod Gregorius non enumerat superbiam inter alia vitia capitalia », quod assertum, cum transmittat sine responsione, approbat. — Clarius adhuc in II-II, q. 132, a. 4; « Respondeo dicendum quod de vitiis capitalibus dupliciter aliqui loquuntur. Quidam enim ponunt superbiam unum de vitiis capitalibus; et hi non ponunt inanem gloriam inter vitia capitalia. Gregorius autem superbiam ponit reginam omnium vitiorum ; et inanem gloriam, quae immediate ab ipsa oritur, ponit vitium capitale. Et hoc *rationabiliter:* superbia enim ... importat inordinatum appetitum excellentiae. Ex omni autem bono quod quis appetit, quamdam perfectionem et excellentiam consequitur; et ideo fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiae ; et propter hoc videtur quod habeat quamdam generalem causalitatem super alia vitia, *et non debeat computari inter specialia vitiorum principia quae sunt vitia capitalia* ». De mente igitur S. Thomae dubium esse nequit.

1 Addit S. Thomas : « Vel aliter. Bonum praecipue movet appetitum ex hoc quod participat aliquid de proprietate felicitatis, quam naturaliter omnes appetunt. De cuius ratione est primo quaedam perfectio; nam felicitas est perfectum bonum, ad quod pertinet excellentia vel claritas, quam appetit superbia vel inanis gloria. Secundo de ratione eius est sufficientia, quam appetit avaritia... Tertio est de conditione eius delectatio... et hanc appetunt gula et luxuria. »

b) Bonum autem quod homo fugit propter aliquod malum quod *maxime timet,* est:

1° aut bonum spirituale proprium, quod propter laborem corporalem adiunctum fugit *acedia* (5);

2° aut bonum alienum quod impedit excellentiam propriam, a quo fugit homo *invidia* (6);

3° vel contra quod insurgit ira (7).

Etiam alio modo id ostendi potest. Principium omnis peccati ex parte hominis est amor inordinatus sui, qui inordinate appetit temporalia bona et est radix triplicis concupiscentiae pravae: concupiscentiae carnis inordinate tendentis in bonum corporis, concupiscentiae oculorum seu cupiditatis inordinate appetentis bona externa, et superbiae vitae inordinate tendentis ad bonum animae

lamvero amor inordinatus sui est causa peccati, in quantum homo indebite se convertit ad bonum creatum:

A. Vel ad *bonum animae:*

a) sive consideratum in seipso:

1° ut excellens, per *superbiam* et *inanem gloriam* (1);

2° ut contemnens bonum divinum participatum, per *acediam* (2);

b) sive consideratum in alio:

1° ut ab eo possessum, per *invidiam* (3);

2° ut ab eo laesum et inordinate vindicatum, per iram (4).

B. Vel ad *bonum corporis:*

1° in delectatione cibi vel potus, per *gulam* (5);

2° in delectatione venerea, per *luxuriam* (6):

C. Vel ad *bonum externum,* per *avaritiam* (7).

Ultimum peccatum pertinet ad concupiscentiam oculorum, duo praecedentia ad concupiscentiam carnis, quatuor priora ad superbiam vitae.

V. Momentum practicum doctrinae. — Ad medendum peccatis multum refert cognoscere peccatorum originem et genealogiam; quapropter directori animarum multi interest scire quaenam peccata soleant esse aliorum causa, et quaenam ex iis oriuntur. Sublata enim causa, etiam tollitur effectus; at qui totus tendit in medendum effectibus, causam vero eradicare non curat, nec causae nec effectibus remedium praebebit.

1 S. Thomas, I-II, q. 77. a. .< et 5.

QUAESTIO PRIMA

De Superbia et Inani Gloria

I. **Superbia est** *appetitus inordinatus excellentiae propriae.* Dicitur :

1° *appetitus,* quia superbia residet in appetitu, neinpe principaliter in voluntate si excellentiam quaerit in spiritualibus rebus, secundario in irascibili qui tendit ad bonum sensibile arduum et excellens:

2° *inordinatus :* appetere excellentiam secundum se non est malum, at contra ordinem rationis est quod quis maiorem appetat excellentiam quam habet et tendat *supra id quod est,* uti facit superbus : « habet enim hoc ratio recta ut voluntas uniuscuiusque feratur in id quod est proportionatum sibi[1] »;

3° *excellentiae,* tum *relativae,* qua quis vult aliis praecellere, implicite saltem eos contemnendo; tum *absolutae,* qua quis simpliciter vult excellere supra id quod est, etiam de aliis non cogitando;

4° *propriae :* speciale obiectum seu proprium appetibile a quo speciem accipit superbia est *celsitudo propriae personae :* non enim in tali vel tali materia sed communiter et in omnibus superbus se habet ut celsum. Superbia ergo appetit excellentiam quamdam universalem, et per hoc distinguitur a praesumptione, ambitione et inani gloria, quae inordinate appetunt aliquam particularem excellentiam, sive in operibus, sive in honoribus et dignitatibus, sive in fama et gloria.

II. Gravitas et species superbiae. — Superbia de se contrariatur legi subiectionis erga Deum et charitati, et ideo est peccatum mortale : superbus enim se extollit supra id quod est, i. e. supra id quod sibi est a Deo praefixum, unde implicite saltem in superbia includitur contemptus Dei, quatenus Deo et regulae ipsius homo subiici nolit. Sed « hoc ipsum quod est non subiici Deo, habet rationem peccati mortalis : hoc enim est averti a Deo ». quod proprium est peccato mortali et contrariatur charitati qua ad Deum convertimur. Unde consequens est quod superbia secundum genus suum sit peccatum

1 S. Thomas, II-II, q. 162, a. 1.

mortale' ». — Contemptus ille si sit explicitus. formalis et *perfectus, ex* intentione Deum contemnendi quia Deo et eius legi subiici fastidit et excellentiae propriae videtur laesivum, semper est mortalis. Si vero sit implicitus tantum, sine intentione Deum contemnendi, potest quidem esse mortalis, scii, in re gravi; sed saepe est venialis, non tantum ex indeliberatione, sed etiam ex levitate materiae.

lamvero, secundum S. Gregorium, Moral. 1. 23, c. 6 (al. 4), quatuor modis ex parte obiecti specie diversis committitur superbia: 1° aestimando bona, quae aliquis habet, a seipso non a Deo se habere, aut saltem ita agendo ac si ea haberet a seipso; 2° aestimando se accepisse illa a Deo sed propter merita propria, vel agendo ac si ita esset; 3° tribuendo sibi bona quae non habet; 4° in bonis quae habet, volendo, ceteris despectis, illis praeferri plus quam decet. Duo priores modi, cum Dei contemptum formalem includunt, sunt peccatum mortale; duo ultimi saepe tantum veniale sunt, quia in affectu se magnificare et plus iusto se efferre dum quis subiici Deo non renuit, non est gravis inordinatio, nisi fiat cum gravi irreverentia in Deum, aut paratum reddat ad peccandum mortaliter, aut adsit gravis proximi contemptus vel notabile detrimentum.

III. Generalis influentia superbiae in alia peccata. — Dicitur in Eccli. X, 15: *Initium omnis peccati est superbia.*

Quae verba intelligenda sunt de superbia proprie dicta ut est speciale peccatum3. Ipsa vere dici potest omnis peccati *initium,* non solum in ordine historico quia angeli et primus homo illius fuerunt rei, sed etiam ex natura rei; nec solum

1° indirecte et per accidens, removendo prohibens, in

' S. Thomas, ib„ a. 5.

' Kl quidam interpretati sunt de *superbia improprie dicta,* et quidem a) de aversione seu actuali contemptu Dei quo aliquis non vult subiici eius regulae, qui in omnibus peccatis invenitur implicite eo quod tendunt ad aliquod bonum creatum, legi Dei oppositum : haec est generalis conditio omnis peccati et causa peccati seu initium ex parte aversionis : ex hac cmm peccatum habet quod sit malum, et ideo ex parte aversionis incipit ratio mali ; — etiam b) de inclinatione naturae lapsae ad huiusmodi contemptum, ex qua proveniunt omnia peccata. — Vera ista sunt, sed non tradunt sensum Scripturae, quae manifeste ex contextu loquitur de superbia proprie dicta quae est speciale peccatum, nempe appetitus propriae excellentiae. (I-II, q. 84. a. 2.)

quantum scil. homo per superbiam contemnit divinam legem, per quam prohibetur a peccando: sed etiam

2° directe et per se. in quantum alia peccata ordinantur in finem superbiae, qui est excellentia propria, ad quam ordinari potest omne id quod quis inordinate appetit, unde omnia peccata ex illa oriri possunt ut a causa finali. Bona enim temporalia quae homo in aliis peccatis quaerit, potest velle ut per illa quamdam perfectionem singularem et propriam excellentiam habeat, quae est finis superbiae. Est ergo superbia causa finalis omnium peccatorum, non quidem hoc sensu quod peccatum quodcumque singulariter ex ipsa oritur, sed quatenus quodlibet genus peccati natum est ordinari ad finem superbiae et sic ex ipsa oriri.

Et cum finis est primum in ordine intentionis, intentio autem executionem praecedit, recte superbia dicitur *initium* omnium peccatorum [1].

Et quia est causa finalis omnium peccatorum, non est stricto sensu peccatum capitale ex quo plura tantum genera peccatorum oriuntur secundum rationem finis, sed potius omnium capitalium causa et regina omnium vitiorum. Nihilominus sunt quaedam peccata, quae immediate et frequentius ex illa oriuntur secundum rationem finis et ipsi immediate deserviunt, quia specialem quamdam excellentiam quaerunt et habent obiectum valde propinquum cum obiecto superbiae: et ideo illa sola eius *filiae* vocari solent. Siquidem « illa vitia quae de se nata sunt ordinari in finem alicuius vitii capitalis, dicuntur filiae eius[3].

IV. Superbiae tres sunt filiae : *praesumptio, ambitio et inanis gloria.* — Illae sunt filiae superbiae quae inordinate quamdam specialem quaerunt excellentiam; haec autem quaeri potest sive in operibus, sive in dignitate et honore, sive in fama et gloria. Unde tres filiae sunt superbiae : 1° *praesumptio,* quae est inordinatus appetitus excellentiae in operibus, scii, aggrediendi aliquid supra vires; 2° *ambitio,* quae ordinate appetit excellentiam dignitatis et honoris non debiti vel debito maioris; 3° *inanis gloria,* quae inordinate tendit in famam et gloriam i. e. in vanam excellentiae manifestationem.

Sunt de se peccata venialia, quia non sunt contra charitatem, sed excessivus appetitus rei secundum se bonae vel indifferentis: et non

1 S. Thomas, 1-11, q. 84, a. 2; *Q. D. de Mulo.* 8, a. 2.
2 S. Thomas, II-II, q. 132, a. 5.

sunt mortalia nisi per accidens, sive ratione causae, ut si procedant ex affectu ad mortale peccatum, sive ratione effectus, si fiant cum gravi nocumento proprio vel alieno.

Propter momentum eius specialiter dicendum erit de inani gloria.

V. Inanis gloria est *appetitus gloriae et famae inordinatus,* i. e. appetitus gloriae vanae, seu vanae manifestationis, et ab aliis bonae aestimationis de propria excellentia sive verae sive fictae. Dicitur :

10 *appetitus :* vox gloria hic sumitur non pro obiecto actus mali, i. e. pro ipsa gloria quaesita, sed pro peccato quod est motus et tendentia in vanam gloriam, excessiva cupiditas aestimationis et laudis;

2° *gloriae et famae ;* gloria claritatem quamdam significat; claritas autem et decor habent quamdam manifestationem, quia quod clarum est a multis conspici potest et remotis, et ideo nomen gloriae proprie importat manifestationem alicuius de hoc quod apud homines decorum videtur'. Hinc definiri solet : *clara cum laude notitia seu fama,* i. e. praeclara notitia et existimatio bona aliorum de propria excellentia; quae si verbis exprimatur, proprie *laus* est; laus autem notitiam illam aliis ingerit, et hoc est *fama.* Haec gloria et fama est speciale obiectum huius peccati quo ab omnibus aliis distinguitur, praesertim a) a superbia quae omnem et universalem excellentiam appetit; et b) ab ambitione quae inordinate quaerit honorem et reverentiam; gloria est effectus et finis honoris, cum ex eo quis redditur clarus in notitia aliorum : ex hoc enim quod alicui exhibeantur testimonia honoris, eius excellentia apud homines clarescit;

3° *inordinatus :* appetere gloriam secundum se non est quid malum sed indifferens. Non enim peccatum est quod aliquis bonum suum cognoscat et approbet, dum illud considerat ut laude dignum, nec quod velit bonum opus approbari, nam dicitur. Mt. V. 16: *Luceat lux vestra coram hominibus;* sed quod gloriam quaerat vanam[1].

Est autem vana tripliciter : a) dum quaeritur de re quae non est gloriae vel tantae gloriae digna, ut de re mala, falsa,

3 « Largius tamen accepto gloriae nomine, non solum consistit in multitudinis cognitione, sed etiam paucorum vel unius, aut sui solius, dum scii, aliquis proprium bonum considerat ut dignum laude. » S. Thomas, II-II, q. 132. a. 1.

2 S. Thomas, l. c. et *Q. D. de Malo,* 9, a. 1.

ficta, fragili, de opibus, nugis, etc.: b) dum quaeritur ab illis qui discernere non valent quid sit gloria dignum, v. g. ab eo cuius iudicium non est certum; c) dum quaeritur et non refertur in debitum finem, i. e. ad honorem Dei vel utilitatem proximi. Gloria enim de se est res indifferens, ac proinde in ipsa sistere ut in fine et eam propter seipsam quaerere est illicitum : rem enim appetere indifferentem non est bonum, nisi fiat ad bonum finem rei extrinsecum, uti appetere gloriam in quantum est utilis ad aliquid; secus esset actus otiosus et vanus ac proinde peccaminosus [1]. Hinc S. Thomas :

« Ad perfectionem hominis pertinet quod ipse se cognoscat; sed quod ipse ab aliis cognoscatur non pertinet ad eius perfectionem; et ideo non est per se appetendum. Potest tamen appeti in quantum est utile ad aliquid, vel ad hoc quod Deus ab hominibus glorificetur, vel ad hoc quod homines proficiant ex bono quod in alio cognoscunt, vel ex hoc quod ipse homo ex bonis quae in se cognoscit, per testimonium laudis alienae, studeat in eis perseverare et ad meliora proficere. Et secundum hoc laudabile est quod curam habeat aliquis de bono nomine et quod provideat bona coram Deo et hominibus; non tamen quod in hominum laude inaniter delectetur [2] ».

VI. Inanis gloria est de se peccatum veniale, sed per accidens potest esse mortale. — De se non importat aliquid contra charitatem seu dilectionem Dei vel proximi, sed est tantum inordinatio appetitus rei secundum se indifferentis. Per accidens tamen i. e. ratione alterius seu adiuncti, fit mortale :

1° *Ex parte ipsius gloriantis* :

a) *ratione effectus,* v. g. si quis paratus sit peccare mortaliter ad gloriam acquirendam, aut finem ultimum in gloria constituat, aut grave damnum proximi ex ipsa consequatur, ut si propter eam medicus socium habere nolit cum gravi periculo sanitatis in aegroto, vel magister magnum errorem quem docuit retractare nolit;

b) *ratione finis,* ut si ex affectu ad mortale gloriam quaerat.

2° Etiam *ex parte materiae* de qua aliquis gloriatur

a) si quis glorietur de *bono,* sed falso quod est contra Dei reverentiam, vel de bonis ac si a Deo non essent, vel de bono temporali amato plus quam Deus, vel de testimonio hominum quod praefert testimonio divino:

1 *ibidem.*
2 S. Thomas, II-II, q. 132, a. 1, ad 3.
3 Materia hic non intelligitur ipsum obiectum peccati : hoc est ipsa gloria; sed causa obiectiva ex qua gloria procedit.

b) si glorietur de *malo,* scil. de peccato mortali commisso[1].

VII. Inanis gloria est peccatum capitale, quia habet finem maxime appetibilem, fini superbiae proximum. Haec enim appetit propriam excellentiam; « inter bona autem per quae excellentiam homo consequitur, praecipue ad hoc operari videtur gloria, in quantum importat manifestationem bonitatis alicuius; nam bonum naturaliter amatur et honoratur ab omnibus..., per gloriam (enim) hominum consequitur homo excellentiam in rebus humanis. Et ideo propter propinquitatem ad excellentiam, quam homines maxime desiderant, consequens est quod sit multum appetibilis. Et quia ex eius inordinato appetitu multa vitia oriuntur, ideo inanis gloria est vitium capitale[3] ».

VIII. Septem filiae sunt inanis gloriae. — Secundum S. Gregorium, Moral. 1. 31, c. 45 (al. 17), septem sunt vitia quae *communius* ex inani gloria oriuntur, et ideo eius filiae vocantur. Inani gloria enim quaeritur *propriae excellentiae manifestatio,* quod fieri potest :

a) Directe: 1° vel verbis per *iactantiam* qua quis de opere commisso gloriatur; vel factis: 2° per *praesumptionem novitatum,* qua quis novitates excogitat quae aliorum admirationem excitant; et 3° per *hypocrisim,* qua quis bonum facit ut videatur bonus, quamvis non sit.

b) Indirecte aliquis quaerit manifestationem suae excellentiae, ostendendo se non esse aliis minorem, et hoc fit : 4° quantum ad intellectum, per *pertinaciam,* qua quis adhaeret nimis suae sententiae; 5°, quantum ad voluntatem, per *discordiam,* qua non vult a propria voluntate recedere ut aliis concordet; 6°, quantum ad locutionem, per *contentionem,* qua clamose litigat; 7°, quantum ad factum, per *inobedientiam,* qua non vult exequi superioris praeceptum

IX. Origo et progressus superbiae. — Res ita describitur a Lehmkuhl, Th. M. I, n. 884, 2 :

« Homo incipit bonum, quod in se habet, considerare, sed ultra modum, considerat perfectiones suas neque simul considerat imper-

1 S. Thomas, II-II, q. 132, a. 3; *Q. D. de Malo,* 9, a. 2.
2 S. Thomas, II-II, q. 132, a. 4.
3 *Ibid.,* a. 5, et *Q. D. de Malo,* 9, a. 3.

fectiones nec dependentiam a Deo; tum apprehendit maiorem in se excellentiam quam reipsa habet; dein amat seu complacet sibi in illa excellentia apprehensa; demum *aestimat se supra id quod est,* quae aestimatio non in iudicio consistit, sed simul in affectu, quo homo erga se tamquam aliquid magnum afficitur.

1) Quae *nimia sui aestimatio* est primus actus completus superbiae (non dico « completae superbiae »): alii actus via sunt et inchoatio.

2) Superbus, progrediens ultra, se aestimat dignum rebus magnis, se suamque conditionem et vires re ipsa excedentibus (ad quod pertinet *praesumptio).*

3) Inordinate appetit honores aliaque ut sibi congrua: *ambitio.*

4) Ab aliis vult magni fieri, honorari, aestimari: *ambitio et vana gloria.*

5) Si videt se id non obtinere, dolet, irascitur, indignatur.

6) Conferens se cum aliis, se pluris aestimat, alios eorumque acta parvi pendit, contemnit.

7) Recusat se subiicere superioribus quasi id se indignum sit, persuadens sibi se esse prudentiorem, meliorem, etc.

8) Recusat ipsi Deo subiacere, apprehendens id tamquam contra suam dignitatem, volens suo arbitratu vivere, ac si Deo opus non habeat: qui actus est *superbiae completae ».*

In hoc progressu S. Bernardus ponit 12 gradus superbiae in oppositione ad 12, quos ponebat S. Benedictus, gradus humilitatis. Nam:

1us gradus humilitatis est *corde et corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus;* cui opponitur *curiositas,* per quam aliquis curiose ubique et inordinate conspicit.

2us gradus humilitatis est *ut pauca verba et rationabilia loquatur aliquis non clamosa voce;* contra quem opponitur *levitas mentis,* per quam scii, homo superbe se habet in verbo.

3us gradus humilitatis est *ut non sit facilis aut promptus in risu;* cui opponitur *inepta laetitia.*

4us gradus humilitatis est *taciturnitas usque ad interrogationem;* cui opponitur *iactantia.*

5us gradus humilitatis est tenere *quod communis regula monasterii* (vel societatis) *habet;* cui opponitur *singularitas,* per quam scii, aliquis sanctior (vel melior) vult apparere.

6us gradus humilitatis est *credere et pronuntiare se omnibus viliorem;* cui opponitur *arrogantia,* per quam scii, homo se aliis praefert.

7us gradus humilitatis est *ad omnia inutilem et indignum se confiteri et credere;* cui opponitur *praesumptio,* per quam scii, aliquis reputat se sufficientem ad maiora.

8us gradus humilitatis est *confessio peccatorum;* cui opponitur defensio peccatorum.

9us gradus humilitatis est in *duris et asperis patientiam amplecti;* cui opponitur *simulata confessio, per* quam scii, aliquis non vult subire poenam pro peccatis, quae simulate confitetur.

10us gradus humilitatis est *obedientia,* cui opponitur *rebellio.*

11us autem gradus est *ut homo non delectetur facere propriam voluntatem;* cui opponitur *libertas,* per quam scii, homo delectatur libere facere quod vult.

12us seu ultimus gradus humilitatis est *timor Dei,* cui opponitur *peccandi consuetudo,* quae implicat Dei contemptum.

Ita S. Thomas, in II-II, q. 162, a. 4, ad 4. qui addit: « in his duodecim gradibus tanguntur non solum superbiae species, sed etiam quaedam antecedentia et consequentia », sicut etiam verificatur de gradibus humilitatis.

X. Remedia contra superbiam et inanem gloriam. — Duplex genus remedii indicari potest : aliud ex parte mentis, aliud ex parte operis.

A. *Ex parte mentis :* 1° Sui ipsius intima et sincera cognitio et consideratio proprii nihili, atque propriae infirmitatis, absolutae et relativae : absolutae quidem ex praeteritis peccatis, defectibus ordinis moralis praesentibus, et incertitudine futuri; relativae vero, tum comparative ad Deum sine cuius auxilio nihil omnino possumus, tum comparative ad alios quos videmus nobis meliores.

2° Consideratio vanitatis et caducitatis bonorum in quibus gloriari solemus: vigoris et pulchritudinis corporalis, — scientiae ignorantiis, dubiis et erroribus obnoxiae, — honoris, laudis et gloriae humanae, — a fortiori divitiarum aut terrenae potestatis, ortus e nobili familia.

3° Contemplatio perfectae humilitatis Christi, « qui cum in forma Dei essét, non rapinam arbitratus est esse se aequalem ;Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et... humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (Phil. II. 7).

4. Turpitudo, pericula et damna superbiae, quae est « initium omnis peccati » (Eccli. X, 15); quare Scripturae monent: « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (I Petr. V. 5).

B. *Ex parte operis :* 1° Assidua precatio.

2° Exercitium externum humilitatis, seu actus coram aliis exerciti quibus nos parvi pendamus.

3° Praesertim, actus interni humilitatis quibus coram Deo sincere nos viles reputemus, vilia pro nobis appetamus, et exclusive soli Deo omnem gloriam optemus.

Tales affectus suggerunt Scripturae: « Quid superbit terra et cinis? » (Eccli. X, 9); « Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris ac si non acceperis » (I Cor. IV, 7); « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam » (Ps. CXIII, 9); « Nisi

conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum » (Mt. XVIII, 3).

QUAESTIO SECUNDA

De Avaritia

I. **Avaritia** est *appetitus divitiarum inordinatus* seu immoderatus amor habendi. Dicitur :

1° *appetitus divitiarum,* quarum nomine veniunt .non solum pecuniae sed omnia bona exteriora, in quantum utilia sunt homini et eorum pretium pecunia mensuratur et aestimatur : « omnes res exteriores, quae veniunt in usum humanae vitae, nomine pecuniae intelliguntur in quantum habent rationem boni utilis[1] »;

2° *inordinatus,* i. e. immoderatus et excessivus. Divitiae enim sunt bonum utile ad sustentationem vitae secundum alicuius conditionem. Utile autem in tantum est bonum in quantum fini commensuretur, et excessus huius mensurae est malum. Unde appetitus divitiarum in quantum necessariae sunt vel utiles ad vitam est bonus, sed ultra id eas appetere est malum.

« In omnibus quae sunt propter finem, bonum consistit in quadam mensura: nam ea quae sunt ad finem, necesse est commensurari fini, sicut medicina commensuratur sanitati... Bona autem exteriora habent rationem utilium ad finem. Unde necesse est quod bonum hominis circa ea consistat in quadam mensura, dum scii, homo secundum aliquam mensuram quaerit habere exteriores divitias, prout sunt necessariae ad vitam eius secundum suam conditionem. Et ideo in excessu huius mensurae consistit peccatum, dum scii, aliquis supra debitum modum vult eas acquirere vel retinere, quod pertinet ad rationem avaritiae: quae definitur esse immoderatus amor habendi. Unde patet quod avaritia est peccatum[2] ».

II. **Gravitas et species avaritiae.** — Amor seu appetitus divitiarum potest esse immoderatus dupliciter :

a) uno modo, in accipiendo et retinendo divitias, in quantum scii, homo plus debito eas acquirat vel conservet : sic

1 S. Thomas, II-II, q. n8, a. 2 ad i.
2 S. Thomas, II-II, q. n8, a. i.

est directe peccatum in proximum et opponitur iustitiae, et est mortale ex genere suo, admittens tamen levitatem materiae;

b) alio modo, in affectu interiori, si nimis divitias aliquis amet, eas desideret, aut delectetur in eis, etiamsi nolit rapere aliena : sic est peccatum hominis in seipsum, et opponitur liberalitati, et est secundum se veniale, nisi propter affectum divitiarum aliquis non vereatur committere aliquod peccatum mortale, vel in divitiis finem ultimum constituat[1].

Ex quibus patet avaritiam seu immoderatum amorem habendi non esse tantum amorem retinendi divitias, sed eas quocumque inordinato modo desiderandi.

III. Generalis influentia avaritiae in alia peccata. — Ait Apostolus in I ad Tim. VI, 10: *Radix omnium malorum est cupiditas;* quod de avaritia proprie dicta est intelligendum Ratio est quia per divitias homo acquirit facultatem et facilitatem perpetrandi, et occasionem desiderandi quodlibet peccatum, eo quod ad habenda quaecumque temporalia bo,na potest homo per pecuniam iuvari, secundum illud Eccl. X, 19 : *Pecuniae obediunt omnia.* Unde sicuti radix alimentum praestat arbori, ita pecunia nutrit desiderium omnis peccati. Et ideo avaritia est radix omnium peccatorum, non quidem hoc sensu quod peccatum quodlibet in individuo spectatum ex ipsa oritur, sed quia quodlibet genus peccati ex ipsa oriri potest et frequentius oritur[2].

Est igitur avaritia proprie dicta, sicut et superbia proprie dicta, omnium peccatorum causa, non ex parte aversionis quidem, sed utraque ex parte actus seu conversionis ad bonum creatum quae est in peccato. Differunt tamen: 1° *in ratione causalitatis:* superbia enim est omnium causa *finalis,* avaritia vero est causa *disponens* ad omnia, quatenus medium procurat omnia acquirendi quae alia vitia cupiunt; unde 2°

1 S. Thomas, II-II, q. n8, a. i, ad 2; a. 3 et 5; *Q. D. de Malo,* 13, a. i et 2.

2 Id plures quidem intellexerunt de Oîwi/ια *improprie dicta,* scii, a) de inordinata conversione seu tendentia ad quodcumque bonum temporale, quae in omni peccato invenitur: haec generalis cupiditas dicitur causa peccatorum ex parte conversionis ad bonum creatum, ex qua peccatum nutritur et fovetur, unde dicitur radix; — etiam b) de inclinatione naturae lapsae ad temporalia bona inordinate appetenda, ex qua proveniunt omnia peccata. — Vera ista sunt, sed non tradunt sensum Scripturae quae manifeste loquitur de avaritia proprie dicta, quae est speciale peccatum, nempe inordinatus appetitus divitiarum (I-II, q. 84, a. i).

’ S. Thomas, I-Π, q. 84, a. 1.

utraque est prima *in alio ordine:* superbia in ordine *intentionis* in quo finis est *principum* quod media praecedit, avaritia in ordine *executionis* in quo e contrario media praecedunt finem qui est eorum terminus: « Considerandum quod in actibus voluntariis duplex ordo invenitur, scii, intentionis ct executionis. In primo quidem ordine (superbia) habet rationem principii ct finis... Sed ex parte executionis est primum id quod praebet opportunitatem adimplendi omnia desideria peccati, quod habet rationem *radicis,* scii, divitiae. Et Ideo ex hac parte avaritia ponitur esse radix omnium malorum

IV. Avaritia est peccatum capitale. — Vitium capitale est illud ex quo alia vitia oriuntur secundum rationem finis, i. e. quia habet finem maxime appetibilem; unde ad illum obtinendum homo multa alia, etiam mala, facit. Sed finis maxime appetibilis est felicitas, « et ideo quanto magis aliquid participat conditiones felicitatis, tanto magis est appetibile ». Una autem de conditionibus felicitatis est ut sit per se sufficiens, quae conditio a divitiis verificatur : pecuniae enim, quibus obediunt omnia, maxime dant alicui quod sibi ipsi sufficiat. Ergo avaritia est vitium capitale. — Pecunia scii., quamvis natura sua sit bonum utile, ac proinde non sit finis sed medium ad finem, tamen propter suam universalitatem in quantum utilis est ad omnia bona exteriora acquirenda, virtute continet omnia, et sic habet quamdam similitudinem felicitatis, et est valde appetibilis '.

Nec obstat superbiam non annumerari vitiis capitalibus eo quod ipsa sit omnium causa; ergo a pari nec avaritiam esse inter capitalia ponendam, quia est omnium peccatorum radix. — Superbia enim est causa omnium peccatorum sub ratione finis, et ideo non est vitium capitale quod tantummodo est *aliquorum* peccatorum causa finalis; avaritia vero non est radix, omnium peccatorum in quantum est eorum finis, sed in quantum ad omnia disponit ac facultatem et media praebet omnia desiderandi et perpetrandi, et sub hoc respectu non est vitium capitale; quia tamen insuper est causa finalis aliquorum, recte capitalibus annumeratur '.

V. Avaritiae septem sunt filiae. — Ex avaritia, tamquam ex causa finali, septem vitia, secundum Gregorium, Moral. l. 31, c. 45 (al. 17), frequentius oriuntur, quae vocantur eius filiae. Quatenus est immoderata in retinendo, oritur : 1° *obduratio cordis* seu inhumanitas contra misericordiam erga proximum; — quatenus est immoderata in accipiendo, oritur 2° in affectu : *inquietudo* seu sollicitudo superflua de bonis acqui-

l *Ibid.,* a. 2.
' S. Thomas, II-II, q. n8, a. 7; *Q. D. de Malo,* 13. a. 3.
' S. Thomas, I-II, q. 84. a. 4 ad 4.

rendis; in effectu : 3° *violentia,* quando quis ad bona acquirenda utitur vi, 4° *fallacia et 5° periurium,* quando utitur dolo in verbis, vel simplicibus, vel iuramento confirmatis, 6° *fraus,* quando utitur dolo in opere quantum ad res, et 7° *proditio,* quando utitur dolo quantum ad personas, ut patet de luda qui ex avaritia prodidit Christum

VI. Remedia contra avaritiam. — Praeter orationem, duplex proponi solet genus remediorum : aliud internum in mente, aliud externum in opere.

A. *In mente :* consideratio tum a) celsitudinis coelestium et terrestrium vanitas; tum b) exempli Christi Domini, qui cum dives esset egenus factus est, ut nobis demonstraret certiorem viam salutis esse contemptum divitiarum; tum c) turpitudinis, infelicitatis et periculorum avaritiae; tum d) mortis quae omnibus terrenis nos spoliabit.

In specie cogita 1° quam inconstantes sint huius mundi divitiae, quae transeunt « tamquam umbra » (Sap. V, 9), et sicut res in somno possessae, quo transacto « nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (Ps. LXXV, 6);

2° quo devenient divitiae tanta sollicitudine comparatae: diripient alieni labores meos, haeredes mei et nati eorum prodigent; avarum monet Deus: « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quae autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives » (Luc. XII, 20-21);

3° quam vilia sunt huius mundi bona: extrinseca sunt, possessorem nec meliorem nec beatum faciunt, sed plerumque inquietum, coeli immemorem, superbum, luxuriosum, divinorum contemptorem, durum et in miseros, testante Eccli. X. 9-10: « Avaro nihil scelestius... Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet ».

B. *In opere:* a) eleemosynarum largitio, b) miserorum visitatio, et c) in bonorum iactura conformatio ad divinam voluntatem : pauperes scii, paupertatem ament, divites a divitiis retrahantur earum bono usu.

In specie recogita Scripturarum sententias:

1° « Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem sustinebit penuriam » (Prov. XXVIII. 27).

2° « Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis » (Prov. XIX, 17); « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (Mt. XXV, 40); « Beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus » (Hebr. XIII, 16).

1 S. Thomas, II-II, q. n8, a 8; *Q. D. de Malo,* 13, a· 3·

3° « Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum ». Dives vere est qui possidet Deum; pauper qui Deo caret.

4° « Nolite thesaurizare vobis thesauros in .... thesaurizate autem vobis thesauros in coelo.. Quaerite primum regnum Dei et justitiam eius, et omnia adiicienlur vobis » (Mt. VI. 19. 20, 23). « Quid enim prodest homini si universum inundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur » (Mt. XVI, 26).

QUAESTIO TERTIA.

De Gula

I. Gula est *inordinatus appetitus cibi vel potus.* Dicitur :

1° *appetitus inordinatus* i. e. modum a recta ratione praescriptum excedens. Modus autem a ratione praescriptus est quod sumatur alimentum ut sit utile rectae vitae et sanitati servandae; scii, in quantum alimenta necessaria sunt vel congruentia ad conservandam bonam valetudinem et idoneam dispositionem mentis ad suas functiones. Qui ergo hunc modum excedit propter delectationem et illam quaerit plus quam oportet, vel etiam ipsi tanquam fini inhaeret, ita ut in ipsa sistat eamque velit propter seipsam, inordinate agit;

2° *cibi vel potus,* et quidem potus sive non inebriantis, sive inebriantis; unde distinguitur : a) gula stricte dicta, quae etiam vocatur *crapula* seu commessatio, et est inordinatus appetitus cibi vel potus communis: b) *ebrietas* quae est inordinatus appetitus potus inebriantis[1].

II. Gulae species et gravitas. — Quinque sunt modi diversi quibus delectatio gulae indebite quaeritur : praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose; qui sunt quinque *species distinctae* et *propriae* gulae, quia ex diversis motivis procedunt, ipsi virtuti temperantiae oppositis. Appetitus enim alimenti potest esse inordinatus a) quoad ipsum alimentum, vel 1° circa *substantiam,* quaerendo scii, cibos delicatos vel nimis pretiosos, attento statu hominis *(laute);* vel 2° quantum ad *qualitatem,* quaerendo cibos nimis accurate et sapide praeparatos *(studiose);* vel 3° quantum ad *quantitatem* in ipsa

[1] S. Thomas, II-II, q. 148, a. 1; cfr. Luc., XXI, 34.

nimis excedens *(nimis);* — b) quoad sumptionem, vel 4° quando fit ante vel extra *tempus* debitum *(praepropere*); vel 5° quando non servat *modum* debitum, sed voraciter fit et nimis avide *(ardenter)*[1].

Gula stricte dicta *per se* est peccatum veniale ex genere suo, etiamsi perducatur usque ad vomitum, quia est solus excessus in appetitu rei de se licitae. Unde quinque modi praedicti sunt species distinctae veniales, ac proinde in confessione non sunt necessario declarandae.

Per *accidens* tamen, alii modi esse possunt ex adiunctione alterius speciei, ratione cuius gula etiam mortalis fieri potest, si quis in ea constituit finem ultimum sive explicite sive implicite; a) si paratus sit peccare mortaliter, v. g. furari, ut delectationem cibi habeat (Phil. Ill, 19); si grave nocumentum inferat sanitati; c) si ineptum se reddat obeundo officio ad quod sub gravi tenetur; d) si imparem se reddat solvendis debitis, vel dissipet bona familiae; e) si crapulae causa violet praeceptum ieiunii aut abstinentiae a carnibus; f) si crapula sit causa alterius gravis peccati, v. g. gravis scandali, ut si clericus publicis commessationibus se iniiciat.

Plures addunt; si quis vomitum provocet, ut ad serviendum voluptati iterum edere et bibere possit, quia id est plus quam bestiale creaturamque rationalem valde dedecet. Fatemur quidem id saepius esse indicium quod in cibis delectetur ut in fine ultimo; non tamen necessario et semper, nec proinde esse semper mortale, nisi id esset aliis grave scandalum.

III. Ebrietas eiusque gavitas. — Ebrietas est *inordinatus appetitus potus inebriantis,* seu *excessus in potu inebriante voluntarius.*

Dicitur :

1° *appetitus inordinatus* seu *excessus,* quia species est intemperantiae;

2° *in potu inebriante* i. e. violenter inducente privationem usus rationis : ita distinguitur ebrietas a gula stricte dicta, quae est excessus in cibo vel in potu non inebriante;

3° *voluntarius,* sive in se sit intentus, dum quis expresse velit privari usu rationis v. g. ad dolores obliviscendos, sive

1 S. Thomas, II-II, q. 148, a. 4.

in causa tantum, dum quis praevideat se inde forsan privandum usu rationis et tamen malit ebrietatem incurrere quam a potu abstinere.

Ebrietas plene voluntaria est peccatum mortale ex genere suo, tum propter gravem inordinationem intrinsecam actus quo quis voluntarie et absque necessitate se privet bono praestantissimo, scii, usu rationis et potestate propinqua illum recuperandi, et ineptum se reddat ad agendum humano modo et secundum virtutem; tum propter gravia mala quae secum trahit, uti libidinem, blasphemias, rixas, gravem familiae afflictionem, liberorum neglectum, creditorum fraudationem, omissionem et negligentiam officiorum vitae christianae, et quorum ebrius, si ea praeviderit saltem in confuso, reus est'.

Hinc a) *ebrietas perfecta* quae totaliter aufert usum rationis est *de se* mortalis; posset tamen esse venialis sive ob quamdam inadvertentiam vel ignorantiam potus, quae tamen in consuetudinariis admitti non potest; sive ob materiae levitatem si ebrietas non diu duret sed tantum aliquot momentis: id tamen vix valet in praxi, quia nullus scire potest quantum sit duratura;

b) *ebrietas imperfecta* quae tantum aliquatenus turbat rationem, est de se peccatum veniale: per accidens fit mortale vel ob scandalum, vel ob pravum finem, vel ob damnum sanitati aut familiae inferendum, vel ob gravem tristitiam uxori, filiis, parentibus afferendam, vel ob periculum alius gravis sequelae.

Signa ebrietatis indicari ab auctoribus solent:

1° *Perfectae* ebrietatis signa sunt: a) si quis ratione non amplius discernat inter bonum et malum morale; quod est signum *certum,* dum reliqua sunt *coniecturalia,* scii, b) si faciat insolita quae sui compos nunquam faceret, v. g. iuret, turpia loquatur, rixas moveat, vasa confringat, uxorum percutiat; c) si non recordetur die sequenti dictorum aut factorum *notabilium,* v. g. quas rixas excitaverit, quomodo domum sit versus, qua via, cum quo socio; d) si quis actionibus communibus aut facilibus dirigendis vix aut ne vix sufficiat; e) si usum sensuum et membrorum amiserit, v. g. visus, gressus, loquelae.

2° E contra *imperfectae* ebrietatis signa *probabilia* sunt aut signa *ambigua:* gressus vacillatio, aliqua linguae titubatio, rerum apparens gyratio, aspectus duplicatorum, oblivio rerum minutarum, difficultas in exequendis officiis debitis, quaedam turbatio caditis seu phantasiae, vomitus: haec enim etiam obveniunt, manente sufficiente rationis praesentia.

IV. Monita pro confessariis. — 1. Poenitentes qui se accusant manducare vel bibere *ob voluptatem,* non semper rei sunt. Non enim illicitum est intendere et quaerere voluptatem quam Deus cibis et potibus inesse voluit, dummodo ipsa ordinetur ad finem principalem honestum

' Cfr. Gal. V. 2i; I Cor. VI, io; Rom. XIII, 13; Luc. XXI. 34; Is. V. ii; Prov. XXII, 20, 21, 29.

sustentationis, saltem implicite; — at peccatum est edere ob solam voluptatem propter se quaesitam et in ea sistendo, excludendo finem principalem, aut principaliter ob voluptatem, non ob bonum honestum, ita ut bonum honestum subordinetur delectationi.

2. Raro poenitentes mortaliter peccant ex gula. Facilius ex ebrietate, non eo sensu quod saepe bibant usque ad privationem usus rationis, imo si hoc semel vel iterum eveniat, communiter fit praeter intentionem, sed quod quidam nimis potationibus dediti, hac ratione desint officiis et functionibus suis, afflictionem gravem familiae creent, eius vincula dissolvant, prolis non provideant educationi, debita solvere nequeant, etc. Confessarius tamen *praesumere* potest ebrietatem voluntariam fuisse ei qui crebo inebriari solet, v. g. decies singulis mensibus. Si quis autem vir satis intelligens confitetur se intra mensem semel vel iterum fuisse ebrium, interrogetur utrum ebrietatem praeviderit. Qui una vel altera vice, sine ulla consuetudine ebrius fuit, *praesumendus* est ebrietatem non praevidisse.

3. Ebrietas, ad perfectam etiam privationem usus rationis deducta, non est ita essentialiter mala ut in nullo casu induci possit; sed licitum esse potest ebrietati se committere, si medium necessarium sit ad obtinendum bonum proportionatum, v. g. ad depellendum morbum, ut typhum, vel ad coercendam vim veneni e morsu serpentis, quia bonum partis cedit bono totius hominis. E contra peccatum esse potest, licet per accidens privatio usus rationis non sequatur. Unde, ait S. Alphonsus, Th. M., l. V, n. 78, non excusatur a mortali, qui sumit quantitatem potus de se aptam ad ebrietatem perfectam inducendam, licet, antequam sensibus destituatur, somno se committat, quo vini effectum effugit; quia potio illa de se est intrinsece mala, cum de se apta sit ad privandum illum hominem usu rationis, et per accidens se habeat, quod ipse vel per somnum, vel per inebriationem sensibus privetur. Mali scii, causam totam posuit, manebitque incapacitas recuperandi usum rationis, quae a somno naturali orta non esset.

4. Peccatum ebrietati simile est privationem usus rationis ex alia causa adducere quam ex potu, v. g. fumo, suffitu tabacci, odore lupuli, usu opii vel morphii, etc. de quo dictum est supra, c. 2, S B, q. 1, IV et VI.

5. Peccant graviter, ebrietati aliorum cooperando, qui alios invitant ad haustus quibus probabiliter praevidentur inebriaturi; item qui ad aequales haustus eos provocent vel cogant cum probabili ebrietatis periculo; item qui ebriosis vel ebrietati proximis absque gravi causa proportionate potum ministrant; — licitum tamen esse potest ob gravem causam alteri apponere vinum cum praevisione ebrietatis. Qui vero alios solo suo exemplo ad ebrietatem adducunt, peccant peccato scandali.

6. Guloso et ebrioso proprie vel potius crasse dictis, in mentem revocentur proximi gulae et ebrietatis effectus in corpore et anima: in corpore immunditiae et aegritudines, in anima hebetudo mentis et deturpatio Dei imaginis. Ipsis stricte praescribantur vitatio occasionum, mortificatio carnis, oratio ad Deum, confessio post relapsum, simul ac dira poenitentia ultro sibi imposita, et quandoque adseriptio consuletur societati sobrietatis aut abstinentiae. Ebrietatis vitium enim inter ea computatur e quibus difficile emergunt homines, nisi totis viribus ac divino auxilio in eo eradicando laborent.

7. Viris spiritualibus qui propensionem ad gulam manifestant, innixe commendentur vitatio irritamentorum gulae, subtractio in mensa cuius-

dam cibi palato gratioris, moderatio appetitus qui iusto ardentius in cibos fertur, expiatio seria culparum gulae etiam exiguae, reductio quantitatis ciborum ad iustam aestimationem ex experientia sumendam.

8. Sacerdotes omni modo conentur contra alcoolisai! vitium, quantum possunt, monendo parentes ut filios ab eodem avertant; animi fortitudinem et mortificationem Inculcando quibus virtutibus voluntatis disponuntur ad strenue resistendum tentation! liquoribus abutendi; in pulpito necnon in sacro tribunali temperantiam et sobrietatem frequenter docendo; suo exemplo doctrinam corroborando,

V. Gula est vitium capitale. — Vitium capitale est peccatum ex quo alia oriuntur secundum rationem causae finalis, in quantum habet finem maxime appetibilem, unde ex eius appetitu homo excitatur multipliciter ad peccandum. Sed ille finis est multum appetibilis in quo habetur aliqua conditio felicitatis; ad felicitatem autem pertinet delectatio. Unde gula quae versatur circa praecipuas delectationes, scii, tactus, est peccatum capitale.

Cibus quidem est medium ad finem, nempe ad conservationem vitae, sed quia hic finis est maxime appetibilis qui sine cibo conservari non potest, inde et ipse cibus est maxime appetibilis; insuper et praecipue est appetibilis propter delectationem [1].

Quod intelligendum est de gula sensu lato accepta, quae etiam ebrietatem comprehendit.

VI. Gulae quinque sunt filiae. — S. Gregorius, Moral. l. 31, c. 45 (al. 17), quinque enumerat gulae filias. Gula enim, per immoderatam cibi vel potus sumptionem, producit perturbationem inferioris partis hominis, et sic impedit rationem et consequenter ea quae ratione dirigi debent.

Hinc a) producit in anima : 1° quantum ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi et potus : *hebetudinem mentis,* i. e. stupiditatem quantum ad speculabilia; 2° quantum ad appetitum qui, consopito gubernaculo rationis, inordinate afficitur : *laetitiam* ineptam seu vagam et incompositam, qua homo gaudet de illis quae secundum iudicium rectae rationis nullam delectationem nata sunt causare; quantum ad actus externos : 3° *multiloquium,* quo homo nequit cohibere verba; et 4° *scurrilitas,* i. e. iocularitas quaedam proveniens ex defectu rationis, quae non potest cohibere vel componere gestus externos; — b) in corpore autem producit 5° *immunditiam* i. e. inordinatam emissionem quarumque superfluitatum, praesertim seminis: licet enim utilis sit v. g. vomitus post

[1] S. Thomas, II-II, q. 148, a. 5; *Q. D. de Malo,* 14, a. 5.

superfluam comestionem, tamen vitiosum est quod aliquis huic necessitati se subdat per immoderatum cibum vel potum

Neque obstat praedicta peccata non esse media ad delectationem gulae procurandam et sic non appeti propter gulam, nec gulam esse eorum causam finalem. Sunt tamen media ad gulam, hoc sensu quod homo se subdat illis et ea acceptet, dummodo delectationem gulae consequatur. Non enim gulosus dubitat incurrere ineptam laetitiam, multiloquium, immunditias, etc., modo assequatur finem gulae i. e. delectationem cibi et potus.

Quod etiam valet de quibusdam peccatis quae oriuntur ex luxuria vel ira.

VII. Remedia contra gulam. — Praecipua remedia solent enumerari sequentia :

1° cavere incitatoria gulae, uti condimenta vel cibos deliciosos, nec se immiscere gulosis;

2° assuescere communibus cibis, non edere nec bibere extra tempus refectionis, aliquoties ieiunare, vel saltem in mensa aliquid propriae voluntati subtrahere; ciborum mensuram sibi praefinire;

3° meditari exempla Christi pauperis, in deserto ieiunantis, in cruce sitientis; vilitatem illorum quae appetuntur; atque turpitudines et miserias quas secum trahit ingluvies;

4° precari Deum ante accessum ad mensam.

QUAESTIO QUARTA

De Luxuria

I. Luxuria est *appetitus veneteotum inordinatus.* Dicitur :

1° *Appetitus veneteotum,* seu amor delectationis venereae et usus organorum genitalium cui haec delectatio est adnexa: delectatio scii, non mere spiritualis, nec mere sensibilis, sed carnalis simul et venerea seu sexualis, quae scii, propria est partibus genitalibus utriusque sexus et in iis solis percipi valet;

2° *inordinatus,* i. e. modum recta ratione praescriptum excedens. Modus autem recta ratione praescriptus est, quod geni-

1 S. Thomas, II-II, q. 148. a· 6; *Q. D. de Malo,* 14. a. 4.

talium motus et delectatio venerea quaerantur in ordine ad debitam propagationem generis humani in legitimo matrimonio. Qui ergo hunc modum excedit propter delectationem et eam quaerit plus quam oportet, inordinate agit

Delectatio scii, venerea sicut et usus genitalium ex natura sua essentialiter ordinatur ad propagationem generis humani. Haec autem debito modo fieri non potest nisi in unione matrimoniali permanente, quae ad rectam educationem prolis omnino est necessaria. Ergo appetitus et usus venereoruin est inordinatus si quaeratur: 1) sine ordine ad actum coniugii legitimum; 2) in isto actu, sed modo illegitimo et indebito, praeter regulas natura et ratione praescriptas.

II. Luxuriae species et gravitas. — Luxuria est *externa* vel *mere interna,* prout usus genitalium et delectatio venerea indebite admittatur realiter, vel e contra solum mente repraesentata placeat aut desideretur.

Externa est *perfecta seu completa,* vel *imperfecta seu incompleta,* prout usus genitalium sit completus et ad naturalem suum terminum pertingat ac delectationem satiativam, vel e contra usus sit incompletus et ad terminum suum non perducatur atque delectationem perfecte satiativam non attingat. Completa seu perfecta est *iuxta naturam* vel *contra naturam,* prout actus sit de se aptus ad finem naturalem generationis obtinendum, vel non sit aptus ad hunc finem, cum iste e contra redditur impossibilis : utraque plures complectitur species distinctas

lamvero, iuxta principia scientiae moralis, luxuria est peccatum grave ex genere, cum adversetur debitae propagationi generis humani et ita natum sit nocere bono communis, et quidem :

1° Omnis luxuria extra coniugium *directe et propter se* quaesita est peccatum grave, etiam incompleta et imperfecta, cum omnis delectatio venerea ex natura sua ordinatur ad perfectam et completam estque huius inchoatio, unde illam directe et in se velle est implicite velle perfectam; — indirecte autem aut in causa volita quandoque potest esse tantum venialis, si influxus sit levis et leve periculum.

2° Luxuria in usu coniugii est gravis, si sit contra naturam, utpote generationis impeditiva; secus est de se tantum venia-

1 S. Thomas, II-II, q. 153, a. 1 ; *Q. D. de Malo,* 15,
2 S. Thomas, II-II, q. 154, a. 1 et xi.
' S. Thomas, II-II, q. 153, a. 3; cfr. ep. ad Gal. V, 19-21.

lis. ut si coniuges naturali modo copulam exercent sed ob solam voluptatem.

Quae omnia abunde declarata inveniuntur in opusculo nostro *De Castitate et Luxuria.*

III. Luxuria est vitium capitale. — Peccatum capitale habet finem valde appetibilem, cuius appetitu homo procedit ad multa peccata perpetranda. Sed finis luxuriae est delectatio venereorum, quae est omnium maxima, et maxime appetibilis tum propter vehementiam delectationis, tum propter connaturalitatem huius concupiscentiae. Ergo evidenter luxuria est peccatum capitale[1].

IV. Luxuriae octo sunt filiae. — S. Gregorius, Moral. l. 31, c. 45 (al. 17), octo enumerat luxuriae filias interiores. Cum enim luxuriae appetitus sit vehementissimus, sequitur illum maxime impedire usum potentiarum superiorum i. e. intellectus et voluntatis. Omnes siquidem vires ex anima tamquam ex uno fonte et radice procedunt, unde exercitium intensum unius potentiae minuit vim agendi in aliis et ab ipsis virtutem distrahit; et ideo « quando inferiores potentiae vehementer afficiuntur ad sua obiecta, consequens est quod superiores vires impediantur et deordinentur in suis actibus ». Hinc luxuria :

A. In intellectu producit :

1° *caecitatem mentis* in recta consideratione finis eiusque bonitatis, seu abalienatio a cogitandis caelestibus;

2° *praecipitationem* in consilio et deliberatione circa electionem mediorum;

3° *inconsiderationem* in iudicio de agendis quae statum vel personam dedecent;

4° *inconstantiam* in praecipiendo iudicii executionem, seu in bonis propositis : emollit enim cor hominis et effeminatum reddit.

Ex quibus apparet quod luxuria maxime evertit prudentiam.

B. In voluntate producit circa finem :

5® *amorem sui,* non quidem quoad omnia, sed quantum ad delectationem carnis quam inordinate appetit;

1 S. Thomas, II-II, q. 153, a. 4; *Q. D. de Malo,* 15, a. 4.

6° *odium Dei,* in quantum Ipse prohibet delectationem concupitam;

circa media ad finem :

7° *affectum praesentis saeculi* i. e. nimium amorem vitae praesentis propter eius voluptates;

8° *horrorem et desperationem futuri saeculi,* i. e. bonorum spiritualium, quia dum aliquis nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit eas et despicit

Hisce Isidorus, in Dcut., c. XVI, addit quatuor actus inordinatos *exteriores,* praecipue ad locutionem pertinentes. Locutio enim potest esse inordinata quadrupliciter:

1° quoad materiam, et sic ponuntur *turpiloquia:* quia enim ex abundantia cordis os loquitur, ideo os luxuriosi, cuius cor abundat turpibus concupiscentiis, facile turpia loquitur:

2° ex parte causae: quia enim luxuria praecipitationem et inconsiderationem causât, facit prorumpere in verba leviter et inconsiderate dicta quae vocantur *scurrilia;*

3° quantum ad finem: quia enim luxuriosus delectationem quaerit, verba sua ad delectationem carnalem ordinat, et sic prorumpit in verba *ludicra;* « unde, ait Billuart, de Temp., diss. 5, a. 3. videmus huic vitio deditos, colligere ex libris certas narrationes turpes et lubricas, quas coram aliis, quasi ludendo et oblectando referunt »;

4° quantum ad sententiam verborum, quam pervertit luxuria propter caecitatem mentis quam causât: ideo luxuriosus prorumpit in *stultiloquia,* utpote cum suis verbis praefert delectationes quas appetit quibuscumque aliis rebus nobilibus et caelestibus ’.

V. Confessarii munus. — Confessarius, prudentiae et honestatis causa, parce quidem et tamen sufficienter de peccato luxuriae inquirat et interroget’.

In specie :

1° Si poenitens se accuset de *cogitationibus turpibus,* interrogetur, num voluntarie et cum voluntaria delectatione iis inhaeserit. Si neget, nihil est ulterius inquirendum. Si dicat: sensi delectationem, quaeratur an libenter et voluntarie eam admiserit, vel ipsi repugnaverit. Si annuat, quaeratur de obiecto, utrum vere sit venereum et contra castitatem, an vero mere immodestum quid, indecens, scurrile et foedale. Si

’ S. Thomas, II-II, q. i53· a· 5› simul cum q. 53, a. 6; *Q. D. de Malo* 15, a. 4.

3 S. Thomas, II-II, q. 153, a. 5, ad 4.

’ Cfr. S. Alphonsus, *Praxis Conf.,* η. 40, 41, 2o6; Reuter, *Neo-Conf.,* η. 68-73; Aertnijs, *Th. P.,* n. 30 ct 33.

constet de delectatione venerea, poenitens declarare debet numerum, saltem approximativum; etiam speciem distinctam, si de speciali circumstantia personae vel modi delectatio fuerit. Insuper interrogandus est, num ulterius progressus sit, et quid turpe fecerit, aut facere voluerit vel desideraverit.

2° Si quis se accuset *de aspectu turpi,* inquirendum an aspectus voluntarius fuerit, de obiecto vere turpi, et sine rationabili causa, et si ita sit, num voluntarie admissa delectatio venerea; quod si obiectum non sit vere turpe, nonne aspectus factus fuerit ex prava intentione seu turpi fine.

3° Si quis accuset *motus concupiscentiae,* investigandum an iis consenserit, vel an causam ipsorum sine iusta ratione posuerit et quidem per se graviter seu efficaciter influentem, ut est lectio valde turpis aut tactus turpis saltem continuatus; ponere causam leviter aut solum per accidens influentem, uti est lectio levioris indolis aut excessus in potu, non excedit veniale, si abest consensus in motum venereum et proximum consensus periculum.

Eodem modo si quis accuset *pollutionem passivam,* videndum an eam intenderit aut causam per se efficacem sine rationabili causa posuerit.

4° Si quis se accuset *de actione turpi,* interrogandum, an eam habuerit solus vel cum alia persona, diversi vel eiusdem sexus, et cuiusnam qualitatis, usque ad plenam consummationem: pollutionem scii, pro viris, plenam voluptatem pro feminis. Nec omittatur quaestio de turpibus cogitationibus aut desideriis, separatim habitis ab actione.

5° Si quis accuset *turpiloquia,* attendendum est ad intentionem eius et ad affectum : num ex levitate ea dixerit, aut cum affectu venereo, vel ex animo seducendi aliam personam ad turpem actum; — num delectationem pravam provocaverit eique consenserit, aut grave scandalum dederit aliis, praesertim pueris innocentibus.

Quae interrogationes non sunt semper et sine delectu faciendae, sed ad instar regulae generalis proponuntur pro opportunitate applicandae: diversimode enim sunt interrogandi poenitentes pro ipsorum aetate et conditione, ut declaratum fuit in opusculo *De Castitate et Luxuria,* q. 7, η. V.

VI. Remedia contra luxuriam. — Multa indicari solent remedia luxuriae et media servandae castitatis, quae ad quaedam genera reducuntur. Sunt :

A. *Casta educatio,* qua discamus revereri corpus nostrum, quod pertinet ad dominium Dei, incorporatum est Christo, et in templum factum Spiritus Sancti: qua timeamus magna luxuriae damna, et persuasi simus de necessitate luctae et possibilitate victoriae.

B. *Fuga occasionum et causarum:* otii, tristitiae, solitudinis, lectionis librorum pravorum et eorum quos romanenses vocant, familiaritatis cum personis diversi sexus, vani aut illiciti amoris, etc. secundum adagium : « Qui amat periculum, in illo peribit. » (Eccli. III, 27).

C. *Vigilantia et mortificatio,* iuxta I Cor. IX, 27 : « Castigo corpus meum et in servitutem redigo » (Rom. VIII, 12-13; Gal. V, 24).

1° Custodia sensuum, imprimis oculorum, iuxta monitum Augustini: « Oculi vestri etiamsi in aliquem iaciantur, in neminem figantur », etiam aurium, magis adhuc manuum et tactus, maxime phantasiae et cordis.

2° Discreta mortificatio carnis : « libido pascitur conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur ».

3° Labor et defatigatio corporalis.

4° Prompta repulsio cogitationum et contra tentationes resistentia, praesertim indirecta, mentem convertendo ad ea quae magis eam retinent.

D. *Oratio humilis et continua,* iuxta Sap. VIII, 21 et Mt. XXVI, 41; in specie :

1° Frequens et expressa a Domino petitio castitatis.

2° Memoria novissimorum, passionis Christi, praesentiae Dei.

3° Confessio frequens et apud eumdem confessarium : quo magis enim status infirmi dignoscitur, eo aptius remedium adhiberi potest.

4° Frequens ac devota S. Eucharistiae susceptio.

5° Cultus constans B. Mariae Virginis sine labe conceptae.

Plura alia media specialia addi possunt, ut notavimus in opusc. *De Castitate et Luxuria,* Q. 7, η. III. Confessarius ex iis omnibus pro diversis adiunctis et personis opportuniora seligat; magnum poenitentibus inspiret desiderium castitatis, atque firmum propositum saepius renovandum luxuriam vitandi eiusque ingentia damna atque pericula pro salute. Nostra enim salus a duplici pendet voluntate: Dei scii, et hominis; voluntas

divina est peccato luxuriae valde infensa, nostra vero voluntas hoc vitio maxime debilitatur. Est igitur hoc peccatum pro nostra salute aeterna periculosissimum.

QUAESTIO QUINTA

De Acedia

I. Acedia est *tristitia de bono spirituali, praesertim divino.*

Acida enim sunt frigida, unde acedia importat taedium seu teporem operandi, qui ita deprimit animum hominis ut nihil ei agere libeat.

Hinc acedia spiritualis dicit torporem, languorem, tepiditatem, taedium circa spiritualia, quae ideo molesta sunt quia laborem requirunt corporalem. Unde est tristitia de spiritualibus quia impediunt quietem et delectationem corporalem : praefert enim acedia nihil agere quam corporis quietem impedire, et inde nascitur spiritualium fuga, horror et detestatio.

Haec tristitia semper est peccatum, tum 1) *ratione obiecti :* tristitia enim de malo est bonum, sed tristari de eo quod apparenter est malum sed vere est bonum, est peccatum, quia bonum non meretur ut de eo tristemur; tum 2) *ratione effectus :* retrahit enim hominem ab operibus debitis.

II. Acediae species et gravitas. — Acedia est duplex :

1° Ea qua tristamur de bono cuiuscumque virtutis. Haec non est speciale peccatum, etiamsi fiat propter laborem corporis adnexum, sed est circumstantia omnis peccati, quia omne vitium fugit bonum spirituale oppositum etiam quatenus impedit corporalem quietem.

2° Ea qua tristamur de bono spirituali ad quod omnia alia ordinantur, scii, de bono divino, non quidem in se, sed in quantum internum est nobis et ad nos pertinet et nobis videtur malum : si quis scii, tristetur de beatitudine vel de amicitia Dei, eo quod per virtutum exercitia laboriosa servari debeant, et sic amicitiam illam non curet, aut si propter laborem tristetur de mediis ad eam, v. g. de

sacramentis, gratia Dei. bonis operibus, divinis praeceptis, etc. in quantum sunt ad amicitiam Dei necessaria vel utilia. Haec est speciale peccatum quia habet speciale obiectum, et directe contrahatur speciali actui specialis virtutis : opponitur enim gaudio de bono divino de quo delectatur charitas [1].

lamvero : a) Acedia ut est generale peccatum, est mortalis vel venialis prout peccatum cuius est circumstantia est grave vel leve.

b) Acedia specialis est peccatum mortale ex genere suo. quia secundum propriam rationem charitati opponitur. Proprius enim effectus charitatis est gaudium de Deo, unde acedia qua tristamur de bono divino, directe opponitur charitati. Sicut ergo invidia est peccatum mortale, quia tristatur de bono proximi de quo charitas gaudet, ita a fortiori acedia quae tristatur de bono divino interno[2].

Potest tamen esse veniale si non est perfecte deliberatum, vel etiam, ut videtur, quando versatur circa bona ad salutem non necessaria.

III. Acedia est peccatum capitale. — Peccatum capitale est illud ex quo alia vitia nata sunt oriri, praecipue secundum rationem causae finalis. Sicut autem homines multa faciunt propter delectationem, tum ut ipsam consequantur, tum quia ex eius impetu ad agendum moventur; ita et propter tristitiam multa agere solent, vel ut ipsam evitent, vel ut ipsi satisfaciant. seu quia ex ea ad aliqua agenda moventur. Unde cum acedia sit quaedam magna tristitia, merito annumeratur peccatis capitalibus; eodem modo ac invidia.

Quod intelligendum est de acedia quae est peccatum speciale. Generale peccatum seu circumstantia omnis peccati nequit esse causa specialium vitiorum.

IV. Acediae sunt sex filiae. — Ex acedia speciali, ut a causa finali, iuxta S. Gregorium Moral. l. 31, c. 45 (al. 17), sex oriuntur peccata.

Ex tristitia enim fit quod homo *fugiat* ea de quibus tristatur, imo quod ea *impugnet,* et quod *ad alia transeat* de quibus delectatur.

Ex acedia fugit homo bona divina : 1° finem ultimum, salutem aeternam seu bonum divinum speratum, quod fit per

[1] S. Thomas, II-II, q. 35, a. 1 et 2; *Q. D. de Malo,* 11, a. 1 et 2.
[2] S. Thomas, II-II, q. 35, a. 13: *Q. D. de Malo,* 11, a. 3.

desperationem; fugit quoque 2° bonum spirituale agendum seu media ad finem communia et ordinaria, quod vocant *torporem circa praecepta;* 3° fugit media ardua, v. g. quae subsunt consiliis, per *pusillanimitatem.* Impugnat 4° bona spiritualia contristantia, ea detestando, quod appellatur *malitia;* vel etiam 5 impugnat sacerdotes et viros timoratos qui ad bona spiritualia alios inducunt, et contra eos indignatur; et hoc est rancor. Denique 6° propter tristitiam transit ad res exteriores delectabiles, in quibus animus carnalis delectatur, et hoc est *evagatio mentis circa illicita*[1].

V. Remedia circa acediam. — Multiplex indicari potest remedium contra acediam et tepiditatem spiritualem, sive ex parte mentis, sive ex parte operis.

A. *Ex parte mentis :* Frequens cogitatio necessitatis bonum operandi et strenue laborandi pro salute (Mt. VII, 19; XXV, 26; Rom. VIII, 18; I Cor. IV, 17), sterilitatis vitae absque fervore (Mt. III, 10, VII, 19), periculorum tepiditatis ex nocivis effectibus et progressiva inde nata infirmitate (Apoc. III, 15-17; Eccli. XXXIII, 29).

B. *Ex parte operis ;* Frequens et sincera confessio, quotidianum examen conscientiae, piae lectiones ac meditationes, institutio vitae utilis et laboriosae secundum ordinem praefinitum, fervens propositum saepe renovatum, sedula impletio officiorum status, exercitia spiritualia in totali recessu peragenda.

Speciatim: « 1. Considera quanta fecerit pro gloria Patris et salute animae Christus Salvator et Rex tuus, tui non indigens: et tu haec parvi pendas? 2. Quidquid Deus operatur extra, ad animarum nostrarum salutem operatur: omnia desideria eius, omnis cura providentiae, omnes misericordiae effectus eo tendunt, ut eum amemus et colamus, sicque salvi fiamus, an non meretur amorem et obsequium haec paterna cura et affectio? 3. Quam exiguus, quam brevis labor exigitur pro immensa et aeterna mercede! Nonne omni confusione dignus es, si ne illum quidem velis pro felicitate tua impendere? 4. Actio minima pro Deo facta millies plus valet quam omnia heroum facinora pro vanitate suscepta; fatigas te pro vanis: quid non convenit facere pro aeternis bonis? 5. Quid sentires de servo tuo, qui pro ampla mercede negligenter serviret? Et tu negligentius servis Deo tanta praeparanti, quam mundani serviant daemoni offerenti mendacia? 6. Tepidus iniuriam facit Deo. diffamat eius servitutem, quasi non mereretur obsequium aut mercedem iustam non praeparasset; dedecori est Christo, cui minus ferventer servit quam mun-

1 S. Thomas, II-II, q. 35, a. 4; *Q. D. de Malo,* 11, a. 4.

do... >> Quot enim labores assumuntur a multis pro mundana gloria et divitiis! Ne ergo minus faciamus pro regno Christi et divitiis gloriae aeternae.

QUAESTIO SEXTA

De Invidia

I. **Invidia** est *inordinata tristitia de bono alterius, aestimato ut malo proprio, in quantum illud bonum videtur diminutivum excellentiae propriae.* Dicitur :

1° *tristitia :* haec est de malo spectato ut nobis coniuncto, et sic differt invidia ab odio quod est de bono proximi, in proximo considerato ut absolute malo;

2° *de bono alterius aestimato ut malo proprio :* « obiectum tristitiae est malum proprium; contingit autem id quod est alienum bonum apprehendi ut malum proprium, et sic de bono alieno potest esse tristitia »;

3° *in quantum illud est diminutivum excellentiae propriae ;* tristitia de bono alterius quod consideratur ut malum, potest contingere quatuor modis : a) cum aliquis dolet de bono alterius, *quia ex eo timet nocumentum provenire* vel sibi vel aliis bonis, et talis tristitia est *effectus timoris;* b) cum aliquis tristatur de bono alterius, non quia ipse habet bonum, sed *quia nobis deest bonum* illud quod ipse habet, et hoc est *zelus* seu *aemulatio* quae, si sit circa bona honesta, est laudabilis; c) cum aliquis tristatur de bono alterius, *quia ille cui accidit bonum est eo indignus,* et haec tristitia vocatur *nemesis* seu *indignatio,* quae est bona si fiat ad rectum finem et cum debita subiectione ad ordinationem divinae Providentiae; d) cum aliquis dolet de bono alterius, in quantum alter excedit ipsum in bonis et id aestimatur *ut malum proprium, quia est diminutivum propriae gloriae vel excellentiae,* et hoc proprie est invidia; « et ideo praecipue de illis bonis homines invident in quibus est gloria, et in quibus homines amant honorari et in opinione esse »;

1 Reuter, *Neo-conf.*. n. 98.

4° *inordinata* : invidia *semper* est mala, quia dolet de eo de quo est gaudendum, scii, de bono proximi[1].

II. Gravitas invidiae. — Invidia est peccatum mortale ex genere suo. Genus enim peccati sumitur ex parte obiecti. Invidia autem secundum obiectum opponitur charitati, quia sicut charitas gaudet de bono proximi, ita invidia de eo tristatur. Potest tamen esse veniale non tantum ex indeliberatione seu imperfectione actus, sed etiam ex levitate materiae si quis invideat de exiguo bono proximi, v. gr. de eo quod vincat in ludo, puta cum eo currendo, vel aliquid huiusmodi faciendo[2].

« Est quaedam invidia quae inter gravissima peccata computatur, scii, invidia fraternae gratiae, secundum quod aliquis dolet de ipso augmento gratiae Dei, non solum de bono proximi, tinde ponitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia per hanc invidentiam homo quodammodo invidet Spiritui Sancto qui in suis operibus glorificatur »[3].

III. Invidia est peccatum capitale. — Vitium capitale est peccatum ex quo alia vitia nata sunt oriri, praecipue secundum rationem causae finalis. Sicut autem homines multa facere solent propter delectationem, tum ut ipsam consequantur, tum quia ex eius impetu ad agendum moventur; ita et propter tristitiam multa faciunt, vel ut ipsam evitent, vel quia ex ea ad aliqua agenda moventur. Unde cum invidia sit quaedam tristitia, merito annumeratur peccatis capitalibus.

IV. Invidiae sunt quinque filiae. — Quinque, secundum S. Gregorium. Mor. l. 31, c. 45 (al. 17), sunt peccata quae generatim ex invidia oriuntur.

Invidia enim, quia est tristitia gloriae alienae in quantum est malum proprium, conatur aliquid facere contra proximum. In hoc autem quod conatur facere, aliquid est tamquam initium et principium, aliquid tamquam medium, et aliquid ut terminus. Principium est ut aliquis intendat diminuere gloriam alterius, quod fit occulte per *susurrationem,* manifeste per *detractionem.* Medium est quod volens diminuere gloriam alterius, vel potest et tunc nascitur *exultatio in adversis,* i. e. gaudium in malis proximi; vel non potest et tunc oritur *afflictio in prosperis,* quae non est ipsa invidia, sed eius filia, quando prospera pro-

[1] S. Thomas, II-II, q.36, a.1 et 2; cfr. *Q. D. de Malo,* 10. a. 1 et 2.
[2] S. Thomas. II-II, q.36, a. 3; *Q. D. de Malo,* 10, a. 2.
[3] S. Thomas, II-II, q.36, a. 4 ad 2.

ximi eveniunt contra conatum invidentis qui ea nititur impedire. Denique terminus est *in odio proximi,* nam sicut delectatio causât amorem, ita tristitia odium'.

V. Animadversiones. |. Invidia praecipue est de illis bonis in quibus est gloria et In quibus homines amant honorari et in opinione esse, qualia sunt dignitates, magistratus, titulorum insignia, divitiae, pulchritudo, ornatus, celebritas nominis, eloquentia, conditio, amicitia, pietas, virtutes, etc. maxime sapientia et felicitas. Linde oritur ex inani gloria, quamvis et ipsa sit capitale peccatum.

2. Solet peccatum invidiae maxime inveniri apud ambitiosos et mulieres, ac inter illos qui aliquo modo sunt pares, v. g. eiusdem familiae, vel saltem in aliquo appropinquant, v. g. in eruditione, scientia, virtute etc.: tales enim volunt invicem aequari vel praeferri.

3. Poenitens qui se accusat de invidia, interrogandus est de affectu in quonam putet suam fuisse invidiam: sunt enim poenitentes qui varios affectus, uti sunt aemulatio, zelus, indignatio, reformido nocumenti, ab ipsa invidia sufficienter distinguere nequeunt.

VI. Remedia contra invidiam. — Plura contra invidiam numerari possunt remedia, quae reducuntur ad quatuor :

1ra est consideratio insanitatis et irrationabilitatis huic vitio propriae, quia invidia non minuit bonum invisi sed invidentis : est enim tortura sine fructu et magno cum damno, propter mala quae eam comitantur, et propter radicem, ex qua oritur, superbiam: ex quo promptiores erimus ad omnem *motum invidiae* statim repellendum.

2“ est consideratio dogmatis communionis sanctorum, et societatis spiritualis inter fideles ac omnium incorporationis in Christo: unde bonum uniuscuiusque est quodammodo omnium et bona aliorum sunt nostra, de quibus dolere non convenit sed gaudere oportet.

3a est recta aestimatio bonorum qua fiat ut non tanti faciamus bona temporalia quae solent esse occasio invidiae, sed omnibus praeferamus bonum virtutis christianae, et ita invidiam convertamus in nobilem aemulationem et zelum pro progressu in vita spirituali.

4a est exercitium charitatis erga proximum, quo gratias agimus et de bono eius gaudemus, pro bono ipsius oramus, et illud procurare conamur: quibus addenda est oratio ad maiorem charitatem a Deo nobis impetrandam.

1 S. Thomas, II-II, q. 36. a. 4: *Q. D. de Malo,* 10, a. 3.

QUAESTIO SEPTIMA

De Iracundia

I. Iracundia est *inordinatus appetitus vindictae.*

Irasci de se non est malum : ira enim proprie est passio appetitus irascibilis, passiones autem qua tales non sunt malae. Potest tamen passio esse mala :

a) *ex obtecto* seu secundum speciem, sicut invidia ex obiecto est mala quia est tristari de bono alterius, quod secundum se rationi repugnat; hoc modo ira non est ex se mala, cum obiectum eius, vindicta, bene vel male appeti possit;

b) *ex modo,* si plus vel minus exsurgat quam ratio dictat : hoc modo ira est mala, si plus abundat quam ratio dictat, aut etiam si dictante ratione deficiat.

Unde ira est bona et laudabilis, dummodo et secundum rationis modum, et vindicta legitima appetatur secundum rectam rationem, v. g. ut alter corrigatur, ut ordo iustitiae servetur, ut ratio fortius iustitiam exequatur, ut ceteri terreantur, etc. : tunc vocatur zelus : ira per *zelum;* e contra mala est si vindicta appetatur illegitima, aut si in legitima modus rationis praetergrediatur : *ira per vitium.* Hinc iracundia recte definitur : inordinatus appetitus vindictae[1].

II. Species et gravitas iracundiae. — Ira dupliciter potest esse mala :

10 *Ex parte obiecti* : a) appetendo vindictam iniustam illi qui non meruit, vel ultra quam meruit; b) appetendo vindictam non secundum legitimum ordinem, sed exequendam propria auctoritate; c) petendo eam, non ad debitum finem seu conservationem iustitiae et correctionem culpae, sed v. g. ex odio ut satiativam proprii animi mali, vel magis intendens exterminationem peccantis quam abolitionem peccati.

Haec ira ex genere suo est mortalis, quia contrariatur charitati et iustitiae; potest tamen esse venialis, non tantum ex indeliberatione, sed etiam ex levitate materiae, cum quis appe-

1 S. Thomas, II-II, q. 158, a. 1 ct 2; *Q. D. de Malo.* 12, a. 1 ct 2.

tit in aliquo modico se vindicare, v. g. parum trahit aliquem puerum per capillos vel per aurem, vel aliquid huiusmodi.

2° *Ex parte modi* ira est mala, si sit nimis ardens interius, vel nimis manifestetur exterius. Haec de se est venialis; fit tamen mortalis propter effectum sub gravi prohibitum, uti sunt scandalum, blasphemia, notabile nocumentum sanitatis, etc.

Notetur autem iram non esse necessario inordinatam quia magna est, sed quia magna nimis; unde vehemens motus irae est bonus, dummodo a recta ratione exigatur vel ipsi conformetur, v. g. si proportionetur qualitati culpae, conditioni peccantis ct aliis circumstantiis. Unde etiam Christus gravi ira commotus fuit quando negotiatores eiecit de templo [1].

III. **Iracundia est vitium capitale.** — Capitale peccatum est illud ex quo multa alia oriuntur, praesertim secundum rationem causae finalis.

Ex ira autem multa alia oriuntur peccata : a) ex *parte obiecti seu finis* qui multum est appetibilis, in quantum vindicta appetitur sub ratione iusti et honesti, quod sua dignitate allicit; b) ex suo *impetu* quo mentem praecipitat ad inordinata quaecumque agenda. Unde ira est vitium capitale.

Neque obstat iram, quia aufert usum rationis, esse causam non plurium sed omnium peccatorum, unde ipsorum *ianua* vocatur: est enim omnium causa per accidens, ut removens prohibens i. e. in quantum impedit usum rationis quo homo retrahitur a malo; directe autem et per se causa aliquorum specialium peccatorum, et secundum hoc est vitium capitale [2].

IV. **Iracundiae sex sunt filiae.** — Secundum S. Gregorium, Mor., l. 31, c. 45 (al. 17), ex ira communius oriuntur sex peccata. In quantum est in corde, ex ea nascuntur : 1° ex parte eius contra quem homo irascitur propter iniuriam illatam : *indignatio* qua in animo suo magnificat iniuriam alterius, et ipsum reputat indignum ut sibi talem iniuriam fecerit; et 2° ex parte ipsius irati : *tumor mentis* quo animum suum replet, meditando varia media vindictae. — In quantum est in ore, ex ea oriuntur : 3° *clamor* seu inordinata et confusa locutio qua homo iram in verbis demonstrat; 4° *blasphemia* qua prorumpit in verba Deo iniuriosa; 5° *contumelia* seu iniuriosa locutio in proximum. — In quantum procedit usque ad factum, 6° ex ea

[1] S. Thomas, II-II, q. 158, a. 3; *Q. D. de Malo,* 12, a. 3.
[2] S. Thomas, II-II, q. 158, a. 6; *Q. D. de Malo,* 12, a. 5.

oriuntur *rixae,* quo nomine intelliguntur omnia nocumenta sicut vulnerationes, homicidia, verberationes, etc. quae facto proximis inferuntur ex ira [1].

V. Animadversiones.— 1. Secundum se et *ex parte obiecti appetibilis* « videtur ira esse minimum peccatorum » ait S. Thomas Nam: a) Est minus peccatum quam odium et invidia. « Ex parte mali quod appetit convenit ira cum illis peccatis quae appetunt malum proximi, puta cum invidia et odio; sed odium appetit absolute malum alterius in quantum huiusmodi, invidus autem appetit malum alterius propter appetitum propriae gloriae; sed iratus appetit malum alterius sub ratione iustae vindictae ». Atqui « peius est appetere malum sub ratione mali, quam sub ratione boni; et peius est appetere malum sub ratione boni exterioris, quod est honor et gloria, quam ratione rectitudinis iustitiae ». Ergo patet quod odium gravius sit quam invidia, et invidia quam ira.

b) Ex ea parte « peccatum irae etiam videtur esse minus quam (peccatum) concupiscentiae, quanto melius est bonum iustitiae, quod appetit iratus, quam bonum delectabile vel utile, quod appetit concupiscens ».

2. *Ex parte modi* autem irascendi, ira habet quamdam specialem prae illis vitiis deordinationem, et excellentiam propter vehementiam et velocitatem sui motus [3] Et sub hoc respectu tres distinguuntur *species* iracundiae:

a) *subito irascentium* et ex qualibet levi causa: est ira *fellea* quae pertinet ad *acutos:*

b) *permanentium in ira* et tristitia ex nimis servata memoria iniuriae illatae: est *mania* quae vocatur insania, et invenitur apud *graves* et *amaros;*

c) *obstinatorum* qui non cessant ab ira nisi ultionem compleant: est *furor* qui pertinet ad *difficiles* et *graves,* qui obstinato appetitu vindictam quaerunt et non dimittunt iram quousque puniant.

VI. Remedia contra iracundiam. — Plura remedia indicari possunt contra iram, sive ex parte mentis, sive ex parte operis.

A. *Ex parte mentis* : 1° Considerare quam multa ex ira sequi nata sunt mala et damna.

2° Exemplum sibi proponere benevolentiae Dei et mansuetudinis Christi, qui nobis pepercit.

3° Cogitare non posse fieri, ut non occurrant molesta, iniuriosa, ignominiosa in hac vita.

4° Paratum se tenere ad quaelibet toleranda.

B. *Ex parte operis* : a) *Ante iram,* causas irae removere interiores et exteriores, nimirum :

1 S. Thomas, II-II. q. 158, a. 7; *Q. D. de Malo,* 12, a. 5.
3 S. Thomas, II-II, q. 158, a. 4.
3 Ibidem.

1° Praecavere, quantum fieri possit, primos motus.

2° Non loqui et agere nisi animo tranquillo, et post maturam considerationem et deliberationem.

3° Non inquirere quid contra nos dicatur aut fiat.

4° Fugere res vel personas quae sunt occasiones irae.

b) *In ira :*

1° Nascentes aut obortos motus statim compescere ab initio, praesertim divertendo ad alia.

2° Linguam et motum continere, ita quod durante ira nil faciamus nec dicamus.

3° Parvam precationem ad Deum dirigere.

c) *Post iram :*

1° Affectum charitatis in se excitare erga proximum, diligendum propter Deum.

2° Omne propositum vindictae inordinatum abiicere.

3° Frequenter petere patientiam et mansuetudinem.

INDEX

CAPUT I

De Peccatis diversis secundum statum et conditionem vitae

CAPUT II

De variis Peccatis contra virtutes et decalogi praecepta

CAPUT III

De Peccatis Capitalibus quae sunt aliorum peccatorum causa